VOTVM PLATONIS.

DE
IVSTO EXAMINE DOCTRINArum; & de earum probabilitate, & de primis instantijs, & alijs recursibus, præsertim in causis Fidei.

COLLECTVM,

Et publicæ luci datũ, opera, & expensis Doctoris Ioannis Antonij de Saura, Oppidi de Morella, Diœcesis Dertus. Commissarij Sanctæ Inquisitionis Toletanæ.

AD SVPREMVM SANCTÆ generalis Inquisitionis Senatum.

CVM PRIVILEGIO,

Cæsar-augustæ. Apud Petrum Verges.
M.DC.XXXIX.

VOTUM PLATONIS.

DE
IVSTO EXAMINE DOCTRINArum: & de earum probabilitate, & de primis instantiis, & aliis recursibus, praesertim in causis Fidei.

COLLECTUM,

Et publicae luci datum opera, & expensis Doctoris Ioannis Antonij de [illegible] Oppidi de Morella, Dioecesis Dertusen. Commissarij [illegible] Inquisitionis Toletanae.

AD SVPREMVM SANCTAE generalis Inquisitionis Senatum.

CVM PRIVILEGIO.

Caesar-augustae. Apud Petrum Verges. M.DC.XXXIX.

SANCTO SVPREMO GENERALIS Inquisitionis Hispanæ Senatui.

D. IOANNES ANTONIVS SAVRA.

VOTVM Platonis id est, quod ipse Doctrinarum examen, & nationalium iudicū vim, potestatemq́; frequenter scriptis monumentis desiderauit, id in vnum codicem, ex alienis lucubrationibus; partim manuscriptis, partim prælo excusis, collectum, forte ad manus meas peruenit; quod iterum atque iterum legens, & perlegēs, dignum existimaui ne tantus labor, & tanta eruditione refertus, sub tenebris delitesceret, Dialogo 3. de Republica, vel iusto, sic ait: *Nonne turpe videtur,*

tur, & malæ educationis magna coniectura; vt cogamur ob propriæ virtutis inopiam iustitia vti externa, ab alijs videlicet tanquam dominis, & iudicibus iuste operari compulsi. Omnium profecto turpissimum. Hanc Platonis mentem, & votũ, sæpè in ipsius scriptis repertum plura Conciliorum, & Pontificum decreta in hoc opere alleganda sua praxi comprobauerunt. Idem in Protagora, vel Sophista plura dicit, pro debito examine doctrinarum, illisque attentè iuxta suos gradus discernendis: *Longè* (inquit) *grauius periculum est in disciplinis, quam in cibis emendis. Etenim qui esculenta emit, & potulenta, potest antequam ijs vescatur, in alijs quibusdam vasculis illa domum referre, ibique deposita diligenter examinare, & aduocato aliquo istarum rerum perito, &c.* Ideò sæpè hoc votum exprimit, vt quis cuiusque doctrinæ valor sit innotescat; quod nos pro disciplina Christiana, tractatu de examine doctrinarum præstare curauimus. Hoc opus sub eadē verborũ serie, quā ab alio mihi traditũ est decreui publicæ luci meis expensis dare, vestræque Celsitudini dicare, vt ex illustri gloria vestra quasi à nouo Sole colluceat, & vibret. Hæc monumenta in Christiani orbis quasi theatrum daturus, nec potui, nec debui alium adire Principem, præter Celsitudinem vestram, cui argumentum addictum, & inscriptum de examine doctrinarum, de earum probabilitate, de iurisdictione ordinaria, & extraordinaria in causis fidei, de nonnullis propositionibus in tabulas recitatiuè solùm, & examinatiuè digestis, singulari iure vestræ Celsitudini debētur. Vrget me etiam alterum grati animi, memorisque nomen; quoniam tametsi indignus, ad gremium sanctæ Inquisitionis, ex officio, debitoque pertineo, vt hoc quidquid est muneris, non officij sit, sed penè necessitatis, & obligationis sempiternæ. Quoniam verò nihil Celsitudini vestræ dicari oportebat, quod non doctissimorum virorum examine fuisset discussum, & approbatum, ideò ante euulgationem volui doctissimorum innumeras subscriptiones, & approbationes præcedere, vestræ Celsitudini originaliter exhibendas. Hoc vtique votum Platonis sapientissimi viri approbauerunt: referam ex duabus solum Hispaniæ vrbibus, Magistros, & Doctores nonnullos. Ex commissione Doctoris Ludouici

To-

Toral, Prouiforis, & Generalis Vicarij in Diœcesi Salmanticensi, examinarunt, probaruntque opus hoc Magister Angelus Manrique, Lector primarius facultatis Theologicæ, in Academia Salmanticensi, ex ordine Cisterciensi, Magister Petrus Ouiedo, eiusdem professionis, Abbas Collegij eiusdem Academiæ; Doctor Martinus Lopez de Hontiueros, Decretorum Cathedraticus, Doctor Franciscus de Randoli, Cathedraticus Vespertinus iuris Canonici; Petrus Puente Hurtado de Mendoça, primarius Societatis Iesu Lector in eadem Academia; ex aliarum Academiarum doctissimis viris, similiter approbationes, & subscriptiones emanarunt; quæ omnes, & singulæ ad verbum propter iustas causas proponentur in libro de probabilitate multiplici opinionum, in primis priuata ad conscientiæ forum pertinente; deinde publica; tertiò iudiciali; quartò politica; quintò de probabilitate inchoata, & in fieri; sextò de probabilitate consummata in facto esse; septimò de probabilitate in subitis casibus postulantibus præsentaneam executionem; octauò de probabilitate in extrema necessitate; nonò de probabilitate secundùm quid; decimò de probabilitate dubia: quarum singulæ species valdè diuersa exigunt fundamenta. Nihilominus ex innumeris approbationibus voti Platonis, in libro de probabilitatibus, vestræ Celsitudini dicando apponendis, réferam nonnullas, ex vnica vrbe Cordubensi. Iubente, & committente D. Dominico Garcia Aluarez de Benauides, Prouisore, & Vicario Generali eiusdem Diœcesis, examinauit, probauitque ex Iesuitis, Alfonsus Fernandez de Cordoua. Examinarunt verò, & approbarunt, ex Augustinianis, Andreas de Cordoua, Magister in Theologia, & functus officio Prouincialis; ex Ordine Sanctissimæ Trinitatis, Petrus de Torres, Magister in sacra Theologia, & Minister in Conuentu Cordubensi; ex Ordine sanctæ Mariæ de Mercede, Ludouicus Mendez de Sotomayor, & Petrus Cangos Ahumada, Studiorum eiusdem familiæ Regentes, Michael de Alcantara, Lector Theologiæ: ex Ordine Minimorum sancti Francisci de Paula, Ioannes Franco, Lector Theologiæ, & Minister Prouincialis. Ex secularibus Doctor Michael del Aguila,

la, Doctor Ferdinandus Rodriguez Yanez, Doctor Petrus Monterus Aguayo, Licentiatus Ioannes Ildefonsus de Vides, Licentiatus Alphonsus Rodriguez de Villarreal, Licentiatus Martinus de Torres. Horum omnium, & plurium aliorum Doctorum ex plurimis alijs Academijs, & sacris Ordinibus plurium vrbium, & Prouinciarum in præmisso tractatu de multiplici probabilitate ad verbum proponentur. Deus Celsitudinem vestram, quod Hispaniæ, & vniuersæ Ecclesiæ vota desiderant, in perpetuum augeat, & fortunet.

Damos licencia se pueda imprimir, en Zaragoça, a 6. de Marzo 1639.

El Dotor Esmir Vic. Gen.

APPROBATIO.

Ex commissione Illustrissimi Domini, Domini Petri Pauli Fernandez de Heredia, & Vrrea, Gubernatoris præsentis Regni Aragoniæ, legi, & perlegi votum hoc Platonis, id est, de examine iusto propositionum; & de primis instantijs, maxime in causis Fidei, quod, & ego præstiti lubens: iam enim pridem habui in votis Votum hoc Platonis; & ita me voti compotem fecit, vt superauerit, & minus mente finxi, quam, quod diuinus iste Plato perfecit. En prodit in lucem iterum, emissum iam ante in alijs Regnis, in vtilitatem communem: Votum Platonis tanquam Lydius lapis vtilissimus Sacræ Fidei Censoribus; vt muneri tanto valeant satisfacere, & vt illud nocturna versent manu, versent diurna. Labor improbus, & Prælo multo, & Doctore eximio, sapientia referto, & de Fide benemerito, licet delitescente sub modio dignus, agendæ gratiæ Doctori Saura Toletanæ Inquisitionis colligenti Comissario, magnæ, fateor: sed maiores Auctori, at Supremo Fidei Hispaniarum Senatui, cui in primo Prælo dicatus, maximæ. Quibus omnibus debitores sumus cuncti. Votum hoc meum de Voto Platonis huius profero, tanquam de forcipe aureo, de auro mundissimo veri Salomonis. In Collegio Cæsar-augustano Societatis Iesu 13. Martij 1639.

Hieronymus Villanoua Societatis Iesu, apud Sacræ Fidei Illustrissimum, & æquissimum Tribunal Aragonum Propositionum Censor.

Don

DON Felipe, por la gracia de Dios Rey de Castilla, de Aragon, de las dos Sicilias, de Ierusalen, &c.

DON Pedro Pablo Fernandez de Heredia y Vrrea, Cauallero mesnadero, del Consejo de su Mageſtad, ſu Gouernador, y Teniente de Capitan General en el preſente Reyno de Aragon, y Preſidente en la Real Audiencia del. Por tenor de las preſentes, de nueſtra cierta ciencia, y por la Real autoridad de que vſamos deliberadamente y conſulta, en nombre de ſu Mageſtad, damos licencia, permiſſo, y facultad a Roberto Duport, mercader de libros, vezino de la preſente Ciudad, para que por tiempo de diez años, contaderos de la data de las preſentes en adelante, pueda imprimir y vender, y hazer imprimir y vender en el preſente Reyno de Aragon, y en qualquiere parte del, vn libro intitulado, *Votum Platonis, de iuſto examine doctrinarum, & de earum probabilitate, & de primis inſtantiis, & aliis recurſibus, præſertim in cauſis Fidei, collectum ex variis opuſculis*, Compueſto por el Dotor Iuan Antonio de Saura, natural de la Villa de Morella, Dioceſis de Teruel, Comiſſario de la Santa Inquiſicion de Toledo, ſin incurrir por ello en pena alguna, por quanto tiene la miſma licencia y aprobacion del Ordinario deſta Ciudad y Dioceſis de Zaragoça, y que auiendolo mandado ver y reconocer, no ſe ha hallado en el coſa contra nueſtra Santa Fe Catolica, y buenas coſtumbres. Prohibiendo, como prohibimos, que durante el ſobredicho tiempo, ninguna otra perſona lo pueda imprimir ſin licencia de ſu Mageſtad, nueſtra, y del que preſidiere en la Real Audiencia del preſente Reyno, ſo pena de mil florines de oro de Aragon, a ſus Reales Cofres aplicaderos, y de que tengan perdidos los moldes de la impreſsion, y los libros que ſe huuieren impreſſo. Por lo qual ordenamos y mandamos à todos los Miniſtros de ſu Mageſtad, mayores y menores, en el preſente Reyno de Aragon conſtituydos, y conſtituyderos, y otras qualeſquiere perſonas, ſugetas a nueſtra juriſdicion, que lo ſobredicho obſeruen, cumplan, y guarden, ſin poner en ello eſtoruo, ni dificultad alguna al dicho Roberto Duport, o a quien ſu poder tuuiere, ſi la gracia de ſu Mageſtad les es cara, y demas de ſu ira, è indignacion, en las penas arriba dichas, y otras a nueſtro arbitrio reſeruadas deſean no incurrir. Y aſsi miſmo mandamos, que la preſente licencia vaya impreſſa en el principio de cada volumen de los que ſe imprimieren. En teſtimonio de lo qual mandamos deſpachar las preſentes en la forma acoſtumbrada, y ſelladas con el ſello comun de ſu Mageſtad. Dat. en Zaragoça, a xviij. de Março M.DC.XXXVIIII.

El Gouernador de Aragon.

V. Hortigas Aſſeſſ.

Dominus Regens Generalis Gubernationis mandauit mihi Balthaſari de Robres, & Loſilla, viſa per Hortigas ordinarium Aſſeſſorem.

EL REY.

POr quanto por parte de vos Pedro Cuello, mercader de libros, vezino de la villa de Madrid, nos fue fecha relacion, que en el nuestro Reyno de Aragon, se auia impresso el libro de que ante los del nuestro Consejo fue hecha presentacion, intitulado: Votũ Platonis, de examine propositionum. Compuesto por el Doctor Iuan Antonio Saura: el qual dicho libro, por ser muy vtil y prouechoso, nos pedistes, y suplicastes, os mandassemos dar licencia para le poder meter en estos nuestros Reynos, y venderle en ellos, ò como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nuestro Consejo, y como en el dicho libro se hizieron las diligencias que la prematica por nos vltimamente fecha sobre la impression de los libros, dispone, fue acordado que deuiamos mandar dar esta nuestra cedula para vos en la dicha razon, è nos lo tuuimos por bien. Por lo qual os damos licencia y facultad, para que por vna vez podais entrar, y meter en estos nuestros Reynos, y vender en ellos los dichos libros que de suso se haze mencion, sin por ello incurrir en pena alguna, no embargante que se ayan impresso en el dicho nuestro Reyno de Aragon, y las leyes y prematicas que lo prohiben, que para en quanto à esto por esta vez dispensamos, quedando en su fuerça y vigor para en lo demas. Con que los que assi se vendieren aya de ser y sea, al precio que por los del nuestro

¶ ¶ Con-

Consejo se tassare: la qual dicha tassa se oya de poner. y ponga al principio de cada vno de los dichos libros, y no se ha de poder vender, ni venda de otra manera. Dada en Madrid a veinte y ocho dias del mes de Mayo de mil y seiscientos y treinta y nueue años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nuestro señor.

Antonio Alossa Rodarte.

Secretario Miguel Fernandez.

Cometiose por los señores del Consejo, para examinarse este libro, al Padre Diego Ramirez Fariñas, de la Compañia de Iesus, Predicador de su Magestad, y Calificador de la Suprema, que le aprouò.

Suma de la Tassa.

Està tassado por los señores del Consejo a cinco marauedis, como mas largamente consta de su original.

INDEX RERVM quæ in hoc opere tractantur.

Non est opus Alphabetico indice pro hoc opere, sufficit breuissimè seriem capitum exponere, cum nulla fiat digressio ad tractationes alias.

IN PROLOGO.

offen-

D3

Ver-

In tractatu de primis instantijs, & alijs recursibus, maximè in causis fidei.

Vtrum

PROLOGVS AD OPVS NOVEM Præludijs constans.

CVM Anno 1635. de quibusdam propositionibus lis versaretur, earum Author sequentia præludia mandata prælo exposuit, vt iuxta leges in illis positas ipsius doctrina examinaretur. Quoniam verò eam impertractauit, opusculo de examine doctrinarum, omnia verò quæ in ijs præludijs dixerat supposuit, visum mihi est ante summariam collectionem loco Prologi hæc prælidia collocare, quæ censurarum gradus, & implexas earum distinctiones, & separationes, & leges pro ipsis requisitas expendit. Nihil in hac re ab eo factum dictumvè est, quod non ex communissima Theologorum sententia ortum habeat. Omitto alios extraordinarios gradus, & nomina censurarum, quæ ab ipso ex iudicijs Ecclesiæ compilantur, quia facilè ad subijciendas species referuntur: verbi gratia: Gregorius XIII anno 1576. quemdam antistitem Ecclesiasticum inquisitum, & accusatũ de hæresi Romæ abiurare, die Sabbati decima quarta mensis Aprilis, vt vehementer suspectum de hæresi præcepit: primò quod super articulis ab Ecclesia diffinitis valdè defectiuè, & ambiguè loqui videretur; deinde, quod de sumptionibus, definitionibus, illusionibus, phrasibus, & locutionibus hæreticorũ vsus fuisset: similiterque assertã Innocentius VIII. retractare iussit Picum Mirandulanum, alijs etiam censurarum vocabulis declarantur, verum tam hæ quam aliæ diuersæ voces, & nomina graduum aut in subijciendis continentur, aut ad subijciendã reducuntur.

PRAELVDIVM PRIMVM.

Modus scribendi recitatiuè, inquisitiuè, dubitatiuè, examinatiuè, præsumptiuè, suspicatiuè, coniecturaliter, frequens apud Philosophos, Patres, & Scholasticos.

HAnc veritatem innumeris testimonijs, & exemplis probat Saura de examine doctrinarum, cap. 1. & 2. Ego autem ex Aristotele, & Augustino summis Philosophiæ, & Theologiç parentibus, & principibus euidenter eandem veritatem sancio. Horum exempla irrefragabiles defensiones sunt plurium, quæ in ijs sex partibus summarijs tabularum de B. Virgine, aut recitatiuè, aut inquisitiuè, aut dubitatiuè, aut examinatiuè producuntur.

Omitto exempla Philosophorum Scepticorum, siue Ephecticorum, qui de singulis controuersijs nihil affirmabant, sed dubitatiuè solum procedebant, quales fuere noui Academici, quorum autor Lacydes, & Cyrenaici, quorum dux erat Aristippus Cyrenæus, imò & Socrates ipse, vt quidam aiunt. De Discipulis Arcesilai, & Pyrrhonijs, de nouis, & medijs Academicis certum est nihil ferè assertiuè, sed omnia, aut pleraque dubitatiuè scripsisse. Referam solum exempla Philosophorum, quos Dogmaticos appellant, quia de rebus affirmant, certaque documenta constituunt, vt Plato, Zeno, Aristoteles, aliique quamplurimi. Quoniam verò omnis ferè Christianorum Philosophia hoc tempore vnius Aristotelis sapientia, decretis, & institutionibus innititur, ex illo dumtaxat adducemus testimonia, & exempla.

Liber problematum Aristotelis in sectiones triginta octo distributus est, de morbis, causis morborum, sudore, vino, venere, labore, sessione, sympathia, rigore, vibicibus, cicatricibus, affectionibus hominum, & animalium, de voce, sono, odoribus, regionibus, Sole, Luna, vmbris, affectionibus quibusdam rerum inanimatarum,

& animatarum, literarum studio, musica, stirpibus, farina, fructibus, mari, aqua salsa, calido, aere, ventis, motu, fortitudine, temperantia, iustitia, prudentia, intelligentia, sapientia, oculis, auribus, sternutatione, dentibus, lingua, ore, tactu, facie, toto corpore, & coloribus, quos mare, & sol immutant: singulæ ex ijs triginta & octo sectionibus in plures alias quæstiones diuiduntur. In nulla definit quid dicendum sit, sed potiùs vult alijs decernendi potestatem relinquere, ipse sola dubitatione contentus, vt propterea libro affixerit titulum Problematum: ergo hæc tractationis ratio inquisitiua, dubitatiua, examinatiua, absque resolutione summi Philosophi exemplo commendatur; nec damnandus est, qui sæpiùs in rebus obscuris simili exemplo plura conscriberet.

In libris physicis, metaphysicis, & politicis frequenter vtitur Aristoteles vocibus ambiguis, & timidis, quæ extremum iudicium, aut firmam sententiam sibi non inesse declarent; *fortasse, an, quasi, tanquam, est autem quod sit, rationabile videtur*: quæ voces suspensum, pauidum, dubitatiuum animum ostendunt.

Libro 2. de cœlo ait interdum sibi sufficere ad scribendum, Ægyptiorum, & Babyloniorum credulitates; quod, vt expendit Scotus in 4. dist. 43. quæst. 2. allegans prædictum locum Aristotelis, frequens est Philosophis.

Proœmio libri Meteororum, diffidentiam, & dubitationem suam in plerisque à se tractandis per quatuor libros Meteororum, ijs verbis declarat; *In ijs aliqua dubitamus, aliqua quodammodo tangimus*: & paulò ante; *Pertranseuntes autem de ijs speculabimur, si quid possumus*.

Idem Aristoteles scripsit libros nonnullos externos, circulares, & figuratos de rebus communibus, & facilioribus: idcirco non adeò exquisita, & exacta methodo euulgauit, quia ita expediret, quòd hominum circulis, & multitudini accommodarentur. Huius generis sunt volumina de historia, & generatione animalium, de Rhetorica, de Arte Poetica, de mirabilibus auditionibus, de virtutibus, & vitijs, & consimiles. In ijs interdum altiori stylo procedens scientifica documenta continet, sæpissimè tum historias, tum alias doctrinas philosophicas more populari tractat, recitatiuè dumtaxat loquens, vel dubitatiuè, vel ex aliorum credulitate.

Plura

Plura exempla ex Aristotele producere potuissem; sed hæc sufficiunt: superest de S. Augustino tractare, cui hæc forma scribendi valde fuit vsitata.

Scripsit libros duodecim de Genesi ad literam, continentes tercentum, & quadraginta nouem capita, de quibus lib. 2. retractationum cap. 24. sic ipse loquitur; *In hoc opere plura quæsita, quàm inuenta sunt; pauciora firmata; cætera verò ita posita, velut adhuc requirenda.* Licebit igitur hanc modestiam Augustini imitari. Quod si ille plusquam ducentis quinquaginta capitibus nihil dicit assertiuè, sed dubitatiuè, inquisitiuè, examinatiuè absque nota; licuit Neoterico cuidam in multo maiori volumine per sexaginta solùm capita similiter scribere.

Idem Augustinus libros triginta tres scripsit contra Faustum Manicheum, de quibus ex verbis ipsius Augustini sic refert Ioannes Turrecremata dist. 15. §. *Ad quartum. Præterea ipse Augustinus contra Faustum loquens, sunt inquit libri, qui non præcipientis autoritate, sed perficientis exercitatione adducuntur à nobis.* Allegat Turrecremata pro eodem instituto Anselmum, & plures alios potuisset allegare; nos tamen nunc solùm vtimur documentis Augustini. In quo, si non damnatur modus scribendi inquisitiuus, & dubitatiuus, per plura capita librorum triginta trium, non erit condemnanda eadem forma tractandi in multo minori numero quæstionum multo maioris voluminis.

Idem præstat S. Augustinus in libris de libero arbitrio, vt ipse fatetur lib. 1. retractationum, cap. 9. ijs verbis; *In ijs libris ita multa disserta sunt, vt incidentes nonnullæ quæstiones, quas vel enodare non poteram, vel longam sermocinationem in præsenti requirebant, ita differrentur, vt ex vtraque parte, vel ex omnibus earundem quæstionum partibus, in quibus non appareb at quid potiùs congrueret veritati, ad hoc tamen ratiocinatio nostra concluderetur, vt quodlibet eorum verum esset, laudandus crederetur, vel etiam ostenderetur Deus.*

Idem Augustinus in quatuor libris de animæ origine tractat illam quæstionem; an anima rationalis immediatè creetur à Deo, an verò ad eius productionem concurrat etiam cum Deo virtus seminis, & parentum: pro qua posteriori parte, sicut toto libro 10. de Genesi ad literam, multa

con-

congeſsit argumenta, quæ non ſoluit, ſed rem totam alijs perpendendam relinquit, ita ſe gerit in libris prædictis de animæ origine, lib. 4. cap. 2. hæc ait. *De origine animarum, quæ poſt primum hominem datæ ſunt, vel dantur hominibus, non ſum auſus aliquid definire, quia fateor me neſcire:* & lib. 2. retractationum, cap. 56. de ijs libris hæc ſcribit: *In ijs autem omnibus, in quibus multa neceſſaria diſſeruntur defendi de origine animarum, quæ ſingulis hominibus dentur, cunctationem meam.* Similiter procedit epiſt. 28. ad Hieronymum, & epiſt. 156.

Idem S. Auguſtinus nouam inuenit ſententiam circa ſeptem dies enumeratos à Moyſe initio Geneſis, quos non temporis duratione, ſed ſolùm ſecundùm differentiam cognitionis Angelicæ diſtinguendos ipſe diſputauit, nullibi ſoluendo argumenta, quæ pro illa ſententia attulit. In lib. 1. & 4. & 5. de Geneſi ad literam, & lib. 11. de ciuit. Dei, cap. 7. & 29. cùm tamen libro illo 1. cap. 8. & 20. & ſuper imperfectum cap. 1. & 2. & alibi profiteatur ſe in ea re nihil definire.

Eodem modo diſputauit illam quæſtionem, an oculus corporeus poſsit ſpiritualiter, vt ipſe ait, eleuari ad videndam diuinam eſſentiam: in qua quæſtione profitetur ſe nihil velle definire. Videatur lib. 22. de Ciuitate Dei, cap. 22. & epiſtola 111. Nemo tamen hactenus formam hanc ſcribendi damnauit in Auguſtino. Turrecremata in diſtinctione 9. cap. *Ego ſolis*, hæc vt certiſsima ſtatuit. *Quintuplex modus reperitur, quibus ſanctos Doctores fuiſſe loquutos experimur: vnus eſt inquiſitiuus, ſcilicet diſputando; ſecundus eſt reprobatiuus, ſcilicet aliorum opiniones reprobando; tertius recitatiuus, opiniones aliorum recitando; quartus eſt retractatiuus, vt Auguſtini in libro retractationum; quintus eſt aſſertiuus, vt cùm aliquid diffinitè aſſerunt, vel affirmant aliquid*: hanc veritatem illuſtrat argumentis, & exemplis. Modus igitur recitatiuè, inquiſitiuè, dubitatiuè ſcribendi familiaris eſt Auguſtino, & Patribus: nec vllum incommodum eſt, quòd in ijs tabulis plura inquiſitiuè, examinatiuè, dubitatiuè, recitatiuè proponantur. Hoc ſanè conſilio Doctor Antonius Saura, in tractatu de primis inſtantijs, & remiſsionibus, etiam probabiles opiniones in materijs iuriſdictio-

dictionalibus aut recitatiuè, aut examinatiuè, aut suspensiuè proposuit, vt ex earum recitatione, & examine cæteri diligentiùs, & vberiùs quæstiones penetrarent: interdum in rebus latissimis, & Apostolicarum literarum, & Conciliorum approbatione munitis, ipse sola fuit recitatione contentus.

Prædicta doctrina alia via confirmanda est, simulque declarandæ particulæ nonnullæ, quæ dubiam, & vacillantem sententiam consignant.

Primò, quoties Doctores suam mentem exprimunt per verbum *videtur*, nihil enuntiant assertiuè, sed dubitatiuè, aut examinatiuè tantùm proponunt, vt ait Cano libro octauo cap. 5. & suadetur ex l. 2. ff. de pactis, l. si Chirographum, & l. qui testamentum, in fine, ff. de probationibus.

Secundò, quæ dicuntur per verbum *arbitror*, dubitatiuè solùm scribuntur, aut declarantur, id est coniecturaliter, aut præsumptiuè, absque vlla assertione, ex l. si hominem, in principio, ff. depositum, ideò Plautus in Pœn. *Perij certo, haud arbitrario*, id est non dubiè: Tullius de Diuinatione, vt vacillantem se ostenderet, ait; *Hæc, vt ego arbitror, veteres rerum magis euentis moniti, quàm ratione docti probauere.*

Tertiò dubitantem animum ostendunt quæ efferuntur verbis *existimo*, aut *æstimo*, iuxta l. Diuus, ff. de in integ. restit. vbi glossa in verb. existimari; & ibi Bartholus num. 3. ita expressè Tullius lib. de Oratore; *Potiùs acturos vt existimatores videamur loqui, non magistri*; quia docens vt magister, constanter loquitur; existimator, timidè solùm, & vt ipse putat, & existimat.

Quartò, verba illa, & nomina, quibus dicũt se *coniectare, præsumere, duci coniecturis, signis, aut præsumptionibus*, manifestè declarant non eos assertiuè loqui, sed dubitatiuè, aut timidè. Sic habetur l. vnica, vbi glossa, ff. si tab. testam. nullæ ex tab. l. cum auus, vbi Socinus num. 70. ff. de condit. & demon. & sic loquitur Vlpianus, cùm aliquid non audet affirmare, vt in l. Quòd si nolit, §. qui mancipia, ff. de ædil. edict.

Quintò, verba illa, quibus Autores dicunt se credere, aut credulitate duci, aut credibiliter loqui in ijs, quæ ad religionẽ Cathol. non pertinent, exprimunt se dubios esse, aut

vacil-

vacillanter aliquid proponere. Ita Curtius Iunior conf. 4. num. 15. versic. ex præmissis; Imola in l. 1. §. sed si ex fundo; & probatur ex l. conficiuntur in principio, ff. de iure codic. Ipse Aristoteles lib. 2. de cœlo, cùm ait se duci credulitatibus Ægyptiorum, & Babyloniorum, monstrat se loqui dubitatiuè.

Sextò, verba illa, quibus Doctores aiunt se *intelligere*, vel *animo concipere*, declarant se nihil asserere, sed dubitare, aut per suspiciones, & præsumptiones in partem aliquam inclinare absque vllo assensu. Sic Aretinus in l. iam hoc iure, ff. de vulg. & pup. substit. Albericus in suo dictionario, verbo *videtur*, & probatur ex l. si paterfamilias Titium, ff. de hæred. instit. iuncta lege cùm proponas, C. eodem. Nam ijs locutionibus docent se priuatum sensum, & intelligentiam cum timore proponere.

Septimò particulæ formidolosæ, *an, forsan, fortasis*, & similes aliæ ostendunt, nihil dici ab Autoribus assertiue, sed dubitanter: quod Aristoteli valde esse familiare diximus suprà, & res est certa, atque perspicua.

Octauò, verba quæ per subiunctiuum exponunt proprium sensum, qualia sunt, *dicerem, affirmarem, iudicarem*, cùm non absolute propositionem enuntient, & formidolosum animum declarent, non habent vim asserendi, nec opinandi, vt notum est: nam quemadmodum verbum *vellem* non habet voluntatis consensum, sic nec verbum *dicerem*, aut *affirmarem* habet intellectus consensum.

Nono, cùm in operis, aut tractatus initio, progressu, aut fine dicitur ab Autoribus, quæstionem esse valde implexam, & difficilem, nec pro eius decisione argumenta succurrere, si postea in aliquam partem inclinant, non id præstant per assensum opinionis, sed per inclinationem suspicionis, aut præsumptionis, absque vllo assensu, quemadmodum constat ex duodecim libris S. Augustini de Genesi ad literam, & ex pluribus capitibus librorum triginta trium contra Faustum, & alijs plurimis.

Decimò, plerumque cùm à Doctoribus dicitur aliquid esse rationabile, vel rationabilius, vt sæpissime loquitur Aristoteles, nullum habent opinionis assensum.

Ex quibus omnibus fit primò, nihil ex ijs, quæ proponuntur in ijs tabulis recitatiuè, dubitatiuè, examinatiuè, præ-

præsumptiuè, suspicatiuè, coniecturaliter, inquisitiuè, vllam posse mereri censuram Theologicam, etiamsi altera pars absolutè dicta eam mereretur. Secundò, nihil præstari in hoc modo scribendi, quod familiare non sit Patribus, Theologis, Philosophis, & Iuris Professoribus. Tertiò, allegari sæpe ad faciendam opinionem probabilem ab auctoritate extrinseca plura testimonia, quæ quia vacillanter proposita, non firmant sensum opinionis, nec fundant probabilitatem.

PRÆLVDIVM SECVNDVM.

Quæ scribuntur inquisitiuè, examinatiuè, dubitatiuè, præsumptiuè, suspicatiuè, recitatiuè solùm, in controuersijs, quæ primariò, nec secundariò tangunt fidem, nullam Theologicam censuram merentur, etsi altera pars absolutè, & assertiuè prolata grauiorem notam mereretur.

HÆc doctrina tot, & tam grauibus testimonijs, & argumentis manifestè conuincitur, & persuadetur à Doctore Antonio Saura, de examine doctrinarum, cap. 1. & 2. vt nihil nobis addendum supersit. Illam suprema Inquisitio Hispaniarum, & sacra Congregatio de Indice, authenticè suo exemplo, & praxi comprobauit, vt prædicto primo capite idem Saura demonstrat. Ex illustrissima familia Prædicatorum hunc sensum stabilierunt Melchior Canus libro 12. de locis, cap. 11. Sixtus Senensis libro 6. annot. 81. Turrecremata dist. 9. cap. *ego solis*, & alij innumeri: ex Minoritis Corduba libro 1. quæst. 17. Castro lib. 1. de iusta hæreticorum punitione, cap. 3. & plures alij, quibus subscribit Simancas de hæreticis cap. 52. Huius veritatis euidens probatio desumitur ex Patrum, & Scholasticorum exemplo; qui ideò sæpissimè inquisitiuè, examinatiuè,

natiuè, dubitatiuè, recitatiuè solùm scripsere, ne peccarent, aut errarent. Ergo in similibus controuersijs, quas non omnes mediocriter docti scire tenentur, nullum est peccatum, aut error, ac propterea nulla censura Theologica debita contra eos, qui dubitatiuè, aut examinatiuè absque resolutione differunt, neque contra eorum scripta.

Ex hoc principio notum est, nihil ex ijs, quæ in sequentibus tabulis de B. Virgine dicuntur, recitatiuè, aut examinatiuè, aut inquisitiuè, aut dubitatiuè solum, vllam mereri Theologicam censuram, licèt absolutè, & assertiuè dictum alicui notæ Theologicæ obnoxium esset. Illustratur hæc veritas testimonio Gersonis, tomo 1. de examine doctrinarũ, considerat. 3. cuius verba commentabimur; *Aliquæ sunt doctrinæ palam hæreticales apud omnes.* Nulla ex ijs aut recitatur, aut sub dubio proponitur in ijs tabulis, vt notum est. *Aliæ dubiæ simplicibus, sed manifestæ sapientibus, & peritis.* Nulla similis exhibetur in ijs tabulis sub dubio; cum singulæ ex doctrinis relatis sint Doctorum sapientissimorum, pluribus seculis sine scandalo, & offensione permissæ: & dando gratis, quòd nonnullis sapientibus, & peritis esset manifesta ipsarum temeritas, cum alij sapientissimi ita opinentur, non potest censura Theologica inuri, iuxta omnium sententiam, quando solum dubitatiuè, aut examinatiuè, aut recitatiuè scribuntur, quemadmodum superius allata, & ab Antonio Saura allegata demonstrant. Addit Gerson: *Tertiæ, veluti neutra, habentes pro se Doctores rationibus ad vtramque partem probabilibus, nec in vna tantùm Diœcesi, vel paucis, sed apud omnes Christianos, aut longè plurimos.* Id si habent singulæ doctrinæ sub dubio, aut examinatiuè, aut recitatiuè, aut inquisitiuè, aut præsumptiuè, aut suspicatiuè, aut coniecturaliter proponendæ, verum erit quod subdit Gerson, non posse eas vlla censura condemnari. Qui aliter in similibus fecerit, vsurpabit sibi officium Conciliorum generalium, & Cathedræ Apostolicæ.

PRÆLVDIVM TERTIVM.

Non sufficit ad condemnandum doctrinam probabilis illatio ex Scripturis, Concilijs, Decretalibus, & vnanimi sensu Patrum, vel Scholasticorum, si non sit euidens, vel necessaria, vel manifesta consequentia.

HÆc doctrina recepta est ab omnibus non solùm sapientibus, sed etiam mediocriter eruditis: nam variæ, & contrariæ opiniones sæpissimè à sacris expositoribus, Theologis, & Iuris Professoribus probabiliter deducuntur ex Scripturis, Decretalibus, Concilijs, Iure canonico, & vnanimi sensu Patrum, & Scholasticorum, quarum singulæ sunt probabiles, etiamsi contrariæ, aut contradictoriæ sint: ergo illatio, qua conuincatur propositionem aliquam esse contra Scripturam, Decretales, Concilia, Ius canonicum, aut vnanimem sensum Patrum, vel Scholasticorum, debet esse manifesta, & euidens. Declaratur, & confirmatur, quia opinio habens pro se graues Autores & fundamenta, est absolutè probabilis, si non obstet aliqua reuelatio diuina, aut pondus irrefragabilis autoritatis; sed quod probabiliter solùm infertur, sine euidenti, aut necessaria connexione, non est fide diuina reuelatum, nec connexum cum eisdem reuelatis necessariò, & manifestè: ergo similes illationes, quantumuis verisimiles, & probabiles, non tollunt oppositæ doctrinæ probabilitatem. Prima propositio est certa, secunda indubitata: nam doctrina, quæ solùm probabiliter elicitur ex Scriptura, Concilijs, Decretalibus, Iure canonico, aut vnanimi sententia Scholasticorum, vel Patrũ non habet altiorem gradum, quàm probabilitatis, cum conclusio sequatur debiliorem partem, sed quod non excedit metas probabilitatis, nec de fide est, nec inconcussam certitudinem attingit: ergo similes doctrinæ manent intra limites dumtaxat opinionis probabilis. Ex quo fit, ad condemnandum propositiones Doctorum, quæ in sequentibus tabulis producuntur, non sufficere illationem probabilem contra ipsas, ex Scripturis, Concilijs, Iure canonico,

vnanimi sensu Patrum, vel Scholasticorum, nisi illa sit necessaria, aut euidens, & quæ à viro mediocriter docto, nec à sapientissimis negari queat.

PRÆLVDIVM QVARTVM.

Quid necessarium sit, ad probandum propositionem aliquam ex proponendis recitatiuè, aut dubitatiuè, aut inquisitiue, aut examinatiuè, aut præsumptiuè, aut suspicatiuè, aut coniecturaliter esse hæreticam, aut erroneam, si absolutè, & assertiuè proferatur.

SVppono ex præludio 1. & 2. & ex dictis à Doctore Saura de exam. doctr. c. 1. & 2. propositiones dubitatiuas referendas sequentibus tabulis non mereri censuram: sed scrutari oportet, si assertiuè, & constanter dicerentur, qua ratione probandum esset, illas fore hæreticas, aut erroneas: & ex quibus locis Theologicis desumenda sint argumenta, ad conuincendum prædictam notam illis deberi.

Ad prædictam probationem necesse est, vt ea propositio, quæ hæresis, aut erroris notam incurrit, opponatur expresse aut sacræ Scripturæ, aut traditioni Apostolicæ, aut autoritati vniuersalis Ecclesiæ, aut determinationi cathedrali Pontificis summi, quæ iudicialis dumtaxat non sit, aut definitioni Concilij generalis, vel non generalis, quod confirmationem habeat è cathedra Pontificia Romana, aut saltem debet opponi manifestè, & irrefragabiliter conclusioni manifestè, & irrefragabiliter per necessariam consequentiam illatæ ex præmissis quinque locis. De hac thesi fusè tractarunt, aut ab alijs tractata supposuerunt Ioachimus Perionius in libris topicorum Theologicorum, Salmeron tomo 1. & 8. Valentia lib. 1. controu. In analysi Christianæ fidei, & 1. p. q. 1. puncto 5. Gill. lib. 1. tract. 7. Torres in selectis, op usc

opusc. 1. Melchior Canus integro volumine, Gabriel Vazquez 1. p. disp. 12. interpretes D. Thom. 1. p. art. 8. cum Molina, Bannez, Zumel, Nazario, Thoma Pio, Arrubale, Machino, & alijs vniuersaliter tractantibus de locis Theologicis. Quanquam verò circa definitionem loci argumentatiui diuersas adhibeant descriptiones Arist. 2. Rhetor. cap. 22. & vltimo apud Trapezuntium; Carolus Sigonius ibidem, Alexander 1. Top. Theophrastus lib 5. de differentijs; Marcus Tullius in Topicis, & lib. 2. de Oratore; Boethius lib. 2. de differentijs topicis; Rudolphus Agricola lib. 1. de inuentione, cap. 2. Montanesius de principijs Theologiæ, in sexto prænoscendo, cap. 2. & plures alij: verùm re ipsa conueniũt loca argumentorum appellantes, elementa, sedes, communes notas, promptuaria, domicilia, receptacula, in quibus argumenta latent, & è quibus erui debent: quare Theologici loci erunt sedès, & domicilia, vnde Theologica argumenta sumuntur ad Theologicam quæstionem decidendam.

Vt probetur aliquam propositionem esse hæreticam, aut erroneam, debet esse prædicta oppositio verbi Dei scripti, aut traditionis Ecclesiæ, aut communis consensus vniuersalis Ecclesiæ, aut definitionis Pontificiæ, aut Concilij à Pontifice confirmati. Hi sunt loci à diuina autoritate desumpti: singulos illorum percurremus; siue alter alterum includat, siue non: nolo enim pro re tanta de nimia subtilitate diuisionum, & distinctionum esse solicitus, cùm de re ipsa constet.

De primo loco, quod est scriptum Dei verbum, latè differunt sacræ Scripturæ expositores, & Scholastici Theologi 2. 2. quæst. 1. art. 10. & hi, qui contra hæreticos scripserunt. Salmeron tom. 1. Prolegom. 1. & 2. & tom. 8. tract. 1. & 2. Driedo lib. 1. de catalogo sacræ Scripturæ; Sixtus Senensis lib. 1. Bibliothecæ; Bellarminius tomo 1. lib. de verbo Dei; Petrus Martinez in libris hypothipoſeon Theologicarum; Canus libro 2. de locis; Medina libro 6. de recta in Deum fide; Castro libro 1. aduersus hæreses, cap. 2. Rugerius opusculo de libris canonicis; Galarza libro 4. institutionum Euangelicarum; Bannes 1. part. quæst. 1. artic. 8. G[illegible] lius lib. 1. tractatu 7. cap. 1. Torres 2. 2. quæst. 1. art. 10. disputatione 21. Suarez disputatione 4. de fide, sect. 3. distinctiùs Se[illegible]arius in Prolegomenis Biblicis. Si verba Scripturæ

turæ per se clara sunt, & euidentia, si consequentia euidens sit, argumentum infallibilem veritatem continet: aut non sunt clara, & expressa, sed summus Pontifex, aut generale Concilium ita declarat, aut certè omnes Doctores Ecclesię eodem modo aliquem locum interpretantur, & tunc idem est dicendum; aut ex ijs solùm, quæ in S. Scriptura habentur, aliqua veritas euidenter deducitur, quemadmodum ex eo quòd Scriptura dicit Iesum esse verum hominem, sequitur esse risibilem, & tunc etiam argumentum est firmum, & Theologicum; at si consequentia euidens non esset, sed probabilis tantùm, argumentum solùm erit probabile, vt in proximè antecedenti præludio conuincitur.

Secundus Theologiæ locus à Dei traditionibus, & Christi Domini, firmissimus est, cùm Dei verbum cōtineat, non scriptum, sed viuæ vocis oraculo à Christo ad nos per Apostolos deriuatum: quare diuinam eandem auctoritatem continet, quam primus, vt ex Tridentino liquet, sess. 4. initio ex æquo eos damnante, qui canonicos libros non susceperint, & traditiones contēpserint; & ex ipso ex æquo vtriusq; auctoritatem recognoscente, & ex Patribus, qui docent æqualis esse auctoritatis, ac diuinæ Scripturæ, vt ex Basilio, & Chrysostomo docet Stapleton. c. 6. Et ratio est, quia tam traditio, quàm diuina Scriptura formali, & immediata Dei reuelatione nituntur, ac proinde æquè infallibilis sunt veritatis; monet tamen Canus lib. 3. de locis, cap. 3. in 4. fundamento contra hereticos, multò fortius argumentum ex traditionibus sumi, quàm ex sacra Scriptura, quia hanc extortis, & falsis peruertunt interpretationibus: vnde Tertull. libro aduersus Hermogen. cap. 19. *Hæreticis mos est etiam simplicia Scripturarum verba torquere*: at traditiones cùm sint communi sanctorum attestatione, & Ecclesiæ vsu comprobatę, ita abuti non possunt, nec in prauum sensum traducere. Sed de his, & alijs ad traditiones spectantibus latè Driedo lib. 4 de dogmat. Lindanus 5. libris, quos Panoplia inscripsit, & Ayala de traditionibus, Castro lib. 1. aduersus hęreses, cap. 5. Canus lib. 3. de locis, Stapletonius controuers. 7. Salmeron tom. 8. tractatu 2. vbi de traditionum multiplici vtilitate, Bellarm. tom. 1. lib. 4. de verbo Dei nō scripto, & plerique alij, quos refert cap. 1. Torres 2. 2. disp. 20, Gillius lib. 1. tract. 7. cap. 8.

Sed

Sed si quispiam quęrat, qua ratione cognosci possit aliquid ex Apostolica traditione haberi; Canus lib. 3. cap. 4. quatuor tradit regulas, & totidem Ludouic. Carbo lib. 5. introduct. in Theologiam, cap. 4. Gillius in illo cap. 8. n. 7. tres; Bellarminus libro 4. citato, cap. 9. quinque: alij plures, pauciores alij. Nunc & hic satis hęc esse potest, si aliquid ad fidem, vel mores pertinens ab Ecclesia tradatur, cuius vsque ad Apostolorum tempora nullum reperiatur initium, Apostolica traditio id censeatur. Sed quę ea est Ecclesia? ea, quę sub Romano Pontifice est congregata. Itaque si generale Concilium sub Romano Pontifice, vel concors Doctorum sententia sub eodem capite aliqua de fide tradunt, & moribus, cuius traditionis nullum inueniatur initium, à Christo Domino Apostolos accepisse credendum est, licèt à nullo Scriptore sacro mandatum literis sit. Atque ita Concilium Tridentinum, sess. 5. in decreto de originali peccato, ex traditione definit paruulos esse baptizandos in peccatorum remissionem; & sess. 14. cap. 1. ex traditione interpretatur, de Extremę vnctionis sacramento, verba illa Iacobi 5. *Vngentes eum oleo in nomine Domini*, sess. 23. cap. 1. & 3. vt alia prętermittam. Ex traditione Scripturę coniuncta, deducit aliqua ad Sacerdotium spectantia, ac ad sacram ordinationem. Ex qua regula constat ea, quam tradit sanctus Augustinus lib. 2. de Baptismo, contra Donatistas capite 7. & libro 4. capite 24. scilicet, quando aliquid tanquam fidei dogma in Ecclesia celebratur, & in sacris literis non habetur, Apostolica est traditio: verbi gratia, vt baptizentur infantes, distincti gradus sacrorum Ordinum, Quadragesimę obseruatio. Constaut etiam alia, quoad vsum: scilicet, quando aliquid fieri in Ecclesia videmus, ad quod extendi non potest humana auctoritas, illud est ex traditione: verbi gratia, quòd Ecclesia dispenset circa simplex votum, & iuramentum, quòd matrimonium non consummatum soluatur per votum solenne. Nam sanctus Hieronymus libro 1. contra Iouinianum, refert hanc consuetudinem ad ipsum Christum; & sanctus Epiphanius hęresi 78. & denique quando aliquid asseritur esse traditio, vel à tota Ecclesia, vel à generali Concilio, vel ab omnibus Patribus, quemadmodum in septima Synodo, act. 7. sanctarum imaginum veneratio dicitur esse Apostolica traditio; & similes: cõmuni

Ecclesiæ voce symbolum, quod recitamus, dicitur esse Apostolorum. Nec non etiam, quando à Patribus habentur, vt hæretici, qui dogma aliquod negant, quod in sacris literis non continetur, illud enim erit traditio, exempli gratia, quod Beatissima Virgo semper manserit Virgo, non constat ex sacris literis, & tamen Heluidiani id inficiantes, semper reputati sunt hæretici.

Igitur, vt propositio aliqua ex referendis, & proponendis in sequentibus tabulis dicatur opposita veritati per traditionem constanti, necessaria sunt nonnulla. Primo, vt côuincatur esse de ea re traditionem, cuius initium ad Apostolos, vsque non inueniatur. Secundo, vt de traditione constet, saltem ex testimonijs Patrum, & Historicorum, vel fidelium, nemine discrepante, aut paucissimis reclamantibus. Tertio, vt propositio similis euidenter, aut necessario contradicat traditioni prædictæ, aut conclusioni, quæ euidenter, vel manifestè, & necessario inferatur, ex traditione præmissa. Quarta, vt constet de sensu legitimo traditionis: v.g. nam exemplorum non requiritur veritas: si esset traditio Christû ex lassitudine itinerum, & temporum feruore sudasse; manebat dubium, de qua specie sudoris esset traditio; nam est sudor aquosus ex debilitate virtutis conuersiuæ, & superfluitate nimia corporis vitioso succo referti; & est sudor corporis perfectissimi similis in specie externa, sed valdè dissimilis in materia, quia solum sudatur nobilissima humiditas. Posset quis traditionem ita explanare, vt Christo non infuerit sudor primi generis, qui ex omnium Scholasticorum sententia in Paradyso non esset, fuerit tamen in ipso sudor secundi generis, qui statui innocentiæ conuenire potuisset, si ex singulari mandato Dei Adamus ante peccatum nimium lassaretur. Quinto, si traditio sit particularis ex ea solum sumitur argumentum probabile.

Tertius locus est ab authoritate Ecclesiæ; nomine Ecclesiæ intelligimus fidelium congregationem, sub Christi Vicario Summo Pontifice. Hæc autem Ecclesia infallibilem declarandi habet authoritatem, v.g. quæ sacra Scriptura habenda sit, quis eius legitimus sensus, & quæ sint diuinæ traditiones, ac similia; hæc autem Ecclesiæ necessaria omnino fuit authoritas; cum enim Dei verbum, tam scriptum, quàm non scriptum, non rectè ab omnibus intelligatur, sed hæreti-

ci

cî illud peruertant, & vt egregiè dixit Martinus Papa in Concilio Lateranensi, consultatione 3. *Ipsis paternis doctrinis abutuntur, &c.* Necesse fuit, vt Deus suæ Ecclesiæ eam impertiretur, quã diximus potestatem: id non meliùs quam verbis Vincentij Lirinensis, in libello contra prophanas nouitates exponemus, vbi ita ait: *Hic forsitan requirat aliquis cum sit perfectus Scripturarum Canon, quid opus est, vt ei Ecclesiasticæ intelligentiæ iungatur authoritas? Quia videlicet Scripturam sacram, pro ipsa sui altitudine, non vno, eodemque sensu omnes accipiunt, sed eadem eloquia aliter, atque aliter alius, atque alius interpretatur, vt penè quot homines sunt, tot illic sententiæ erui posse videantur. Atque idcircò multum necesse est propter tantos tam varij erroris anfractus, vt Prophetica, & Apostolicæ interpretationis linea secundum Ecclesiastici sensus normam dirigatur.* Quid expressiùs? hæc autem est vniuersalis Ecclesiæ authoritas, cuius iudicium in rebus fidei, & morum est infallibile, *Cùm sit colũna, & firmamentum veritatis*, ex Paulo 1. ad Timoth. 3. id autem non esset, sed potius omni doctrinæ vento fluctuaret, si exposita fuisset erroribus ad fidei substantiam, & morum attinentibus. Ad hunc autem locum ex Ecclesiæ authoritate non pertinet Summi Pontificis, aut generalis Concilij decretum, hoc enim ad speciales infallibilis, etiam authoritatis locos spectat, de quibus continuò dicemus: sed concors Patrum sententia de rebus fidei, aut morum sub Romanô Pontifice, etiamsi illi in Concilio congregati non sint.

Nec opus est vt omnes fideles ad res fidei declarandas conueniant, sed satis est concors Doctorum Ecclesiæ sentẽtia seorsim illam asserentium, aut scribentium, cùm enim apud eos tota Ecclesiæ doctrina resideat (idiotæ enim tantùm præcipua fidei capita scire tenentur) à Doctoribus, & Ecclesiæ Pastoribus, non ab idiotis eius doctrina petenda est, de quo plura Canus, lib. 2. de locis, cap. 4. contra quem Vvaldensem defendit Stapletonius, vbi sup. cap. vlt. & cum eo Gillius lib. 1. tract. 7. cap. 9. sed conciliari facilè possunt, quia ad ea quæ vulgus nouit, eius consensus coniunctus Ecclesiæ Pastoribus, & Doctoribus iuuare potest, quia non ideò tribuitur Laicis iudicandi de fidei rebus authoritas, sed testimonium vt ipse Canus fatetur, ibidem conclus. 1. 2. 3. & ex Augustino lib. 1. contra Iulianum, cap. 2. ad finem argumen-

mentum contra Pelagianos, ex populi consensu sumente, Gillius probat. Nam vnanimis vulgi consensus ex Pastorum doctrina prouenit, vt clarum est; quoad ea verò, quæ superāt vulgi captum, satis est communis Ecclesiæ Pastorum consensus. Nec dissentit Stapletonius, & rectè probat Gillius, tum ex eo, quod in Ecclesia est depositum, siue Catholicæ veritatis thesaurus, vt ait S. Irenæus, lib. 3. cap. 4. hoc autem depositum non extat apud imperitum vulgus, & eius ignarum, ergo apud Pastores, & Doctores, vt indicat Paulus 1. ad Timoth. 6. *O Timothee depositum custodi*. Quare cum omnes Pastores, & Doctores in idem conueniunt, irrefragabile argumentum est apud Theologum; tum quia. Concilium Ephesinum in epistola ad Nestorium ei præcipit; vt iuret sentire se, quæ vniuersi Episcopi per Orientem, & Occidentem crederent, quia ipsi, vtpotè capita, & Doctores populorum, sunt vie totius Ecclesiæ, quam in his errare est impossibile; & de Niceno Concilio scriptum reliquit Theodoretus, in Beati Iacobi Nisibensis Episcopi vita: *Obtinuit illa, quæ per vniuersum orbem vicerat, ac diuulgata fuerat Fidei confessio*. Si ergo illi consentiunt, Ecclesia procul dubio consentit, cum eius authoritas in his Authoribus, vt in potissima parte continéatur. Quare Tridentinum, ses. 13. cap. 5. & 6. ex communi Ecclesiæ vsu definit, Eucharistiæ Sacramentum latriæ cultu adorandum, & asseruandum in Sacrario, & ses. 14. cap. 5. necessitatem Sacramentalis confessionis ex vniuersalis Ecclesiæ sensu decernit, sed de ijs hæc fusiùs, & alia præterea Authores tractant; præsertim Canus lib. 4. de locis, Victoria relect. 1. & 2. Salmeron, tom. 8. tract. 2. Bellarmin. tom. 1. disp. 4. generali, lib. 3. & 4. de Ecclesia, in cuius cap. 5. libro 3. multos refert, qui de ea scripserunt Torres 2. 2. disput. 14.

Ad hoc caput reuocatur communis Patrum sententia, quam certum, & infallibile Theologis argumentum præstare, cum de Fidei veritate testificatur, probat Waldensis lib. 2. doctrinalis Fidei, cap. 25. Driedo lib. 2. de script. cap. 3. Horantius lib. 5. Catholicorum locorum, cap. 3. Canus lib. 7. de locis, cap. 3. conclus. 6. Castro lib. 1. aduersus hæreses, c. 7. Bañez 1. p. art. 8. dub. 5. conclus. 4. Salmeron tomo 8. tract. 2. dum tractat locum sextum Theologicum; Concilia enim in Fidei rebus Sanctorum authoritates sequuntur, vnde

in

in Concilio Chalcedonensi acclamatur, *Haec fides Patrum*; & alibi in eodem Concilio dicitur Catholica fides ab ipsa Synodo, quæ secundùm sanctorum Patrum interpretationem declaratur. Similiter in Concilio Viennensi, & in Niceno II. in 6. Synodo generali, & alijs, & in epistola Ephesini Concilij ad Nestorium, præcipitur illi, vt iuret se sentire quæ vniuersi Episcopi per Orientem, & Occidentē crederent. Probat ratione Castro, quia Patres per orbem dispersi vniuersam Ecclesiam constituunt, sicut congregati: congregatio enim parum ad id facit; sed in Concilio congregati de communi consensu aliquid statuentes, infallibile præbēt argumentum, ergo & dispersi. Gillius lib. 1. tract. 7. cap. 13. n. 9. ait id esse omnino certum, si loquamur de sententia omnium Patrum ab initio nascentis Ecclesiæ, vsque ad nostra tempora, aut etiam omnium huius, vel alterius sæculi, cùm Ecclesia sit, vti diximus, columna, & firmamentum veritatis, 1. ad Timoth. 3. & plebis fides sit Præsulum fides. Quare si illi omnes, vel omnes vnius sæculi errare possent, Ecclesia etiam errare posset; & non esset columna, & firmamentum veritatis; aliam verò rationem esse de Patribus, qui scripserunt, ostendit Gillius vbi suprà; quia omnes Patres, qui scripserunt simul sumpti, nec modo, cùm de corpore militantis Ecclesiæ non sint, nec vnquam, cùm simul non vixerint, totam Ecclesiam constituebant, aut repræsentabant. Nihilominus certum est, communem Patrum, sacræ Scripturæ, & dogmatis in ea fundati interpretationem irrefragabile fidei argumentum continere à posteriori, & à signo, vt ostendunt Stapletonius controuersia 6. lib. 11. cap. 5. Canus lib. 7. de locis, cap. 3. conclus. 5. & Bañez in art. 8. dub. 5. conclus. 4. & Gillius suprà: addit tamen communem Patrum de rebus fidei consensum, etiam absque Scripturæ testimonio esse argumentum plusquàm moraliter certum, ac fidei proximum, quatenus eius verbis innititur, vt ibi fusè probat: nā quatenus interpretantur Scripturæ sensum, vel quasi testes fidei successionem in Ecclesia protestantur, doctrinam fidei continent. Quicunque ex hoc loco probare voluerit aliquam propositionem in tabulis examinatiuè, aut recitatiuè propositam, esse hæreticam, aut erroneam, debet conuincere, esse manifestè oppositam communi sententiæ

Patrum, & omnium Doctorum Catholicorum ; aut conclusioni inde euidenter, vel necessariò illatæ. Secundò illum conuincere oportet, materiam de qua propositio tractat, esse de pertinentibus ad fidem, & Patres, ac Doctores ita sentire: interdum enim plures conueniunt in re aliqua ad fidei dogmata non pertinente, vt quòd sit Phœnix, cùm tamen incerta sit doctrina, quia est de rebus extra fidem sitis, à credulitatibus dependens.

Sed ad maiorem eorum, quæ diximus, explicationem, duplex Ecclesiæ auctoritas distingui potest: humana est vna, de qua Augustinus libro contra epistolam fundamenti, c. 4. numerans ea, quæ ipsum in Ecclesia conseruabant, nimirum sapientiam (inquit) Doctorum Ecclesiæ, consensionem popularem, vim miraculorum, antiquitatem, & perpetuam successionem, & similia, quæ congregat, Ecclesiæ summam, humanam tamen tribuunt auctoritatem. Et de hoc hic non agimus: nam motiua illa, quæ tantam nobis Ecclesiæ auctoritatem conciliant, faciunt quidem Ecclesiæ doctrinam euidenter credibilem, eamque sufficienter proponunt, vt credatur propter Dei auctoritatem; per se autem non probant formalem, & infallibilem credendi rationem. Altera Ecclesiæ auctoritas diuina potiùs est, quàm humana, ratione cuius Paulus ait 1. ad Timoth. 3. Ecclesiam esse columnam, & firmamentum veritatis; & Christus Dominus Matthæi 16. *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam*: & Augustinus in illo libro contra epistolam fundamenti, cap. 5. *Euangelio non crederem, nisi me auctoritas Ecclesiæ commoueret*: & Leo Papa serm. 2 de Ascensione, ibi; *cuius auctoritatem supernis illuminata radijs corda sequerentur*: & alij, de quibus suprà mentionem fecimus: & hoc modo Ecclesia accepta est infallibilis regula nostræ fidei, & ex ea infallibile accipitur argumentum, vt iam ostendimus, & ad hunc Theologiæ locum pertinet: id enim totum habet, quatenus instrumentum est, ac veluti organum, per quod Spiritus sanctus loquitur, sicut de sacra Scriptura infallibilem fidei regulam esse diximus, quia, vt ait S. Petrus epistola 2. cap. 1. *Spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines*: & Actor. 15. Apostoli, *visum est Spiritui sancto, & nobis*: Vnde Suarez de fide, disputatione 4. sect. 2. num. 5. *Si Patres*, ait, *conueniunt*

asserendo rem esse de fide, semper applicabunt aliquam fidei regulam, cuius ipsi sunt quasi testes, & ratione illius faciunt certam fidem, &c.

Quartus locus est à summi Pontificis auctoritate: nam cum Summus Pontifex Ecclesiæ caput sit, Christique Vicarius, ac Petri successor, post locum ab Ecclesiæ auctoritate sub eo capite, de ipso capite per se considerato dicendum restat, de quo certum est in ijs errare non posse, quæ ad fidem, & mores pertinent, vt constat ex illo Lucæ 22. *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*: ita enim hunc locum intelligunt Felix Papa primus, in epistola ad Benignum. Leo item primus sermone 3. de assumptione ad Pontificatum, Agatho epistola ad Constantinum Imperatorem, quæ habetur 8. Synodo, actione 4. Nicolaus primus, epistola ad Michaelem, Leo nonus, epistola ad Petrum Antiochenum, Innocentius tertius, epistola ad Episcopum Arelatensem, & habetur capite Maiores, de Baptismo.

Præterea Matthæi etiam 16. ait Christus: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Hoc enim sensu super Petrum ædificatam Ecclesiam intelligunt Gelasius, epistola ad Anastasium Imperatorem; & Gregorius lib. 4. epistola 72. illud verò, *& portæ inferi, &c.* plerique Patres per portas hæreses intelligunt. Epiphanius in Anchorato, Hieronymus, Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus eô loci. At si summus Pontifex errare posset, illæ præualerent. Sed hæc, & similia fusè probant Canus libro 6. de locis. Bellarminius controuers. 3. maximè lib. 2. & lib. 4. cap. 1. ad 14. Caietanus in opusculo de hac re edito. Torres 2.2. disp. 16. Victoria relect. 4. Bañez 2.2. quæst. 1. art. 10. & plures alij, in quibus Gillius lib. 1. tractatu 7. cap. 9. num. 2. Stapletonius controuers. 2. lib. 6.

Ex quibus apertè colligitur argumentum, quod sumitur à summi Pontificis auctoritate, irrefragabile esse, & infallibilis veritatis: sed obseruandum hic est, non omnia in eius decretis contenta ad fidem pertinere; sed ea tantum, quæ potissimum summus Pontifex definire contendit, tanquam de fide habenda, & credenda, maximè si anathema contra negantes adiungat.

Idcircò

Idcircò qui ex hoc loco probare voluerit propositionem aliquam, ex inferiùs proponendis in serie tabularum esse hæreticam, aut erroneam, debet conuincere. Primò esse contra aliquam doctrinam, in decretalibus Pontificijs literis contentam, aut contra conclusionem ex ea necessariò illatam. Secundò debet conuincere illud fuisse intentum Pontificis, nec solum eam doctrinam dici obiter, aut ad solam confirmationem annexam alijs probationibus. Tertiò debet conuincere literas Pontificis esse definitiuas, & Cathedrales, non iudiciales solum in causis doctrinarum: sic Eugenius Quartus nonnullas propositiones Abulensis iudicialiter solum, & non definitiuè condemnauit; postmodum iudicium emendatum est: sic Zacharias Papa condemnauit Episcopum quendam dicentem esse antipodas; & similia exempla occurrunt, quæ alio loco dedimus.

Quintus locus est à Conciliorum authoritate, cum generalia Concilia congregata legitimè vniuersalem Ecclesiam repræsentent: postquam diximus de vniuersalis Ecclesiæ authoritate, & eius capitis, dicendum restat de ipsis Concilijs, quæ si re ipsa tota Ecclesia non sunt, sunt tamen repræsentatione. Concilia igitur, siue Generalia, siue Prouincialia, á Romano Pontifice confirmata, certam fidem faciunt, habent enim infallibilem authoritatem in Spiritus sancti dirigentis tum Ecclesiam, quam repræsentat, assistentia fundatam; tum etiam Summum Pontificem, in fidei doctrina decernenda. De cuius probatione multa, Canus lib. 5. de locis, Bellarmin. tom. 1. controuers. 4. generali, lib. 1. & 2. de Conciliorum authoritate, cap. 2. 3. & 4. Valentia 2. 2. ad quæst. 1. S. Thomæ, & art. 10. §. 44. de Concilijs, & in Analysi lib. 8 cap. 7. Torres 2. 2. quæst. 1. art. 20. disput. 18. dub. 4. & quidem de generalibus res magis certa est. De Prouincialibus verò confirmatis id ipsum ijdem Authores docent; & Cælestinus Papa in decretis ad Galliæ Episcopos, decreto 13. eiusmodi Conciliorum testimonijs vtitur, & eorum sententias allegans ait: *Quas vtique suas fecerunt Apostolici Antistites, cum probarunt*: & Leo Papa epistola 46. iubet, vt venientes à Pelagiana hæresi, amplecti se omnia decreta protestentur Synodalia, quæ ad excisionem

nem hæreseos, Apostolicæ Sedis cōfirmauit authoritas. Quæ verò generalia Concilia sint, quæ Prouincialia approbata, tradit Cardinal. Bellarminius, tom. 1. lib. 1. de Concil. cap. 5. & summatim Torres disp. illa 18. dub. 5. de reprobatis generalibus, Bellarmin. ibidem cap. 6. de partim reprobatis, partim approbatis, cap. 7. Aduertendum hic tamen est primò prædicta Concilia legitima habenda esse, & confirmata, quæ postquam celebrata sunt, authoritatem habent ex consensu Pontificum sequentium, & Doctorum eorum testimonio vtentium, vt probato, & firmo.

Secundò generale Concilium ad finem vsque perductum, consentiente Pontifice, & præsentibus eius legatis, ante eiusdem Pontificis confirmationem errare nō potest in fidei rebus decernendis, si omnes Patres conueniant, quia sic totam repræsentat Ecclesiam, quæ errare non potest; quod rectè probat Bañez vbi supra, & Torres vbi supra. Confirmarique potest primò ex Concilio Tridentino sess. 14. decr. 2. eos damnante, qui scripturam interpretantur contra vnanimem Patrum sensum, & docet tanquam legitimum sensum admittendum, quem Patres vnanimi consensu docent; ergo firmum censet esse argumentum ex vnanimi Patrum consensu, qualis est in generali Concilio. Confirmatur, quia proprium Ecclesiæ testimonium, est testimonium Doctorum eius, ab illis enim, & non ab idiotis illud sumendum est; ergo testimonium consentiens Doctorum Ecclesiæ, in generali Concilio congregatorum sub Romano Pontifice, est testimonium ipsius Ecclesiæ, cuius sunt præcipua pars, à qua sola testimonium in hisce rebus peti debet; sed Ecclesiæ testimonium firmam fidem facit; ergo, &c. Verum tamen est non habere authoritatem ad obligandam totam Ecclesiam ad aliquid credendum, alioquin ad quid esset necessaria Summi Pontificis confirmatio? Præterea cum eius sit supremum caput, ea quæ à tota Ecclesia credenda sunt, proponere ad ipsum pertinet: non enim sunt in Ecclesia duæ supremæ potestates, sed vna solùm, quæ in eius capite residet, quod ex iuniorum sententia rectè notauit Torres disputatione 18. dubio quarto. Si verò non omnes consentiant, errare posse docent Bañez, Bellarminius, Valentia, Torres supra; præter Caietanum in tractatu primo de authoritate Pontificis, & Conciliorum, & Canum

lib.

lib. 5. de locis; quia eiusmodi Concilium pro sola maiori parte totam Ecclesiam perfectè non repræsentat, vt censent Caietanus, Canus, Valentia, & Bellarminus. Sed hoc indicasse modò sit satis.

Tertiò notant Canus lib. 5. de locis, cap. 5. q. 4. & post eũ Gillius lib. 1. tract. 7. non omnia, quæ in Concilijs tractantur, ad fidem pertinere, sed ea tantùm de quibus ex instituto agit, & definit Concilium, vt de Pontifice diximus supra: nã alia, quæ incidenter, & velut aliud agens adducit, & per se necessaria non sunt ad id, de quo per se agebatur, confirmandum, vel in ipsa veritatis discussione, quæ definitionem præcedit, ad fidem non pertinent. Quod rectè obseruauit Iustinianus Imperator, in confessione suæ fidei, quæ habetur tomo 2. Concil. post Concilium Toletanum secundum, illis verbis: *Oportet etiam illud attendere eos, qui veritatem perscrutantur, quod forsitan in Concilijs quædam à certis ibi cõuenientibus dicuntur, aut per fauorem, aut per contrarietatem, aut per ignorantiam, nemò autem attendit ad ea, quæ per partem à quibusdam dicuntur, sed sola illa, quæ ab omnibus communi consensu definiuntur.* Illa igitur solùm decreta, quę per se à Concilio sunt intenta, certam fidem faciunt, quibus addi solet anathema, vel quid simile. Addit pro maiori explicatione Gillius, duplicem in Ecclesia considerari posse authoritatem humanam alteram, alteram diuinam: humana nititur multitudine, sapientia, ac fidelium bonitate; diuina Spiritus sancti assistentia, & humana quidem per se sola argumentum, maximè probabile præbet, non tamen infallibile, quale sumitur ex diuina Ecclesiæ authoritate.

Et ratiò est, quia infallibilis Spiritus sancti assistentia præuiam Patrum discussionem non necessariò dirigit, & quæ incidenter tractant, sed ipsam fidei definitionem, in qua expendenda etiam est Concilij mens; nam si in dogmate aliquo conueniant, aut alicuius rei vsu tanquam necessario, & à Deo reuelato, aut instituto à Christo, & ab Apostolis tradito, hoc ipso censendum est ad fidem pertinere. Qua ratione Tridentinum, vbi supra ex vniuersali Ecclesiæ vsu institutionem, ac diuinum Sacramentalis confessionis præceptum collegit; si verò vsus non eo animo fieret, sed ob rationabiles alias causas, tunc non sumitur potissimum argumentum ad probandum eiusmodi vsum esse necessario ex fide tenendum,

sed

sed solùm contra fidem non esse. Qua ratione ex vniuersali Catholicæ Ecclesiæ vsu, sub vna tantùm specie communicādi eos, qui sacrum non faciunt, non colligitur de fide esse, aut diuino præcepto necessarium, vt ita fiat, sed solùm contra fidem non esse, aut contra Christi institutionem; vt enim dicitur in eodem Concilio, sess. 21. cap. 1. id ab Ecclesia ordinatum est, non quasi esset necessarium ex Christi institutione, sed iustis alijs de causis. Id verò licere docet idem Conciliū in eadem sessione, cap. 2. Ecclesiæ iudicium sequens, & consuetudinem. Denique quoniam in definiendis, ac proponendis rebus diuina fide credēdis Ecclesia semper diuina, quam habet, authoritate vtitur, non est cur Theologus hæreat, aut ambigat, ex qua authoritate pēdeat, humana, an diuina hoc, vel illud Ecclesiæ testimonium, præsertim, si illi anathema adiungatur, aut quid simile, sitque ex professo à Concilio, vel Pontifice definitum, vt obseruauimus supra.

Quartò est sermo, quoad particularia Concilia non approbata, licèt enim ex illis probabile argum. sumatur, non tamē infallibile, etiamsi omnes consentiant, omnes enim particulares solùm Ecclesias repræsentant. Vnde errare possunt, & re ipsa plura errasse ostendit Cardinal. Bellarminus, vbi sup. cap. 10. & de Carthaginensi Concilio constat, cui D. Cyprianus præfuit: definiuit enim hæreticos ad Ecclesiam redeuntes esse rebaptizandos. Si quis ex hoc loco velit probare aliquam, ex referendis propositionibus esse hæreticam, aut erroneam debet producere clausulam Concilij à Sede Apostolica confirmati, aut conclusionem ex ea euidenter, aut necessario illatam cui prædicta propositio euidenter, aut necessario contradicat. Secundò debet conuincere eam clausulam, non dictam incidenter, aut obiter, sed ex professo tractatam, & disputatam, & fuisse de intentione Concilij eam definire.

Ex quinque prædictis locis Theologiæ proprijs firma sumi argumenta, & irrefragabilia certum est, cum ea omnia diuinam authoritatem, contineant, diuerso tamen modo; nam primus, & secundus immediatè, ac formaliter diuina nituntur authoritate reuelante, quæ in illis continetur. At tria posteriora nouam reuelationem non continent, sed eius explicationem, & propositionem, quæ in duobus prioribus cōtinetur. Quare in illis locum habet præuia inquisitio, imò &

ea necessaria est, illisque Spiritus sanctus solùm assistit, ne errent in definitione, siue Ecclesia, siue Pontifex, siue Concilium, non verò in alijs, quæ nec ad fidem, nec ad mores pertinent; at in sacris literis, & traditionibus, nec in ijs, nec in vlla alia re vllus error esse potest. Omnes igitur ij quinq; loci firmam fidem faciunt propositæ quæstionis, si ex illis necessariò deducatur.

Quoad tria loca ex Ecclesiæ authoritate, Pontificis Summi, & Generalis Concilij ipsius Pontificis authoritate congregati, & Prouintialis approbati, eodem modo sumitur argumentum Theologicum, nam quæcumque in his definita sunt, certissima fide tenenda sunt, si ad fidem pertineant, vel ad mores, vt quod hoc sit peccatum, vel non sit, quod est dicere non posse errare in fide, & moribus, vt supra ostendimus, idque intelligendum est, quando ex professo, & expressè aliquid determinatur, vt cum anathema adiungitur, vel dicitur tenendum esse ab omnibus. Sed speciatim circa tertium locum ex Ecclesiæ authoritate obseruandum est, quatuor modis in rebus ad fidem, vel mores spectantibus, Patrum Ecclesiæ authoritatem facere ad rem de fide tenendā; primò, quando omnes, vel paucis demptis, nullo tamen contradicente, eodem modo aliquem scripturæ locum, à quo fides pendet, explicant: verbi gratia, *Hoc est corpus meum*; omnes explicant propriè, & sine figura esse intelligendum. Secundò, quando omnes, vel plurimi, nullo contradicente, afferunt esse Christi, vel Apostolorum traditionem, vt aquam in Missa vino esse admiscendam. Tertiò, quando omnes Patres ex scriptura aliquod fidei dogma deducunt, vt quod Patri Filius sit consubstantialis. Quartò, quando conueniunt omnes in vno fidei articulo, verbi gratia, quod Christus ad inferos descenderit, quod sit Purgatorium, sanctos esse inuocandos.

An verò sint diuersi gradus hæreticæ propositionis, quamuis id contendant Turrecremata, Canus, Corduba, & Penna, pro varijs propositionibus fidei, tamen rectè ostendit Suarius, vbi supra, formaliter loquendo de hæretica propositione, quoad gradum falsitatis eius, in eo non distingui plures gradus, sed hæreticas omnes propositiones, ex æquo esse falsas & hæreticas; nam omnes propositiones de fide æquè sunt certæ, cum omnes prima veritate formaliter, & im-

immediatè reuelante nitantur, quæ in omnibus æquè vera est, alias vero differentias quas prædicti Doctores afferunt esse aut materiales, aut accidentales, rectè ostendit Suarius supra.

PRÆLVDIVM QVINTVM.

Quid necessarium sit ad probandam aliquam propositionem ex numerandis esse erroneam, iuxta aliorum definitiones; item vt periculosa in fide; item vt sapiens, vel redolens hæresim conuincatur.

HÆc sigillatim scrutamur; diximus in veriori opinione quæ sit erronea propositio; loquamur nunc iuxta varias Doctorum acceptiones. Disquiramus primum an hæresis, & erroris censura sit eadē penitus, an aliqua ratione diuersæ? Heimerichus in directorio Inquisitorum, part. 2. quæst. 3. inter hæresim, & errorem in fide nihil distinguit; eum sequitur Peña ibidem, commento 28. quamuis 3. part. commento 40. errorem in fide doceat, omnes propositiones censura dignas in fidei rebus cōprehendere. Albertinus tractat. cit. quæst. 1. num. 1.; & ante hos Turrecremata lib. 4. part. 2. cap. 11. suffragantur. Fūdamentum est; quia Ecclesia cum hæreticam propositionem esse declarat, nomine erroris in fide, vel hæresis nomine vtitur, nulla distinctione facta, vt constat ex C. fideli, de Summ. Trinit. in 6. & Clementina eod. tit. C. fidei, & C. ad nostram de hæreticis, & in extrauag. Vas electionis, Ioann. 22. & C. ad abolendam, §. præsenti de hæreticis. Quibus addit Rojas de hæretic. part. 1. num. 76. ex C. *sed ad delendam*, §. illum, & C. excommunicamus 2. §. vltimo de hæreticis, & C. *accusatus*, §. 2. de hæretic. in 6. in quibus propositiones hæreticæ vocantur errores, & colligitur ex Augustino in Enchirid. c. 21. Aliter exponit Castro, de iusta hæreticorum punitione, cap. 3. censet errorem dici propositionem illam, quæ negat aliquid ad fidem pertinens, naturali tamen ratione cognoscibile, vt Deum esse, vel vnum esse, aut quid simile: sed fallitur apertè, nam ea propositio hæretica planè est,

& non ſolùm erronea, ſi hæc cenſura ab hæretica diſtingui debeat. Canus verò lib. 12. de locis, cap. 6. ad finem, & cap. 11. erroneam vocat propoſitionem, quæ fidem non omnino labefactat, infirmat tamen, & ſacræ doctrinę aduerſatur, tam Patrum, quam Eccleſiæ; eſt enim in Eccleſia, præter fidei verbum, verbum ſanum, & irreprehenſibile, 1. ad Timoth. 1. & 6. & 2. ad Timoth. 1. & ad Titum 1. & 2. cui contraria eſt erronea propoſitio. Controuerſia hæc facilè deciditur; nam ſi error generaliter accipiatur amplâ, ac fuſâ ſignificatione, omnis hæreſis eſt error, licèt non contra. Hoc probant, quæ afferuntur à prædictis Doctoribus, & ratio eſt, quam affert P. Suarez ibidem num. 11. quia ex Auguſtino in Enchirid. cap. 17. & contra Academic. cap. 4. errare nihil aliud eſt, quàm vera pro falſis, aut falſa pro veris probare. Eſt igitur error falſa propoſitio, non tantùm in fidei materiâ, aut Theologiæ, ſed in quacumque materia etiam naturali; iuxta communem tamen loquendi modum error, quaſi per antonomaſiam vſurpari ſolet, non pro quocumque iudicio falſo, ſed quod apertiùs, ac euidentiùs eſt, atque ita in Philoſophia vocatur error, aut erronea propoſitio, non quæcumque falſa, ſed quæ eſt contra axiomata valdè recepta. Quare iuxta hanc acceptionem in materia fidei, & Theologiæ erit propoſitio falſa contraria certæ, atque receptæ doctrinæ, & ſe habebit, vt genus reſpectu hæreſis, & aliarum propoſitionũ, quæ cenſura dignæ ſunt.

Quod ſi preſſa, & ſtricta ſignificatione error, aut erronea propoſitio accipiatur ad mentem eorum, qui inter hæreticam propoſitionem, & erroneam primã diſtinctionem indicarunt, diuerſa eſt nota erroris, à hæreticæ propoſitionis nota, nec ſe habent, vt genus & ſpecies. Ita Canus, & Caſtro ſupra. Suarez à numero 12. ad 16. Ludouicus Carbo lib. 4. introduct. in Theologiam, cap. 20. Bañez 2. 2. quæſt. 11. art. 2. dub. penultimo. Probatur primò ex verbis Concilij Conſtantienſis, qui alios articulos ait eſſe notoriè hæreticos, alios non Catholicos, ſed erroneos, ergo diſtinguit hæreticos ab erroneis in hoc, quod hæretici notoriè alicui fidei propoſitioni opponuntur, non verò erronei: & hanc erroris notam poſt primam ponit, vt minus grauem, nec hic loquendi modus locum habet inter ſpeciem, & genus: ſed inter ea, quæ tanquam diuerſa membra diſtinguuntur. Secundò proba-

batur, quia erronea propositio eo ab hæretica differt, quod hæc notoriè, vt Concilium loquitur, alicui fidei propositioni opponitur, erronea verò, non notoriè opponitur, sed occultè, & tacitè, vt cum (ait Bañez supra) non profertur euidens testimonium ex sacra Scriptura; aut Ecclesiæ authoritate, qua probetur oppositum esse de fide; hæc autem occulta oppositio varijs modis explicari potest. Primò, quia opponitur conclusioni Theologiæ, quæ implicitè, & tacitè in fidei propositione continetur, quare notoria illa oppositio cum conclusione ex fide deducta tacita est, & occulta oppositio cum eius principio, quod est fidei præmissa. Confirmatur, quia erroris nota tam grauis non est, ac nota hæresis, est tamen cæteris grauior expressis in Concilio Constantiensi; quod ex eo constat, quod Concilium primo loco hęresis notam ponit tanquam grauissimam, proximè verò erroris notam, vt illa leuiorem, grauiorem cæteris. Id autem non est, nisi quia propositio hęretica directè, & notoriè fidei propositioni opponitur, non verò erronea, sed fidei propositioni nulla est proximior, quam Theologica propositio ex pręmissis fidei euidenter deducta: ergo post propositionem oppositam expressè, & notoriè propositioni fidei, quæ hęretica est; alia illi non est proximior, nisi opposita Theologicæ conclusioni expressè, & tacitè, ipsi fidei; ergo erroris nota proximior est hæresis notæ, ac proinde illa inferior, cæteris grauior. Quare erronea propositio hæretica lęuior, cęteris grauior est, quę apertè, & directè Theologicę conclusioni opponitur, tacitè, & indirectè fidei propositioni, quod solùm contendimus. Pro hac sententia sunt P. Suarez ibidem num. 24. P. Torres disput. 55. de fide, dub. 3. & certè communiter, & ante vtrumque Bañez 2. 2. quęst. 11. art. 2. dub. penultimo. Notandum, quod primus, & potissimus gradus propositionis erronęę secundum communem loquendi modum Theologorum est, quando quis dicit contrarium manifestę conclusioni Theologicę, Ludouicus Carbo lib. 4. introduct. in Theologiam, cap. 20. ad initium illam esse ait erroneam propositionem, quę Catholicę veritati nondum de fide statutę contradicit, vbi varia adhibet exempla, quę huius loci non est examinare. Hęc tamen explicatio conciliari facilè potest cum prima, quia Theologicę conclu-

clusiones, vt tales non sunt de fide definitæ. Et fauet Augustini locus, quem affert ex lib. 2. contra Pelagium, cap. 23. vbi ait alias quæstiones esse contra fidem, alias verò præter fidem, atque in ijs, quas, salua fide, ignorare possumus, ipsa salua, errare possumus, &c. Canus supra, quem Corduba, Simanchas, & plerique alij sequuntur, sic explicat, scilicet, vt erronea propositio sit, quæ alicui propositioni opponitur, quam Doctores omnes vehementer ad fidem opinantur pertinere, non tamen affirmant esse apertè de fide, atque ideò non est hæretica, sed proxima nota digna, erroris scilicet. Sed hæc etiam explicatio apertè conuenit Theologicæ conclusioni, quæ non expressè, sed tacitè reuelata est. Alij sic dicunt, illa propositio est erronea, qua posita ægerrimè defendi potest aliqua propositio, quæ apertè pertinet ad fidem. Alij ita decernunt, vt sit propositio erronea, quæ licet non habeat notoriam oppositionem cum aliqua propositione apertè de fide, Catholici tamen Doctores vehementer opinantur illam habere, licet non id, vt certum affirment; tunc enim licet euidenter non sequatur ex fidei propositione oppositum, sed valdè probabili consequentia, & moraliter loquendo necessaria, tunc Canus, & Bañez oppositum illius conclusionis, etiamsi non sit scientifica, errorem esse existimant, vbi supra: sed erit inferioris gradus erroris illo, quem opposita propositio Theologicæ conclusioni euidenter illatæ habet. Sed non est hic locus discutiendi hos sentiẽdi modos, cùm omnes ferè in re, licet differant verbis, conueniant. Solùm addam, iure optimo erroneam propositionẽ vocari posse, & esse hæresi proximam, quia reuera ita est, vt iam ostendi. Vt enim inter propositionem fidei formaliter, & immediatè, & propositionem ex fidei præmissa deductam, alia media non est, ac fidei proximior, cum hæc in ea virtute contineatur, ac virtualiter in ea reuelata sit; ita inter propositionem hæreticam immediatè oppositã formali fidei propositioni, & erroneam propositionem oppositam Theologicæ conclusioni mediatè, ac virtualiter reuelatæ, non potest esse alia media, ac proinde erronea propositio est, hæresi proxima, seu hæreticæ propositioni. Imò Bañez, ait gradum erroneæ propositionis adeò esse hæresi proximum, vt interdum etiam hæresis dici possit; & confirmatur ex S. Thoma

2.2.quęst.11.art.2.dicente hęresim esse circa ea, quę indirectè pertinent ad fidem, cuiusmodi sunt Theologicę conclusiones per euidentem consequentiam illatę: indirectè enim pertinent ad fidem: sed Canus vbi suprà, ab eo citatus, cautiùs ait modestos Theologos solere eas appellare erroneas, nec audere eas hęreses appellare; quem sequutus Bañez ibidem, moderatur quod dixerat, his verbis, *Sed nihilominus reuerà, sicut ipsa conclusio est alia species veritatis distincta à veritate fidei; ita oppositum conclusionis est alia species erroris quàm oppositum fidei, sicut ipsa Theologia distinguitur specie à fide.*

Similiter dici potest periculosa in fide, quia periculo fidem exponit: si enim quis negat hanc conclusionem, *Christus est risibilis*, aperto periculo exponitur negandi, Christũ esse hominem, cùm omnis homo risibilis sit: imò punietur vt hęreticus, quia licèt ea propositio de fide non sit, nec hęretica contraria, secundùm humanam pręsumptionem, seu externam, censetur negare non euidentem propositionem, scilicet, *omnis homo est risibilis*; sed illam de fide, *Christus est homo.*

Qui probare contenderit, aliquam ex propositionibus numerandis esse erroneam, debet conuincere, sicut pręludio pręcedenti monuimus, esse euidenter, & necessariò oppositam conclusioni Theologicę: quę euidenter, & necessariò infertur ex propositionibus de fide, aut altera de fide, & altera lumine naturali nota; vel secundò debet saltem producere testimonia plura antiquorum, nouiorumque Doctorum, qui ex certa moraliter consequentia firmiter statuant esse erroneam. Tertiò, debet monstrare ex aliquo loco Theologico, ex quinque in pręludio superiori notatis, speciem erroris, & determinatum articulum, & dogma fidei aliquod simili propositione labefactatum, aut in manifestum discrimen adductum.

Propositio, quę dicitur sapiens hęresim, seu de hęresi suspecta, seu hęresi fauens, pręter propositiones illas, quæ proximè directè fidei opponuntur, vt hæretica, & mediatè, atque indirectè, vt erronea, est talis conditionis, vt eâ licèt fides non destruatur, nec immediatè, nec mediatè, nec directè, nec indirectè, tamen ab illa malè habet, & quatitur, ac quasi disponitur ad corruptionem, vt rectè notauit

Bañez

Bañez 2.2. quæst. 11. art. 2. dub. penult. vt enim sunt quædam corporum læsiones, quæ vitam non auferunt, sed malè ijs homo habet, ac disponitur ad corruptionem, aut omnino, aut ex parte; ita sunt quidam gradus propositionum, doctrinam non sanam continentes, etsi manifestam hæresim non inuoluant, aut errorem hæresi proximum, & de his agimus nunc; ac primùm de propositione hæresim sapiente. Simancas de Catholicis institut. tit. 54. num. 10. priùs agit de propositione hæresim sapiente, quàm de erronea, quasi hæc propter hæresis saporem proximior esset hæreticæ propositioni, quã erronea, quæ secundùm suam substantiam illi proximior est, vt constat ex verbis Constantiensis Concilij, & rationibus suprà allatis.

Præterea ex ipsis propositionis hæresim sapientis verbis apertè constat propositionem hæresim sapientem, ab ipsa hæresi, seu hæretica propositione, cuius saporem præ se fert, aliqua ratione distingui, alioquin non hæresis saporem solùm haberet, sed eius etiam essentiam, & naturam. Sed qua ratione ab erronea propositione differat, non omnes conueniunt. Turrecremata vbi suprà, cap. 10. ad finem, existimat eandem esse propositionem hæresim sapientem, erroneam, & hæresi proximam. Hanc sententiam, authore non indicato, impugnat Suarez disp. 19. de fide, sect. 2. num. 16. argumento ex Constantiensi Concilio, & Bulla Pij V. desumpto; ex quibus ait, nos cogi aliquam distinctionem agnoscere inter hunc gradum propositionis hæresim sapientis, & secundum erroneæ propositionis; sicut & inter duos primos hæreticæ propositionis, & erroneæ: quia isti gradus numerantur vt distincti, & inferior minorem aliquam grauitatem, quàm superiores habere censetur. Sed sanè argumentum esset efficax, si in Concilio Constantiensi, aut Bulla Pij V. mentio esset propositionis hæresim sapientis; sed vt constat ex verbis Cõcilij, & Pij, ibi est mentio hæreticæ propositionis in primo loco, & erroneæ in secundo; nulla tamen memoria propositionis hæresim sapientis: quare argumentum nullum est. Cęterum, ex infrà dicendis constabit apertè, aliqua ratione distingui debere, nec tam grauem esse hanc censuram, ac erroneam. Simancas de Catholicis institut. titulo 54. num. 10. ex Gersone, in declaratione veritatum credendarum. Echius lib. 1. de primatu Petri, cap. 6. Albertin. lib. 1. de agnoscendis

dis assertionibus, quęst. 6. Castro lib. 1. de hæretic. punitione, cap. 3. censet illam propositionem hæresim sapere, quæ prima verborum significatione, ac prima facie hæreticum habet sensum, quamuis piè intellecta Catholicum posit habere sensum; & illa manifestam sapit hæresim, quę prima frōte præ se fert hæresis manifestæ saporem; vel aliter illa sapit manifestam hæresim, ex qua, & quibusdam veris, quæ nulla tergiuersatione negari possunt, manifesta sequitur hæresis. Idem ipsum sequitur Ludouicus Carbo lib. 4. introduct. in Theologiam, cap. 20. non longè ab initio, vbi varia adducit exempla, præter ea, quorum mentionem facit Simancas, vbi supra, num. 11. ex Cano lib. 12. de locis, cap. 11.

Primam definitionem propositionis hæresim sapientis impugnat ex Cano Bañez 2.2. qu. 11. art. 2. dub. penultimo. Supradictæ declarationes propositionis manifestam hæresim sapientis erroneæ propositioni conueniunt; illa enim prima fronte manifestæ hæresis saporem fert, ex ea quibusdam veris adiunctis manifesta hæresis sequitur: etenim ex illa propositione erronea, *Christus non est risibilis*, vera, & euidenti propositione adiuncta, quòd omnis homo est risibilis, apertè sequitur, quòd Christus non sit homo, quæ manifesta hæresis est. Respondet pro his Doctoribus Suarez in illa disput. 19. de fide, sect. 2. num. 17. idque ipse sequitur ex Gersone, illam scilicet propositionem hæresim sapere, ex qua coassumptis alijs principijs sequitur hæresis, concurrēte tamen duplici conditione; prima, quòd illa principia omnino certa non sint, licèt in Ecclesia valdè recepta sint, vel ferè certa; secunda, quòd illatio euidens non sit, sed probabilissima, & communiter recepta. Ratio verò est, quia propositio hæresim sapiens, eam formaliter non continet, alioquin ab hæretica propositione non distingueretur, sed ex illa sequi potest, non quidem certa consequentia; nam id pertinet ad gradum erroneæ propositionis: ergo vt distincta ab illa sit, necesse est, vt ab ea certitudine deficiat, quamuis proximè ad eam accedat, ac proinde, vt sequatur ex vi consequentiæ nec euidentis, nec certæ, sed probabilissimæ; sed licèt hac ratione declaret minorem notæ propositionis hęresim sapientis grauitatem, quàm erroneæ, non tamen grauitatem illa maiorem, quę pertinet ad sequentes censuras propositionis scilicet malè sonātis, & piarum aurium offensiuę,

ex qua magna probabilitate sequi potest hæretica, vel erronea propositio. Nec bene declarat saporis hæresis metaphoram, quæ in ea illatione probabilis consequentiæ potiùs, quàm certæ, non videtur consistere: vt res scholasticè innotescat, distinguendum est; nam primò propositio hæresim sapiens vsurpari potest in lata significatione, pro omni propositione, quæ hæretica non est, sed hæresis habet saporem, & hoc modo extenditur ad erroneam propositionem, & alias censuras ex ijs, quas subijciemus; & sic exponi posset Turrecremata, & qui ad erroneam propositionem hæresim sapientem extēdunt. Secundò accipi potest in stricta, ac pressa significatione, pro ea, quæ nec hæretica est contra expressam fidei propositionem, nec erronea contra conclusionem euidenter deductam ex fidei præmissa; sed pro ea, quæ cùm hæretica non sit, nec erronea, habet non hæresis substantiam, sed illius aliquid, saporem scilicet, non quidem ex re ipsa ortum, vt in naturalibus, quia hic indicat rem ipsam, vinum scilicet, si sapor sit vini, aut panem, si illius sit sapor: in propositione autem hæresim sapiente hæresim non indicat sub sapore latentem, sed ortum ex aliquibus circunstantijs, in quibus illa profertur. Exemplis res plana erit: hæc propositio, *iustus ex fide viuit*, hæresis saporem non habet in Diuo Paulo lecta; à Lutherano tamen audita, aut lecta in libro suspecto, hæresis saporem habet, quia à Lutheranis vsurpatur ad bona opera excludenda. Sic etiam Torres disp. 55. de fide, sect. 3. & Bañez 2.2. q. 11. art. 2. dub. penultimo, simili metaphora dicitur propositio hæresim redolere; seu eius odorem habere; non quia ille hæresis odor index sit latentis hæresis, sicut naturalis odor latentis substantiæ est, sed quia ex circunstantijs propositionis oriatur, vt in proposito exēplo: & similiter in illo, *Pater maior me est*; quę propositio in Euangelio lecta, est Catholica; sed ab Arriano prolata, redolet hæresim: itaque id habet ex circunstantijs, non verò ex propositionis significato, quod nec hæresim, nec errorem continet. Hic explicandi modus est longè expeditior eo, quem sequitur Suarius suprà. Denique eadem nota, seu censura propositionis esse videtur hæresim sapere, ac de hęresi esse suspectam: cuius meminere Pius V. & Greg. XIII. illa enim suspicio in eo sapore fundamentum habet, & illa hęresi fauens, propter eundem enim saporem illi fauere videtur.

Qui

Qui probare contenderit aliquam ex propositionibus numerandis in sequenti tabularum serie esse hæresim sapientem, seu de hæresi suspectam, seu hæresi fauentem, debet primo consignare quam hæresim sapiat, aut cui errori faueat: secundo, quam robuste sapiat hæresim, aut illi faueat: tertio debet ostendere illam doctrinam, aut modum loquendi in Doctoribus Catholicis non reperiri: quarto debet probare, à persona suspecta, aut in loco suspecto pronunciari, vel scribi.

PRÆLVDIVM SEXTVM.

Quid necessarium sit ad probandam doctrinam aliquam esse male sonantem, vel piarum aurium offensiuam, vel scandalosam.

NOTA Propositionis est, quod sit malè sonans, & piarum aurium offensiua. Quidam apud Suarez disp. 19. de fide sect. 2. n. 18. quorum nomina non expressit, sentiunt propositionem malè sonantem à præcedenti, quæ hæresim sapit, non distingui: nam illa vox, inquiunt, metaphorica est, nec propositio saporem habet in ordine ad gustum, sed in ordine ad auditum, & ideò propositio, quæ hæresim sapit, malè sonat in ordine ad auditum. Sed immeritò ij recedunt à communi sententia, quæ vtramque distinguit eo modo, quo explicabimus infra; licèt enim neutrius mentio fiat in Concilio Constantiensi, & Bulla Pij V. fit tamen à Doctoribus infra citandis, qui maiorem turpitudinem, ac grauiorem notæ gradum agnoscunt in propositione hæresim sapiente, quàm in propositione malè sonante. Nec ratio eorum alicuius momenti est, licèt eam non confutet Suarez, nam licèt sapor ille metaphoricè accipiatur, non tamē respectu sensitiui auditus, sed intellectualis gustus qui percipit illum hæresis saporem, quem sensitiuus auditus licèt percipiat, vt sonus est, non tamen vt malè sonat sua significatione, quam solus percipere valet intellectus; nam intellectui etiam sapere attribuitur, imò sapientia, à

sapere deriuatur, & sapida quædam scientia est, vt ait sanctus Thomas 2.2.quæst.45.art.2.& opusculo 9.quæst.31. Simili metaphora tribuitur intellectui audire, olfacere, gustare, &c. Quare ex illa metaphora nihil probari potest pro hac sententia.

Simancas de Catholicis institut. tit. 54 num. 16. ex Turrecremata, Albertino, & Castro, vbi suprà, propositionem malè sonantem eandem esse existimat cum ea, quæ pias offendit aures, & vtramque ait esse, quæ auditoribus, siue pijs lectoribus scandalum, & ruinæ præbet occasionem. Sed immeritò vtramque confundunt; nam, vt infra constabit, specialem quandam turpitudinem habet piarum aurium offensiua. Quare licèt malè sonantis propositionis sub his terminis non sit facta mentio in Concilio Constantiensi & Bulla Pij V. propositionis tamen piarum aurium offensiuæ, non semel, sed ter. Præterea non benè confundunt vtramque cum propositione scandalosa, quia sine vllo scandalo, propter peruersum loquendi modum de diuinis rebus, aut in Ecclesiæ vtilitatem institutis, potest malè sonare propositio, & pias aures offendere: præterquàm Constantiense Concilium vtrasque distinguit.

Veritatem distinguendo illustrabimus: nam si propositio malè sonans in lata sumatur, ac fusa significatione, sine dubio de erronea propositione, & hæresim sapiente, & plerisque alijs verificatur: nam eæ omnes malè sonant. Ita rectè Canus lib.12.de locis, cap.11. Suarez vbi infrà, dicto 2. & amplecti videtur Simancas vbi suprà. Quòd si hoc solùm contendant citati Autores, non sunt contra nos, quamuis id contendere non videantur. Nihilominùs malè sonans propositio accipi potest iuxta magis strictam significationem, & vt ab alijs censura notatis propositionibus distinguitur. Ita Canus vbi proximè, Simancas vbi suprà, ad finem, Bañez 2.2.quæst.11.art.2.dub.penult. etiam Suarez disp.19. de fide, sect.2.num 18. & Ludouicus Carbo in illo cap. 20. Probatur, assignando specialem eius rationem ab alijs distinctam, quam diuersi diuersa ratione assignant. Canus vbi suprà, eas propositiones malè sonantes existimat, in quibus nullus fidei error contrarius notari manifestè potest, sed absonum nescio quid, atque absurdum, quod pias, atque religiosas offendat aures. Ita cum explicat Simancas vbi suprà,

ad

ad finem, num. 14. nec impugnat, sed sequi videtur: exempla tamen aliqua ex his, quæ Canus affert, rectè impugnat Bañez suprà.

Ludouicus Carbo suprà; *Est, inquit, item alia propositio, quæ dicitur malè sonans, seu pias aures offendens, & ea est quæ licèt nihil hæreticum gustui sapiat, quia offensio non est ita grauis, vt gustum, qui est sensus crassior, quàm sensus auditus lædat: tamen auditum, qui est subtilior, offendit, dum quiddam ingratum, & asperum resonat: vt sunt huiusmodi propositiones; plures saluantur ex laicis, quàm ex Clericis: Vniuersitates, & Collegia hominum vanitate sunt introducta: leguminibus, & piscibus venter inflatur, & ad concubitum redditur aptior.* Hic modus non omnino quadrat, licèt non parum explicet veritatem, tum quia omnino confundit propositionem malè sonantem cum piarum aurium offensiua, quæ aliquo modo distinguuntur; tum quia licèt verum sit, in propositione malè sonante nihil erroris, aut hæresis sonare, quod aures offendat, tamen non satis explicatur soni metaphora, vt distincta est à metaphora saporis propositionis hæresim sapientis. Quid est enim illud absonum, & absurdum? quid leuius est sapore hæresis, & grauius cæteris notis? Nec satis explicatur, cur auditus, quia subtilior, leuiori de causa offendatur, quàm gustus, quia crassior: nec declaratur differentia, quæ intercedit inter saporem, & sonum, vt grauior sit nota propositionis hæresim sapientis, quàm malè sonantis; in quibus potissimum locum habet metaphora saporis, & soni, quæ hic reperitur, sic nos rem explicamus, vt sapor magis intrinsecus sit rei sapidæ, quàm sonus rei sonãti; nam sapor pro subiecto habet, cui insit rem bene, aut malè sapientem, vt ex Aristotele constat, lib. 2. de Anima, cap. 10. vbi ait, gustabile esse quoddam tangibile, & ideò non esse sensibile per medium corpus externum; neque enim tactus tali modo percipit, ergo per saporem, quem intrinsecum habet, gustabile est; sonus verò solùm habet pro subiecto medium aerem: non enim recipitur re ipsa sonante, vt Conimbricenses lib. 2. de Anima, cap. 8. art. 1. ad 2. efficaciter probant, & ad 2. addunt, corpora, quæ sonum edunt, sonantia appellari, non vt sono affecta, sed vt sonum efficientia, quemadmodum & sonora dicuntur, quæ idonea sunt ad prolixiorem sonum excitandum. Ex quo fit, saporem magis intimè

rem

rem indicare,quam sonum; propositio igitur heresim sapiēs heresim magis indicat, & maiori nota digna est, cum eius prçseferat saporem, quàm malè sonans propositio, cùm ex sono minùs intimè, magisque remotè indicetur aliquid ibi mali subesse,& absurdi. Quæ, & similes propositiones Doctorum virorum subtiliori auditui malè sonant, eòque loquendi modo meritò offenduntur, & ab eo abhorrent, non tamen tam graui censura eas notant, ac illas, quç heresim sapientes esse diximus, quia hç suo sapore hæresim intimiùs indicant,ac propterea maiori nota dignæ sunt.

De propositione verò piarum aurium offensiua, quam Simancas, & alij supra indicati cum malè sonante immeritò confunduntur,dicendum est ab ea aliqua ratione distingui. Ita Suarez in illa sectione 2. num 10. & plerique: eius mentio specialis fit in Constātiensi Concilio,& in Bulla Pij V.cùm non fiat propositionis malè sonantis;& licèt, quòd malè sonat aures offendat,quçdam tamen peculiaris offensio denotatur illis verbis: *Piarum aurium offensiua*. restringi enim videtur offensio illa ad pietatem, pietas autem pro Christiana religione sçpè accipitur; nā peculiari ratione pias aures offendit, & in Christianç religionis dedecus redundat, vt constat in propositionibus, quas Constantiense Concilium notauit, vt refert Canus cap. illo 11.

Notā scandalosæ propositionis schismaticæ, & seditiosç potest inueniri cum probabilitate, imò, & veritate. Scandalosa, si sumatur strictè,& vt hic specialiter accipitur, pro propositione, quæ cùm nec hæretica sit, nec erronea, nec ex illis vlla (sed talis vt suis verbis scandalum generet, hoc est, quæ occasionem ruinç alijs prçbeat, quòd vox ipsa prçfert) hçc, inquam, ab alijs distincta est, vt Canus,& Suares,& Ludouicus Carbo lib.4. introduct. in Theologism cap. 20. ad finem, Simancas in illo titulo 54.n.17. affirmant; & probari potest ex verbis Constantiensis Concilij, & Bullæ Pij V. in quibus, vt ab alijs distincta hæc nota ponitur. Et confirmatur hæc doctrina, quia hanc scandali notam nulla alia ex prçdictis notis, & censuris explicitè denotat, & specialem habet malitiam, occasionem alijs ruinæ præbens, ac proinde specialem notam propter id meretur, etiamsi nulla alia illi conueniret, cum ad malum incitet, vel à virtutibus deterreat, vt siquis alios ad peccandum moneat, proposita

magni-

magnitudine diuinæ misericordiæ, vel adeò grauia eleuet peccata, vt homines inde occasionem sumant illa faciliùs perpetrandi; vel si alicuius peccati pleraque referat cōmoda: taliter veritates explanare potest, & applicare, vt consideratis omnibus circunstantijs scandalosæ sint. Igitur si veræ sint propositiones, licèt ex adiunctis temporum, & locorum, & personarum scandalosæ sint, possunt simul esse probabiles, imò & certæ: quod si scandalum simpliciter in magna falsitate innitatur, ea propositio probabilis esse non poterit.

Hanc notam breuius explico. Scandalosa propositio Theologicè est, quæ siue verè, siue probabiliter, siue improbabiliter dicta, præbet occasionem ruinæ in materia morali, & ducit, aut mouet ad executionem peccati per modum dictaminis & securę doctrinæ. Scandalosa vulgariter est, quæ in materia speculatiua, qualis est controuersia de immaculatę conceptione, non auditur pars aliqua sine tumultu & offensione audientium, siue doctrina asserta sit probabilis, siue improbabilis: compilat quis omnes processus criminales contra personas Ecclesiasticas, & regulares, & summam scelerum, quæ iudicialiter constant, euulgat, hic scandalosus Theologice est; compilat aliquas doctrinas speculatiuas malè apud fideles receptas, hic scandalosus est vulgariter, si publicè, aut vulgari sermone eas doctrinas propalare audeat, non verò si latine, & Scholastico, aut iuridico rigore eas defendat: quod maximè obseruandum est pro doctrina harum tabularum.

Schismatica illa est, quæ occasionem præbet discedendi ab Ecclesię, vel Romani Pontificis obedientia. Potest interdum esse vera, & certa, vt si quis indignam vitam aliquorum Antistitum, aut Tribunalium iniustitiam explanet; & tot exempla congreget, vt schisma inde excitari valeat, tunc propositio probabilis imo & certa censuram schismatis promeretur; quando verò inest similis propositionibus falsitas, nulla in illis inesse potest probabilitas, sed grauior censura est inurenda. Similis distinctio adhibenda est circa propositiones seditiosas, sunt enim plures doctrinę, & propositiones sediociosissimæ ex adiūctis dictorum, locorum, personarum, vt si quis dicat non esse ad Pontificem recursum debitum in ijs, quæ ipsi sunt reseruata, vel ipsum non posse

aliqua

aliqua sibi reseruare, siue doctrina probabilis sit, siue minus probabilis. Simancas supra num. 18. schismaticam propositionem definit, quæ diuisionem Ecclesiæ inducit; Ludouicus Carbo verò lib. 4. cap. 20. ad finem, quæ vnionem membrorum Ecclesiæ quauis ratione tollit.

Vt igitur probet quis aliquam doctrinam ex referendis in sequentibus tabulis esse male sonantem, aut piarium aurium offensiuam, necesse est primo declarare, quis sit ille sonus, aut quæ illa offensio; deinde, quod malus sonus ille, aut offensio non sit paucorum, aut male affectorum, aut minus eruditorum, præsertim si doctrinæ non vulgari sermone, nec apud vulgus proponuntur. Atque id debet conuinci experimentis, aut consultatione multorum. Tertiò probanda est absona, aut offendens doctrina, non per consequentias probabiles, sed vel per manifestas illationes, vel per certa experimenta, vel per communem sensum piorum simul, & Doctorum hominum.

Similiter vt probet, quis esse scandalosam Theologicè aliquam ex doctrinis referendis in serie tabularum, debet manifestè conuincere dari occasionem ruinæ, in materia morali, per modum dictaminis, & doctrinæ sanæ, aut alio modo, ex nuper relatis, vt autem probet esse scandalosam vulgariter, conuincere debet sermone vulgari scriptam, aut vulgo fidelium propalatam, doctrinam aliquam in materia speculatiua, quæ non sine communi tumultu, & detractione recipiatur. Item si Latinè, & Scholasticè discutiatur, non potest esse vulgariter scandalosa, vt optimè conuincit Abulensis in defensorio.

PRÆLVDIVM SEPTIMVM.

Quid necessarium sit ad probandum aliquam doctrinam esse temerariam, aut improbabilem.

DE Nota temerariæ, & improbabilis propositionis, plura dicta sunt ab Antonio Saira, in tractatu de examine doctrinarum. Addamus aliqua. Canus cap. 11. ad finem lib. 12. de locis, varios temeritatis modos recenset, sed illi sanè parum sunt nobis necessarij. Bañez 2. 2. quæst. 11. art. 2. dub. penult. ad finem rectè distin-

stinguit de propositione temeraria in fusa significatione, & sic ait: *Omnis propositio haeretica, & erronea, est satis temeraria*; si verò stricta significatione, & in specie accipiatur: *Temeraria propositio*, ait, *est quando quis quidpiam asserit contra communem opinionem Ecclesiae, aut Theologorum, sine magna authoritate in materia graui.* Nec ab hac recedit Simancæ definitio in illo titulo 54. n. 16. *Ea propositio*, inquit, *temeraria est, quae nulla graui authoritate, aut iusta ratione insolenter, vel audacter asseritur.* Et pro ea citat Antonium Turrecrematam, Albertin. Alphons. de Castro, Canū vbi supra, & Gersonem in fine epistolæ de susceptione humanit. Christi; magis ex arte definit Torres 2.2. disput. 54. dub. 4. vbi hæc propositio temeraria communiter à Theologis ea dicitur, quæ est contra communem Doctorum sententiam, sine graui fundamento authoritatis, vel rationis; additque alio sensu temerariam dici propositionem, quando quis affirmat rem, vt valdè certam sine certo fundamento.

Sed quid intelligendum est per communem sententiam; nam Iurisperiti communem sententiam vocant, quæ multorum authoritate nititur, etiamsi opposita multorum etiam sit. Quare apud ipsos non semel, sed sæpè, ac sæpiùs duæ cōtrariæ sententiæ communes sunt; quia multos quæuis, & graues habet Authores, adeò vt Zauallos integrum volumē ediderit aurei speculi opinionum communium contra communes. Respondeo Theologos non ita communem opinionem accipere, sed quando omnes, vel ferè omnes, paucis exceptis, eandem sententiam amplectuntur, vt rectè obseruauit Gillius lib. 1. tract. 7. cap. 13. vbi addit: *Cùm in Theologia sint diuersae familiae sub diuersis Authoribus, quamuis inter eiusdem familiae Doctores sententia aliqua communiter recipiatur, dici non debet simpliciter communis, si ab alterius familiae Doctoribus reijciatur, sed solùm cum addito; scilicet communis inter Thomistas, aut Scotistas; quia in re*, inquit, *multi insolenter agunt opinionem inter suos receptā communem similiter appellando, & contrariam temeritatis arguendo, cùm tamen non paucis, ac grauibus Doctoribus fulta sit.*

Sed vt rem hanc definiamus, dicendum videtur cum Suarez disp. 19. de fide, sect. 2. n. 20. temeritatem ex S. Thoma 2.2. q. 63. art. 3. ad 2. esse præcipitationem quandam sine iudicio,

dicto,vel rationis regula,quasi per contemptum eius. Quare vt in plurimum ex superbia nascitur. Erit ergo ad rem nostram illa propositio temeraria, quę sine rationis regula profertur; sub regula autem rationis auctoritas comprehenditur,quia de plerisque rebus ipsa ratio dictat multum ex auctoritate pendere; quod maximè verum est in fidei rebus, & Theologicis,quæ auctoritate potissimum nituntur; tum etiam,quia dictat non sine ratione dici,quòd à pluribus,iisque doctis viris asseritur. Etenim magnum in rebus humanis argumentum est veritatis,placuisse tot viris,ingenio, ac doctrina præstantibus. Distinguit autem Suarez ibi de propositione temeraria positiuè, & priuatiuè; temeraria positiuè est,quando repugnat receptæ, vel Patrum, vel scholasticorum sententiæ; ita tamen, vt omnes, aut fere omnes in ea conueniant,etiamsi non afferant certam esse,sed probabiliorem,aut simpliciter veram, quia tunc vix fieri potest, vt secundum rationis regulam possit aliquis tantæ auctoritati opponi,quia non est credibile Patres, & Doctores sine cogente ratione, vel sacro testimonio,in eam conspirasse sententiam,ideoque non potest contraria propositio efficaci ratione niti; vndè cùm etiam auctoritate destituatur, & tot Doctoribus opponatur,temeraria positiuè,& contrariè meritò censetur.

Sed licèt hoc in communi rectè dici videatur, exceptionem tamen habet hæc regula, & fallit aliquando, vt ait Gillius lib. 1. tract. 7. cap. 13. scilicet, quando posteriores Doctores aliquem primum docem secuti sunt, absque vllo examine,& discussione veritatis,sola eius auctoritate ducti, vt notauit Nauarr. in Manuali, cap. 27. num. 189. & Bañez in articulo 8 dubio vltim. post 2 conclus. *Quando omnes*, inquit. *ferè Theologi conueniant,licèt vnus, aut alter ab aliorum sententia discrepet,nihilominus illa oppositio in suo manet,robore, nisi fortè ille vnus tanta esset auctoritatis, vel probationes adeò validas induceret, vt eius iudicium pluribus aliis æquiualeret.* Gabriel Vazquez 1. 2 disp. 62. cap. 3. & ex eo Torres 2. 2. disp. 65. dub. 5. docent non sufficere, vt aliqua sententia temeraria sit, contra communem sensum scholasticorum esse, si efficacem aliquam rationem habeat, aut magni momenti testimonium prioribus Doctoribus nõ cognitum: consentit item Gillius in illo tract. 7. cap. 15.

loquens de sententia contrariè singulari, quam cæteri reijciunt, eam autem probabilem censet, si efficaci fulcitur ratione. Et meritò quidem; nam sunt multæ sententiæ, quæ aliquo tempore communes fuere, postea verò aliquo Doctore rem penitus inspiciente contraria florescere cœpit communisque fieri. Quocirca Banez vbi supra ait posse aliquod dogma in vno tempore esse commune omnibus Theologis, & subsequente deinde tempore, & veritate magis perspecta communiter esse illi absque temeritate: & propositis exēplis concludit *Quod enim vno tempore occultatur, postea per diligentiam, & studium aduenientium multoties innotescit.*

Præterea propositio temeraria priuatiuè, vt loquitur Suarez, siue negatiuè, vt Gillius lib. 1. tractatu 7. cap. 13. & alij vocant, est, quæ solo proprio ingenio sine sufficiente auctoritate, vel ratione excogitata est. Hæc enim deficit à recta rationis regula, & præsumptionis aliquid habet, ac proinde in materia maximè supernaturali, & Theologica temeritate non caret, licèt leuior hæc sit, quàm in positiuè temeraria, & illi non possit adaptari, vt plurimum, aut raro censura Theologica. Dixi, *maximè*, quia in materia naturali Philosophiæ, aut Metaphysicæ, aut simili, temeraria quidem erit non simpliciter, vt in materia Theologica, sed secundum quid, scilicet in hac, vel illa materia: dixi in materia supernaturali, & Theologica, quia si in hac sit contra generales fidei regulas, vel receptas in Theologia, exceptione quadam ab illis voluntariè, & sine probabili fundamento facta maximè temeraria est. De qua Canus libro illo 12. de locis cap. 11.

Vt aliqua ex propositionibus numerandis in hac seriè tabularum dicatur esse temeraria; hæc omnia cōuincēda sunt. Primum materiam de qua tractatur esse Theologicam, & ad fidem, aut bonos mores pertinentem; non philosophicam speculatiue, non historicam de rebus à Sede Apostolica minime definitis, non Medicam, aut Mathematicam. Secundò debet conuinci esse temerariam positiuè contra communē Patrum, vel Scholasticorum consensum. Tertiò manifestè probandum est, nullum aut paucissimos eam propositionem docuisse: aut si dicatur esse iam antiquatam exhibenda est manifesta, & concludens ratio, quæ talis sapientissimis omnibus videatur, aut irrefragabilis auctoritas Pontificum, vel

Conciliorum. Quartò conuincendum est nullam esse efficacem rationem, aut firmum testimonium, ex quo licite potuerit deseri communis sensus Scholasticorum, v. g. Non enim est absolute temeraria doctrina, quæ ab illis discedit, sed ea solum, quæ sine fundamento graui ipsis contrariatur. Quintò necesse est, vt Doctores qui in contrariam allegantur, non dixerint obiter, aut per condescendentium, aut dubitatiue, aut coniecturaliter suum sensum, sed rem ex professo tractantes. Sextò tandem necesse est, vt eundem sensum expresserint, veluti ad religionem, aut fidem maximè pertinentem.

Sed rogabit quispiam, an satisfit ad temeritatis notam, quod propositio sit contraria illi, quam insignis aliqua vniuersitas tenendam præcepit ex consilio, & decreto suorum Doctorum. Affirmare videtur Canus lib. 12. cap. 11. censet in fidei materia, & religionis sat esse insignis alicuius Academiæ censuram; non verò in alijs: verum vt ea doctrina Cani vera sit necesse est illam Academiam esse insignem & florentem doctissimis, & eruditissimis viris: deinde vt singuli propositionem, aut doctrinam examinauerint. Tertiò, vt vnanimiter consentiant. Quartò, vt fundamenta exhibeant irrefragabilia. Quintò, vt propositio talis sit, quæ pro se nullos habeat antiquos Doctores, vel sapientissimos recentiores. Sextò, vt sine spiritu contentionis, aut violenta coactione decernat.

Circa improbabilem notam aduertere sufficiat, sicut non est opinio temeraria, quæ contra communem est, quando efficacem habet rationem, aut graue, quo nitatur, testimonium: ita dicenda non est improbabilis opinio, licèt sit contra plures, & pro se vnum, aut alterum habeat, si probabilem pro se rationem habeat, ex probabilibus deductam principij, vt notauit Torres 22. disp. 55. dub. 3. Non ex sola auctorum multitudine, sed ex argumentorum etiam pondere, quibus opinio probatur, eius probabilitas oritur, sæpè enim pauciores Doctores maioris momenti rationibus vtuntur ad suam sententiam confirmandam, præsertim quando multi re non satis discussa, aliquem ducem sequuntur; imo vnius Doctoris classici authoritas satis est, vt eius opinio probabilis sit, vt docet Azor lib. 2. institut. moral. cap. 14. in principio, Torres loco citato, Gabriel Vazquez 12. disp. 62. c. 4.

ex

ex doctrina Aristotelis 1. Topic. c. 9. dialecticum problema constituentis ex opinione vnius sapientis eximij, & S. Thom. quodl. 3. qu. 4. art. 10. ex quibus idem docet Gillius lib. 1. tract. 7. c. 11. & ita concludit: *Opinio aliqua erit improbabilis, quando nec habet plures auctores, nec aliquem Doctorem magnæ auctoritatis, vel rationem apparenti ratiocinatione deductam ex principijs communiter receptis, vt veris, vel saltem probabilibus.* Sed de ijs infra.

Quæres, in quo differat improbabilis propositio à temeraria, cum enim improbabilis sit, quæ idoneum non habet fundamentum auctoritatis, aut rationis, & idem conueniat temerariæ, non apparet, quo differant? Respondeo, eo differre, quòd temeraria dicitur, quæ est contra communem DD. sententiam sine graui fundamento; at improbabilis potest esse, etiãsi nõ sit cõtra cõmunem sensũ, quia eam quæstionẽ pauci tractarunt, & dicitur improbabilis, quia pro se apparens argumentum non habet. De probabilitate hæc delibamus: integro enim libro illius natura explananda est.

PRÆLVDIVM OCTAVVM.

Quid necesse sit, ad probandum aliquam propositionem, aut tractationem esse indecentem, circa res, aut personas sacras, & diuinas.

POSSET Aliquis existimare propositiones, aut tractationes aliquas circa corpora Christi, & Matris fore repellendas, quia indecentiam aliquam contineant, quæ quodammodo blasphemiam redolere videatur. Fateor posse esse indecentiam durè plectendam in aliquibus tractationibus, circa res sacras, si illæ, aut inordinatis, & effrænatis verbis, aut sine vtilitate, & exemplo differantur: verum cum nulla controuersia ex proponendis quarta parte tabularum, à sanctis Patribus, vel primæuis scholasticis, vel à magni nominis Theologis non fuerit disputata, non potest subire præmissam censuram: id maximè verum est in his thesibus, quæ ad eum solùm finem destinantur, vt exploretur iustitia originaria corporis, quoad intrinsecam

secam constitutionem corporis Christi, & veritas prærogatiuarum, quæ à Concilijs, & sanctis Patribus, pro ipsius corpore declarata est; & præeminentia sanctissimæ Virginis in corporalibus, quæ à sanctissimis Doctoribus, & eruditissimis Scholasticis, magna asseueratione defenditur. Verborum delectus plures theses, & locutiones ab indecentia liberat: v.g. dicas candorem corporum Mariæ, & Iesu, aut vtriusque corporis esse velut murem Armeniæ, indecens est locutio: quod si Arminio compares pia est, & laudanda collatio: & tamen idem sunt Arminius, & mus Armeniæ.

Vt autem innotescat plurima huius generis tractari ab Scholasticis, quæ minus versatis, aut inutilia, aut indecentia viderentur, referam quæstiones nonnullas.

S. Thomas in 3. distinct. 12. quæst. 3. art. 1. disputat quare Christus non fuerit Hermaphroditus, & plerique Scholastici ibidem.

Ibidem quare non assumpserit fœmineum sexum, & plerique Scholastici in eundem locum.

1. p. q. 98. & in 3. Genesis, vtrùm essent excrementa in Paradyso: & omnes ferè Scholastici in 2. dist. 20.

In 4. dist. 44. vtrùm sancti resurgent cum intestinis; & omnes ferè Scholastici ibidem.

3. p. q. 54. art. 2 vtrùm Christus cum felle, aut ipsius receptaculo à mortuis surrexerit; in qua controuersia allegat Augustinum de illa disserentem.

Innumera huius generis disquirit S. Thomas in 2. dist. 20. & in 4. dist. 44. & pluribus alijs in locis: authoritas tanti Magistri manifestè conuincit nullam esse in ijs tractationibus indecentiam.

Albertus Magnus plurima huius coloris disputauit in sententiarij, & in summa Theologica, & in libris de animalibus; exempli gratia ex vnico tantum libro super Missus est exempla pro ducam.

An Angelus Gabriel apparuerit in specie serpentina, an in columbina, an in humana.

In quo sexu apparuerit, in qua ætate.

An in veste candida, an bicolorata, an sordida, an alba.

An in ortu diei, an in meridie, an in vesperi.

Quis fuerit color capillorum Virginis, quis oculorum.

An sciuerit artes mecanicas, an liberales, an Grammaticam, an Rhetoricam.

An sciuerit Logicam, Physicam, Quadriuium, Musicam, Astronomicam.

An sciuerit librum sententiarum, & omnia illius capitula.

Præter viginti quatuor capita circa præmissa, alia plura similia tractat Magnus Albertus, & pleraque ex illis disputant S. Antoninus 4. par. tit. 15. & similes alias tractationes disputat præsertim cap. 9. 11. 16 17. 19. 20. 21. 23. v. g. verù si Deipara fuisset vir potuisset esse naturalis parens Christi; verùm Marià grauida sedente Christus sederet, atque ipsa cubante cubaret, & plura huius generis.

In alijs Authoribus antiquis sunt innumera huius generis, verum ad exemplum paucitas idonea.

Cùm igitur quæcumque in quarta parte tabularum proponuntur, vel à Concilijs, vel à Patribus, vel ab Scholasticis disputentur, nulla potest esse nota indecentiæ. At qui eam inesse existimauerit, probare debet primò à nullo graui Scholastico, aut Patre fuisse thesim disputatam. Secundò, nullam habere vtilitatem illius tractationem. Tertiò, offensionem in moluere lectam idiomate Latino; plura enim sunt quæ Latine tractari debent, vt controuersiæ de prædestinatione, & præscientia, & similes aliæ, & tamen vulgari sermone proposita magna incommoda possunt mouere.

Appendix de moderatione adhibenda pro inferendis censuris Theologicis.

Certum est esse aliquas propositiones verissimas, quæ ob grauem censuram, quam merentur, exterminantur ab Ecclesia Dei, v. g. si quis singulas vulgariter nimis exaggeret difficultates confessionis, & frequentis communionis; si occultorum criminum, quæ ab Episcopis, Religiosis, & Clericis perpetrantur narrationes spargat, si vera contra aduersus personas Ecclesiasticas viuentes stabili monumento scripturarum commendet, si alias plurimas huius generis veritates scandalosas, seditiosas, iniuriosas, piarum

piarum aurium offensiuas disseminet, quales sunt nonnullæ historiæ de quibusdam gestis in Congregationibus generalium Conciliorum, quæ non sine ignominia Episcoporum, & Synodorum dedecore scribuntur. Non igitur dicimus has propositiones veras, eas nihilominus genus aliquod censuræ Theologicæ merentes esse impossibile, cum interdum accidat illas esse probabilissimas, interdum verissimas, & certissimas, sed loquimur duntaxat de illis doctrinis, quę quia falsæ sunt, & plusquam falsæ, singularis aliqua ignominiosa nota illis inuritur: quamquam plura de ijs dixit Saura, tract. de examine doctrinarum, hic iterum de eadem materia, diuersis quidem testimonijs, & argumentis pertractauimus, quatenus instituto nostro necessarium videtur.

Si generaliter thesim consideres, res ardua est, & quæ maturo iudicio maximè indiget, ne præcipiti censura eam asserentibus irrogetur iniuria; eo enim iudicio non solùm de veritate agitur, quæ potissimè consideranda est, ne ipsa, & fides, & Ecclesia detrimentum patiantur, sed etiam cura diligens necessaria est pro bono asserentium nomine, atque honore, præsertim cum apud fidei Censores res agitatur. Licèt enim aliquid aliud ad personam notandam, quam ad propositionem requiratur: ad personam enim notandam pertinacia necessaria est; ad notandam verò propositionem, illius solum significatum attenditur, vt obseruarunt rectè Couarr. 3. variar. cap. 1. & Castro de iusta hæreticorum punitione, lib. 1. cap. 3. tamen propositionis nota in personam eam asserentē redundat, & ei iniuria irrogatur, si eius propositioni, quæ censura digna non est, aliqua nota, vel grauior, quàm ipsa meretur, inuratur. Ex hac parte expedit, vt quisque sibi persuadeat consultius esse in notando, & condemnando moderatè se gerere. Propositio igitur censura digna, quatenus nostro thematí conuenit, ea est, quæ non solùm est falsa, sed etiam plusquam falsa, ac proinde vltra communem falsitatis gradum, digna est ignominiosa alia nota. Esse quidem varios censurarum gradus latè expendit Saura, tract. de examine doctrinarum, ex authoritate Conciliorum, Pontificum, Patrum, & Scholasticorum. De illarum distinctione agunt Sanctus Antoninus 2. part. Theologali, titulo 12. cap. 5. Syluester verbo Hæresis, quæst. 1. Turrecremata in summa, de Ecclesia, lib. 4. part. 2. cap. 11. Albertin. tractatu de agnoscen-

scen-

ſcendis aſſertionibus, quæſt. 6. Canus lib. 12. de locis, cap. 11. Caſtro de iuſta hæreticorum punitione, lib. 1. cap. 3. Simanc. de Catholicis inſt. tit. 54. & in Enchirid. violatæ Religionis, tract. 24. Corduba lib. 1. Quæſtionarij, quæſt. 17. Peña in directorio inquiſit. part. 2. comment. 26. & 27. poſt quæſt. 2. & 3. Expoſitores S. Thomæ 2. 2. quæſt. 11. art. 2. vbi Torr. diſp. 55. dub. 3. Suarez diſputat. 19. de fide, ſect. 2. Ludouic. Carbo lib. 4. introduct. in Theologiam, cap. 17. & quamuis eidem propoſitioni plures ex his notę poſsint inuri: nam in Concilio Conſtantienſi, ſeſ. 22. propoſitio: *Chriſtus quotidiè peccat*, erronea, ſcandaloſa, & piarum aurium offenſiua appellatur; hic tamen ſingillatim de vniuſcuiuſque propria ratione diximus, inuicemque diſtinximus, vt inde quantum à probabilitate recedat poſsit innoteſcere; nam licet aliqui Doctores non ſemel eas confundant, ex Concilijs, & Pontificum Bullis, in tractatu de examine doctrinarum allegatis, conſtat diuerſas eſſe. Quocirca rectè Suarez diſp. illa 19. de fide, ſect. 2. num. 21. obſeruat aliquando inter eas cenſuras, & earum gradus oppoſitionem eſſe contradictoriam, ſeu priuatiuam, ita vt non poſsint eidem propoſitioni attribui. Sed in genere obſeruandum eſt ad ferendum iudicium de qualitate, & cenſura propoſitionum, neceſſariam eſſe maximam notitiam, non ſolùm materiæ, de qua eſt propoſitio, verumetiam Authorum, qui de ea, vel curſim, vel ex inſtituto diſputarunt; nam ſine exacta materiæ, in qua verſatur propoſitio, cognitione, facilis eſt eam notantis lapſus, cum ſit difficillimum certum qualitatis propoſitionis, ac notæ gradum attingere, quia ſupponit valdè accuratam rei, de qua agitur comprehenſionem. Quare prudenter Bañez 1. p. q. 1. art. 8. dub. vltimo, concluſ. 1. ad finem, ait meritò quoſdam Theologos irrideri, quia magna facilitate ſententias omnes, quæ eorum iudicio non conſonant, grauioribus cenſuris inurunt, & reprehendi quidem debere, qui opinionibus proprijs, vel aliorum etiam nimis adhærentes, ſtatim contraria dogmata præcipiti quadam ſententia, abſque ſufficienti ratione damnant. Addit præterea Suarez diſp. 19. de fide, ſect. 2. num. 21. in eaſdem cenſuras incidere poſſe eos, qui incautè propoſitiones huiuſmodi notant, quod latiſsimè expēdit Saura integro capite, in tractatu de examine doctrinarum; nam ſicut temerarium eſſe poteſt aliquam ſimplicem propoſitionem

affe-

asserere, ita temerarium erit temeritatis censuram sine fundamento imponere, quando illam propositio non meretur, idemq; est dicendum, seruata proportione, de alijs censuris, cùm propositiones immeritò illis notantur, quia in talis cẽsuræ affirmatione talis potest esse à veritate recessus, qualis in ipsa propositione est. *Imò*(inquit)*tales censuræ imprudenter prolatæ scandalum generant, & iniuriosæ sunt, quia & infamiam inurunt, & interdum alia incommoda, & detrimẽta afferunt, & ideò prudens Theologus, ac timoratus, diligentissimè obseruare debet, vt has cẽsuras sine magno studio nõ efficiat.* Addit præterea sect. 6. eiusdem disp. n. 6. *Existimo posse facilè peccari grauiter in hac materia, exaggerando proprias opiniones, & contrarias censuris, vel conuitijs sine delectu afficiendo; nam illud facilè esse potest perniciosum mendacium cadens in aliorum infamiam, vel iniuriam, & aliquãdo in grauem pœnam, ac nocumentum, & ideò in hoc negotio magna moderatio, & prudentia seruanda est.* Sed longè ante vtrumque, ac sapientissimè Nazianz. orat. 26. *Illud*(inquit) *saltem tibi impera, vt fratrem non condemnes, nec temerè, ac præcipiti iudicio eum condemnes, quin potiùs hic humilem te præbe, dum licet: hic nullo cum tuo detrimento fratrem tibi antepone, vbi condẽnare, & contemnere nihil aliud est, quàm à Christo eijcere, atque exturbare, occultumque triticum, & quidem triticum fortasse te præstantius vnà cum zizanijs excindere*(loquitur de hæresis nota)*hanc rationem tene, vt partim illum corrigas, idque leniter, & humane, non vt hostis, nec vt durus, & rigidus medicus, nec vt sectionibus tãtùm, & cauterijs aduersus morbum grassari sciens: partim te ipsum, ac tuam infirmitatem agnoscas. Quid enim si lippientibus oculis, aut alio quopiam morbo laborantibus obscurum Solem aspicias? Quid si omnia verti, ac sursum, deorsumque ferri putes, ipse nausea correptus, aut vino obrutus, ignorantiamque tuam alijs tribuas? Multùm, diuque antea versandus, atque contorquendus est animus, multa ferenda, quàm vt alium impietatis damnemus. Non idem est stirpem, & breuem quemdam, & caducum florem euellere, atque hominem excindere. Imò Dei es, & imaginem quoque Dei alloqueris, iudicium quoque subibis, qui iudicas, & quidem alienum seruum iudicas, sic fratrem tuum explora, quasi ipse ad eandem mensurã expendendus, &c.* Vbi alias subiungit rationes.

PRÆ-

PRÆLVDIVM NONVM.

De locis ad faciendum probabiles opiniones sequentium tabularum.

De proprio Theologiæ loco probabili ex Patrum authoritate.

OMnia loca humana tantùm authoritate nitentia fallibilia sunt, iuxta illud Psalmi 115. *Omnis homo mendax*, hoc est, ratione suæ ignorantiæ, aut malitiæ falsa dicendi periculo homo suo ingenio ductus expositus est. Vnde Augustinus cap. 9. lib. 2. de ordine humanam ait authoritatem plerumque falli, estque communis Patrum sententia, sacris literis, solis eum honorem haberi debere, vt assensus præstetur, quia ipsæ dixerint.

Locus ex Patrum authoritate proprius quidem Theologiæ est tam Scholasticæ, quàm moralis, & positiuæ, cùm nulla naturalis scientia eo vtatur, sit verò in communi vsu non solum recentiorum Theologorum, sed antiquissimorum etiam Patrum, & Conciliorum, vt ex Lateranensi 2. consultat. 5. ex 5. Synodo generali, & ex sexta Synodo innotescit. Præterea Augustinus in libro cõtra Iulianum, pluribus sanctorum Patrum, etiam sui temporis testimonijs vtitur, Hieronymus similiter aliorum Patrum refert placita. Fulgentius, & Prosper sancti Augustini vestigia sequuntur, vt cæteros prætermittam. Denique cap. *maiores*, de Baptismo, & cap *cùm Marthæ*, de celebrat. Miss. vel ipsi Summi Pontifices de Theologorum sententia respondent. De S. Thoma, & Scholasticis res probatione non eget, cum fere semper ex maiorũ sententia decernant.

Licèt igitur hic locus in vsu proprius Theologiæ sit, & Theologorum Scholasticorum, Moralium, & Positiuorum, vt ex dictis constat, tamen solùm probabilis est. Vtrumque docet S. Thomas 1. part. quæst. 1. art. 8. ad 2. & cum eo omnes interpretes. Hic enim non est sermo de concordi omniũ Patrum sententia in ijs, quæ ad fidem pertinent, vel ad mores; nam si seorsim vnanimiter scripserint, ad Ecclesiæ

authoritatem, si simul in legitimo Concilio congregati ad generalis Concilij authoritatem spectant. Quod intelligendum est, cum in rebus consentiunt ad fidem, vel ad mores pertinentibus, & id tanquam rem de fide affirment; nam si conueniant in rebus minimè ad fidem, aut mores spectantibus, vel in aliqua re tanquam probabili, probabile inde solùm, grauissimum tamen accipi potest argumentum. Quocirca Suarez disp.4.de fide, sect.2.n.5. *Si* (inquit) *Patres, vel Scholastici in aliqua sententia conueniant, non asserendo illã esse de fide, sed iudicium suum in ea proferendo, non facient rẽ de fide.* Quia semper manent intra mensuram humanæ authoritatis, licet sit magna temeritas ab eis dissentire.

Sed sermo hic est de singulorum, vel etiam plurium sententijs, è quibus quidam sunt, qui nullam habent peculiarem Ecclesiæ approbationem, & de his certum est apud omnes errare posse, ac proinde non esse illis maiorem fidem adhibẽdam, quàm ab eorum authoritate, vel ratione petita probatio exegerit. Ita S. Augustin. in proœmio lib.3.de Trinit. & lib.4. de anima, & eius origine cap.1. & epist.19. ad Hieron. & 2. de Baptismo contra Donatistas, cap.3. & epist.48. ad Vincent. & 111. ad Fotunat. quæ omnia ad verbum referuntur à Gratiano dist.9 & in omnibus constanter affirmat Augustinus in his Scriptoribus sacris, seu Canonicis eum honorem deferendum, vt errare non possint; cæteris solùm credẽdum, quatenus authoritate, aut ratione probauerint: quod etiam probat Henricus in summa, art.16. & omnes ferè Doctores.

Ratio verò est, quia non solùm singuli Patres interdum veritates aliquas non comprehenderunt, sed etiam nonnulli in aliquas non veras opiniones inciderunt, vt probat Canus lib.7. de locis, cap.3. & Sixtus Senensis lib.5. & 6. Biblioth. & Paulus Sfaald. in decisionibus, & alij plures. Potest tamẽ ex his Patribus tripliciter sumi argumentum. Primò, quando vnus tantùm, nemine negante, affirmat. Secundo, quando multi dicunt aliquid esse non omnino assertiuè, sed probabiliter tantùm, nullo contradicente. Tertiò, quando multi quidem idem dicunt, tamen non planè conueniunt, sed alij contradicunt. Quinque etiam modis negari potest Patrum aliquorum authoritas: primò, quando aliquid dicunt contra sacram Scripturam, vt dixit Origenes dæmones esse saluandos,

dòs, & hominum animas ab æterno esse creatas: secũdò, cùm aliquid Patres ante dixerunt, cuius contrarium à Concilio definitum est, veluti de Cypriano constat circa rebaptizandos hæreticos, vt ostendit Augustin. 2. de Baptismo contra Donatistas: tertiò, quando Ecclesia magis alteri parti videtur fauere, vt quòd Beatissima Virgo non sit concepta cùm originali peccato: quartò, quando vnus aliquid asserit, cuius contrarium omnes alij docent, vt de sententia Augustini, quod omnia simul condita fuissent: quintò, quando loquuntur de Philosophicis rebus contra communem Philosophorum sententiam, vt cum Chrysostomus negat plures esse cœlos, Augustinus, & Lactantius Antipodas.

Agendo de his, quorum doctrina Ecclesiæ habet approbationem, Glossa cap. *Sancta Romana*, dist. 15. existimat propter eam approbationem nihil erroris, aut falsitatis eorum Patrum sententiam continere. Sed hunc glossæ intelligendi modum, manifestum continere errorem, ait Canus lib. 7. ca. 3. conclus. 2. Castro verò lib. 1. aduersus hæreses, cap. 7. ineptiam vocat, & audaciam risu dignam, & authorem mendacem. Contra glossam etiam fusè Abulensis in suo defensorio, part. 2. cap. 18. 19. & 20. & potissimum 81. 82. 83. 84. & 85.

Idem contra glossam sentiunt Horantius lib. 5. locorum Catholicorum, cap. 2. & 3. Palatius quæst. 8. Prologi, & Gillius lib. 1. tract. 7. cap. 11. qui his verbis exponit: *Quando nihil in particulari decernendo, sed tantùm per verba generalia Doctoris alicuius doctrina recipitur, aut approbatur, ex hac approbatione habet magnam prærogatiuam probabilitatis, non tamen infallibilem certitudinem veritatis.* Quod in illo num. 10 & 11. fusiùs probat. Adde ex illa approbatione haberi, quòd ea doctrina sit viri pij, & orthodoxi, de quo nulla est suspicio quòd aliquid aduersus Ecclesiam docere voluerit. Quod si id reperiatur in eius scriptis, vel piè interpretandum, vel non ex prauo affectu dictum esse iudicandum, quod colligitur planè ex Gelasio in Cõcilio Romano. Aliud est, quando Ecclesia in particulari definiendo doctrinam aliquam alicuius sancti approbat: tunc enim ea Patris doctrina coincidit cum doctrina Ecclesiæ, atque ideò habet infallibilem authoritatem, non quia ab viro, vel omnibus tradita, sed quia Ecclesiæ decreto confirmata est. Huiusmodi est epistola Leo-

nis

nis Papæ ad Flauianum, contra Euthychetis hæresim, quę vsque ad vltimum iota approbatur, & ex ea particulari approbatione infallibilem habet auctoritatem.

In hac serie tabularum plura sunt, quæ non vnus tantùm Pater, sed aliqui nemine contradicente affirmant; atque ista non possunt non esse probabilia. Deinde alia sunt, in quibus multi Patres idem dicunt, sed non consentiunt aliis contradicentibus; atque in ijs vtraque pars est probabilis. Tertiò alia quædam asserta sunt, quæ non omnino assertiuè à nonnullis Patribus efferuntur; atque in ijs sua etiam inest secum probabilitas.

De proprio Theologiæ loco probabili ex auctoritate Scholasticorum.

ANtequam expendo auctoritatem Theologorum ad conciliandam probabilitatem opinionibus, suppono principium aliud de ipsorum auctoritate vnanimi, quæ certissimas reddit sententias ab ipsis sine controuersia receptas. Quod Scholastici Doctores locum habeant, eumque magnę in Ecclesia Catholica auctoritatis, tàm certum est, vt opus non sit in eo probando immorari: Ecclesia enim in quacumque ætate suos habere debet Doctores, quos Deus illi dedit, vt Paulus ait ad Ephes. 4. alios autem non habet, nisi Theologos, & qui ad eos reuocantur Iuris canonici peritos. Præterea ab eo tempore, quo Scholastici florere cœperũt, Scholasticorum doctrinâ Ecclesia vsa est in suis decretis conficiendis, hæreticorum erroribus refutandis, & rebus dubijs explicandis, idque ex Conciliorum actis constat, quæ post eorum ortum congregata sunt; sunt autem inferioris auctoritatis, quàm Patres, hi enim antiquitate, doctrina, & sanctitate illis præstiterunt, & singulari Dei spiritu illustrati diuinas res tractarunt, & quæ ab Apostolicis viris acceperunt, suis monimentis posteris reliquerunt: Scholastici verò ea collegerunt, & examinata rationibus vltro citroque iactatis, nobis tradiderunt. De Scholasticorum igitur communi consensu in rebus ad fidem, vel mores spectantibus, non hic agimus: communis enim sententia est, infallibilem eum auctoritatem continere, ac proinde irrefragabile argumẽtum; & illi oppositum errorem in fide esse, aut illi proximum. Ita

docent

docent Canus de locis, lib. 7. cap. 4. conclus. 3. & lib. 12. cap. 7. præcept. 8. Bañez 1. p. art. 8. dub. vltim. conclus. 3. Trigosus in summa S. Bonauent. quæst. 1. artic. 3. dub. 3. §. 7. locus; Ludouic. Carbo libro 5. introduct. in Theologiam, cap. 10. Addit Bañez supra ad 3. dupliciter Theologos aliquã sententiam docere: primò firmiter asserendo tanquam certam, & tunc vnanimis in his consensus, quæ ad Religionem pertinent, argumentum de fide facit: secundo modo, non firmiter asserendo, sed quasi dubitando, hoc verbo vtentes, *videtur*, aut *probabiliter dicendum*; & tunc licèt omnes conueniant, oppositum sentire licitum est. Quod exemplis illustrat, quæ legi apud ipsum possunt. Suarez de Fide, disput. 4. sect. 2: *Si Patres, vel Scholastici conueniant in asserendo rem esse de fide, semper applicabunt aliquam regulam fidei, cuius ipsi sunt quasi testes, & ratione illius faciunt certam fidem.* Idẽ docent plerique alij recentiores. De quibus plura à nobis dicta sunt in opusculo de examine doctrinarum, cap. 1. & 2. & in præludio primo huius tractationis.

Probant primò ex Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit*; quod non solùm de primis Ecclesiæ Doctoribus dictum fuisse, verumetiam de ijs, qui futuri sunt toto Ecclesiæ tempore, existimant. Confirmatur ex Paulo ad Ephesios 4. *Alios dedit Pastores, & Doctores*: ij autem, qui sunt à tempore, quo Scholastici florere cœperunt, nisi Theologi Doctores?

Secundò, quia si omnes Theologi in rebus fidei, & morum errarent, tota Ecclesia posset errare, quod est absurdũ. Sequela probatur: quia Theologi sunt Doctores populorũ, quibus illi credere debent; si enim omnes errarent, Ecclesia esset exposita maximo errandi periculo.

Tertiò, quia Ecclesia sæpe definit tanquam de fide, aliquas propositiones, quæ in sacris literis non habentur expresse, sed communiter, & constanter asserebantur ab omnibus Theologis, qualis fuit hæc; Christus habet humanam voluntatem: quam Theologi colligebant ex hac doctrina fidei; Christus est verus homo: & in alijs eiusdem rationis; imò & nunc si Ecclesia definiret, Christum à primo Incarnationis instanti diuinam essentiam vidisse, quod omnes Theologi constanter affirmant, & ex Scripturę locis, alijsiue fundamentis fidei deducunt.

Quartò,

Quartò, quia Theologi nunquam omnes in aliquo dogmate firmiter adstruendo conueniunt, nisi propter S. Scripturæ, aut Ecclesiæ testimonia, è quibus illud apertè colligatur, & nullum eiusmodi ab eis recipitur, quod verum non sit, & ab Ecclesia eorum auctoritate inducta receptum: ergo, &c.

Sed quamuis hæc sententia tam amplè accepta recipienda non esset; vera saltem est, si temperetur, denegando quidem communem Theologorum opinionem in fidei rebus, ac morum, eam infallibilem auctoritatem habere, vt oppositum sit hæresis, aut error. Primò, quia nulla extat Dei promissio de assistentia Spiritus sancti doctrinæ Theologorum, ne errent; non quidem particularis, ex Scriptura, traditione, aut Ecclesiæ definitione; nec generalis, quia licèt omnes scholastici Doctores errarent, non ideò vniuersa erraret Ecclesia: cùm aliter possent sentire Prælati, & Romanus Pontifex, & alij fideles: Theologi enim nec re, nec repræsentatione sunt tota Ecclesia. Secundò, propositiones ad fidem pertinentes, in quibus omnes Theologi conueniunt, si ab Ecclesia definiantur, maiorem inde habent certitudinẽ, & infallibilitatem quoad nos, quàm antea haberent, quæ alia non est, nisi fidei certitudo: ergo hanc antea non habebant ex Theologorum auctoritate. Tertiò, quia non est, vnde repugnet omnes Theologos circa aliquam fidei quæstionem decipi, cùm omnis propositio in discursu fundata, ad naturale intellectus lumen reducatur, quod non repugnat in omnibus Theologis circa vnam, aut alteram consequentiam decipi.

Concedimus tamen, quòd communis Theologorum consensus aliquid tanquam ad fidem pertinens asserentium, licèt non reddat ex se propositionem infallibiliter veram, in quo consentit Bañez vbi suprà, & indicát Suarez; ex illo tamen sumi argumentum non logicè, sed moraliter certum, & hoc sentire Doctores asserentes temerarium esse à communi Scholasticorum assertione dissidere, vt Vega lib. 9. in Tridentinum, cap. 4. & alij recentiores affirmant. Ratio est, quia peritis in sua arte credendum est, & proprium Theologorum est ex reuelatis conclusiones deducere. Quare non videtur fieri moraliter posse, vt omnes aliquid testificentur ad fidem pertinere, quod falsum sit, idque quodammodo ad diui-

diuinam prouidentiam pertinere, ne fidelium multitudini errandi præbeatur occasio. Neque Cani argumenta aliud probant; non primum, quia ibi Christus de singulis loquitur; non de omnium collectione, quare sequeretur nec singulos errare posse, quod dici non potest. Paulus verò ibi agit de Doctoribus ex officio, quales sunt Prælati, vt ibi ait interlinearis glossa, eiusmodi autem non sunt omnes Theologi.

Ad secundum, iam constat ex probatione primi.

Ad tertium conceditur antecedens, exemplum autem nõ est ad rem, tum quia nondũ erant Theologi Scholastici, cùm generalis sexta Synodus id definiuit: tum etiam, quia ex Scripturæ expressis testimonijs id decreuit. Quod si demus Ecclesiam definire communem Scholasticorum sententiam, tunc Ecclesia mouebitur ad id definiendum, non ex solo cõsensus omnium Scholasticorum motiuo, sed ex sacræ Scripturæ motiuo, aut traditionis, in qua ille fundatur.

Ad vltimum non repugnat ita decipi in alicuius conclusionis deductione, nec illa, quam Bañez assignat, est ab Ecclesia recepta tanquam fidei dogma.

Sed quidquid sit de hac controuersia ex dictis satis nobis est colligere, non institui hic sermonem de huiusmodi Scholasticorum consensu, ex quo accipitur argumentum, siue certum omninò, siue moraliter saltem; hoc enim reuocandum est ad locum ex Ecclesiæ authoritate, hic solùm est sermo de argumento non certo, sed probabili ex Scholasticorum authoritate. His positis.

Prima conclusio sit, quando Scholastici Doctores in re nõ Theologica conueniunt, aut in Theologica sunt inter se diuisi, solùm ex eis sumitur probabile argumentum magis, aut minus, quo Scripturæ authoritas, aut ratio, quam afferunt, fuerit efficacior. Ita Bañez supra dub. vltimo. Præterea experientia constat, sæpè etiam Scholasticorum præstantissimos errasse. Nec est, quod immoremur in recensendis Alensis, Scoti, Durandi, Ochami, & similium reprobatis opinionibus, ne dicam erroribus; quod fecere Vielmius, Senensis, Grisaldus, Azor, Grabrina, & alij à nobis in serie tabularum allegati.

Probatur vt suprà de Patribus, qui maioris sunt authoritatis, quàm Scholastici: ij enim & recentiores sunt, & sanctitate, ac doctrina illis inferiores: & sanè Gilius lib. 1. tra-

ctatu

ctatu 7.cap.11.idem ostendit de Canonici iuris peritis, qui ad Theologos reuocantur, & in rebus ad Theologiam, & Sacramenta spectantibus lapsi interdum sunt. Addit Ludouic. Carbo lib.5.introductionis in Theologiam, cap.10.ad finē, in ijs, quæ ad fidei dogmata spectant, Theologorum Scholā Canonistarum testimonio non indigere, quoniam harum rerum tractatio ad eos non pertinet. Quare cùm in hoc rerum genus incidunt Iurisperiti suos auditores meritò ad Theologos remittunt, vel si quid dicunt, ab ipsis etiam Theologis accipiunt. Si verò de moribus agatur, vt de virtutibus, & vitijs secundum naturalem legem, & diuinam, quamuis Theologi vti possint Canonistarum testimonijs, eis non indigent vt plurimùm; nam ipsi non norunt vim, ac rationem humanorum actuum: vnde fit, vt in casibus, quos conscientiæ vocant, non semel labantur. Nihilominus in ijs rebus, quæ ad mores, & Ecclesiæ ritus pertinent, & à Pontificijs legibus pendent, valdè vtiles sunt Theologis, vt si de censuris agatur, de dispensationibus, de iurisdictione, de pœnis, ac similibus; quoniam hæc, & huius generis alia eorum facultati sunt speciatim subiecta. Quæ omnia obseruauerat ante Bañez, 1.p.q.1.art.8.dub.vlt.in solut.ad vltimum, & copiosius explicauerat. Quod probabile verò præstent argumentum probandum est infra. Vnde rectè colligit Bañez vbi supra, cùm duæ sunt inter se pugnantes opiniones, quarum quælibet rationibus nititur probabilibus, & contraria soluit argumenta, habetque doctos viros, non est, cur huic, aut illi parti pertinaciter quis adhæreat propter alicuius authoritatem: sed ponderandæ sunt rationes, & iuxta earum vim adhibendus assensus. Nec inter est, quod in vnam plures partem inclinent, si pauci graues, & docti oppositum sentiant, non enim numero indicanda hæc, sed pondere.

Secunda conclusio, in Theologica re, non ad fidem, & mores proximè pertinente, communis Scholasticorum consensus argumentum facit plusquam probabile, cui contradicere est temerarium. Ita Bañez 1.p.q.1.art.8.dub.vlt.conclus.2. Trigosius ad quæst. 1. summæ S.Bonauenturæ, art.3.dub.3. Ludou.Carbo in eod.c. 10.dicto 2. & exemplum ponit, vt si negaret quis, quod communiter Scholastici omnes docent Christum ab instanti suæ Incarnationis diuinam essentiam clarè vidisse. Quòd autem id negare sit temerarium, probatur,

tur, quia non potest aliquis singularis homo, sine audaciæ, & temeritatis nota, contra eos opinari, qui sunt in aliqua re periti, si ipsi consentiant; præsertim cùm hi Doctores soleant libenter inter se dissentire: sic enim ait Bañez suprà, in qualibet arte peritis credendum esse naturalis ratio ostendit; ita vt non absque temeritate liceat ab illis dissentire, vt à nautis in nauigandi arte, in agricultura ab agricolis: ergo in Theologicis rebus Theologiæ Magistris temerarium erit contradicere. Confirmatur: nam hac de causa in sacris Concilijs semper earum opinionum habetur ratio, quæ inter Theologos sunt magis communes, magisque receptæ, vt patet ex Clementina vnica de summ. Trinit. & fide Catholica, vbi Patres Concilij Viennensis opinionem illam, quæ dicit in Baptismo gratiam infundi, & virtutes, tanquam probabiliorem, & Theologis magis consentientem, proponit Theologis tenendam, & eligendam.

Tertia conclusio. Non solùm communis Scholasticorum consensus, sed etiam insignis alicuius Scholastici Theologi autoritas probabile facit argumentum, vt S. Thomæ, Alberti, Alensis, & similium. Ita Azor lib. 2. institut. moral. c. 14. in principio, *Torres* 2.2. disput. 55. dub. 3. ex Gabriele Vazq. 1.2. disp. 62. ca. 4. Probatur ex Aristot. 1. *Topic.* c. 9. qui dialecticum problema constituit ex opinione etiam vnius sapientis eximij, nisi absurda sit: & ex S. *Thoma* quodl. 3. q. 4. art. 10. asserente, vnumquemque posse absque periculo sequi sui magistri opinionem, nisi erronea sit, aut ab Ecclesia reprobata: ex Augustino, de doctr. Christiana, libro 3. Et ratio est, quia vnus ille Doctor habere potest argumenta magni momenti, ex autoritate, aut ex principijs communiter receptis, & satisfacere magna cum probabilitatis specie argumentis oppositis: de quibus Doctores 1. 2.

Quod intelligendum est de sententia negatiue singulari Doctoris, cui cæteri non contradicunt, nec assentiuntur, quia de ea re non egerunt: si autem sit singularis contrariè, quam cæteri omnes reijciunt, parum probabilitatis affert ex vi solius autoritatis, nisi efficaci fulciatur ratione; quæ si desit, probabile argumentum non erit, quòd vni placeat, si ab cæterorum sententia abhorreat: vt enim in prouerbio est *dictum vnius dictum nullius*. Aduertit etiam Torres, ad finem illius dubij 3. maturo iudicio procedendum in hac re,

ne iudicemus aliquam esse singularem opinionem ante accuratam Doctorum lectionem; sæpè enim inueniemus opinionem nouam non esse, neque singularem.

Ex ijs fit, quòd sufficiat ad probabilitatem inducendam opinionibus in sequentium tabularum serie, recitatiuè, aut dubitatiuè proponendis. Quę pro se habent grauem aliquem Scholasticum Doctorem, nullo alio contradicente, manifestè sunt probabiles. Deinde quæ pro se habent Doctorem aliquem grauem ex antiquis, vel modernis, alijs paucis contradicentibus, etiam sunt probabiles. Tertiò, quę nec pro se, nec contra se habent Auctores, si verisimilem habeant probationē, aut rationem, etiam sunt probabiles: quamquam huius tertij generis nulla reperietur. Quartò, quæ ex alijs opinionibus probabilibus Scholasticorum probabiliter inferuntur, etiam sunt probabiles.

De loco probabili ex Ecclesiastica historia.

QVoniam prima, secunda, & tertia parte tabularum plurima historica referuntur, necesse est expendere, quæ sint requisitæ conditiones ad inurendam notam Theologicam historiæ alicui Ecclesiasticæ; & quid sufficiat, vt ex illa probabile sumatur argumentum. Non replicabo hic, quę dicuntur à nobis tract. de examine doctrinarum, cap. 8. & 9.

Non est hic sermo de loco à diuina historia, & in sacris literis contenta, quem immeritò Ludou. Carbo posuit lib. 5. introduct. in Theologiam, c. 13. dict. 1. licèt enim leuissimā rem narret, id saluâ fide negari non potest, vt quod Saul asinas habuerit, 1. Reg. 9. Tobias canem, Tob. 6. & similia; argumentum enim hinc sumptum, pertinet ad locum ex auctoritate sacræ Scripturæ: cùm enim in sacris literis gesta narrantur, proprius, ac præcipuus sensus est historicus, qui literalis est, vt docet Augustin. lib. vnico, de Genesi ad literam, c. 2. S. Thom. 1. p. q. 102. art. 1. & de potentia, q. 6. art. 7. sermo igitur hic est de historia non sacra, sed humana, Ecclesiastica tamen.

Is locus probabile tantùm nobis suppeditat argumentū, quatenus ab historicis producitur, etiamsi certissimas res, vt sacras Scripturas, & Apostolicas traditiones, ac Pontificū, & Conciliorum decreta contineat. Ita Abulens. 2. p. de sensorij,

tij, cap. 18. post med. & meritò exclusit hunc locum à diuina historia Gretius lib. 1. tract. 7. c. 15. Canus de locis, lib. 11. c. 4. conclus. 1. & 2. Ratiò verò est, quia humana omnis historia incerto nititur, & fallibili motiuo, nimirum auctoritate humani scriptoris, qui fallere potest, & falli; quare non potest esse per se Theologici assensus certi principium, sed probabilis solùm, etiamsi reuelato principio coniungatur: licèt enim humana historia certissimas res referat, vt sacras Scripturas, aut Apostolicas traditiones, & Pontificum, ac Conciliorum decreta, hæc per se certitudinem habent infallibilẽ, eam tamen formaliter non habent ex historia referente, nisi, vt ita dicam, materialiter, quia ibi continentur; aliũde enim eam certitudinem habent, nimirùm ex Ecclesiæ sensu, & traditione ab eo tempore, quo illa, quæ referuntur, gesta sunt, vsque ad nostrum, vel ore tenus, vel quia apud Ecclesiam seruatus hucusque est authenticus archetypus actorum generalis Concilij, Apostolica auctoritate firmatus, & Episcoporũ subscriptione; vel saltem authenticum exemplar ex eo descriptum ex eadem auctoritate. Quare nuda historia, quæ à publico notario non habetur scripta, qui Concilio, vt persona ad id deputata ex officio aderat, & ea, quæ scribebat, omnibus Patribus referebat, vt ab omnibus communi consensu approbabantur, & finito Concilio subscribebantur ab omnibus Patribus, nullo modo firmam fidem facit, nec omnino, est necessaria conditio ad assentiendum fide diuina Conciliorum decretis.

Non satis esse potest simplex narratio, nisi Ecclesia, perpetua traditione id docuerit, vel ore tenus, vel per authentica Concilij acta ab ipsa conseruata, de quibus illi constat esse authentica; sed licèt scripta historia sit à doctissimis viris, & sanctissimis, certam nõ habet auctoritatem, sed probabilem solùm ex sententia Augustini lib. 18. de ciuit. c. 38. Ecclesiastica historia nihilominus vtilis maximè est, & assiduo studio euoluenda, vt cognoscamus contra quas hæreses Concilium definierit, & eius decreta meliùs intelligamus, hæresésque efficaciùs confutemus. Vnde meritò Gabriel Vazquez, 1. p. disput. 12. cap. 4 hũc locum ex Ecclesiastica historia, quæ narrat Conciliorum acta, & Pontificum, Ecclesiasticas traditiones, & contrarias hæreses, contra quas in Concilijs actũ, docet proprium esse Theologiæ locum, imô & necessarium,

vt

vt ipse contendit; non quia humana historia Concilij definitione, vt veritatis principio nitatur, sed quia nisi historiæ fide de Concilio constaret, & auctoritate, qua congregatum, & formatum fuit, ex ipso non possemus argumentum rectè deducere. Præterea, quia nisi ex eo constet de hæresibus, & sententijs illius temporis, contra quas illud emanatum sit, sæpè mentem Concilij assequi non poterimus, quod ibi exemplis ostendit, & latiùs Canus lib. 11. de locis, cap. 2. indicans multorum errores ex historiæ ignoratione ortos. Sed addit Vazquez vbi supra cap. 5. huiusmodi historiam quandam esse Theologici principij partem, quatenus assumitur à Theologo, simul cum ipsa Concilij definitione, ad conclusiones inferendas; Nam ad Theologum pertinet primum quærere fundamentum principiorum, quæ assumit ex definitione Concilij, legitimum etiam sensum, & veram eorum interpretationem tenere, ad quæ plurimum refert historia. Quare sicut de sapiente dixit Aristoteles 6. Ethicor. cap. 7. ipsius esse non tantùm ex principijs veras colligere conclusiones, sed etiam circa principia dicere vera; ita quoque ad Theologum, qui sapiens est, suorum principiorum fundamenta exponere pertinet, & plura circa ipsa dicere; id autem commodè non præstabit, nisi Ecclesiasticam historiam probe nouerit. Sed licet hoc vltimum verum sit, primum falsum esse videtur, nunquam enim humana historia, & fallibilis, est pars principij Theologici certas conclusiones, & scientificas inferentis; istæ enim inferri non possunt, nisi ex omnino certis principijs, & humana omnis historia etiam Ecclesiastica nititur auctoritate scriptoris, qui cum homo sit falli potest, & fallere: ergo non potest esse pars principij Theologici, licèt requiratur ad plenam intelligentiam Concilij, vt etiam requiritur linguæ, siue Grecæ, siue Latinæ notitia, in qua illud scriptum fuit.

Cùm historici omnes Ecclesiastici in aliqua re narranda conueniunt, argumentum est efficacissimum, non vt rem de fide faciat, cùm talis auctoritas merè humana sit, cui falsum subesse potest, sed ita vt illud negare temerarium esset. Ita Ludouicus Carbo vbi supra dicto 2. & 3. Quod probant argumenta, quæ docent temerarium esse affirmare, quicquam contra communem Scholasticorum consensum. Sic etiam intelligi potest Canus de locis lib. 11. cap. 2. conclus. 3. cum ait, ex horum testimonio certum argumentum sum., vt Theo-

lo-

logica dogmata firma etiam ratione constituantur; vbi certitudinem pro morali sumo, quia moraliter loquendo non contingit, vt historici omnes fallantur, id tamen non repugnat; atque ita in eo communi consensu tanta certitudo non est, quin ei posit falsum subesse, ac proinde non est sufficiens auctoritas ad statuendum omnino certum Theologiæ principium. Ad exemplum verò, quo vtuntur Canus, & ex eo Ludouicus Carbo, respondetur Summum Pontificem esse sancti Petri successorem, non esse Theologicum dogma ex eo solùm, quod id historici dicant, sed quia extat in varijs Concilijs, & Pōtificum decretis. Quæ verò ex historicorum communi consensu habentur, tantam fidem faciunt, vt oppositum videatur temerarium, cum sine probabili fundamento asseratur. Alia ratio est, quando historici non conueniunt, vel aliquid ab vno refertur, aut altero tantùm, & non ab alijs, vel diuerso modo refertur, tunc enim argumentum inde sumptum, solùm est probabile. Ita Canus lib. 11. cap. 4. concl. 2. & Ludouicus Carbo vbi supra. Quamuis, si dissensio sit solùm in vna, vel altera circunstantia, non infringit vim argumenti; verbi gratiâ: conueniunt historici Diuum Petrum Romam venisse, alij dicunt anno secundo, alij quarto Claudij anno, tunc solùm in temporis circunstantia discrepant, quæ minimè communem consensum eneruat. Similiter conueniunt Tiberium imperasse, sed quot imperauerit annis dissentiunt. Obseruat tamen prudenter Ludouicus Carbo dicto 5. argumentum ab hoc loco ductum, licèt probabile solùm sit, ac proinde negari posit; id tamen non sine prudentia, ac modestia fieri debere, præsertim si historia sit à viris pietate, & doctrina insignibus, literis consignata, cuiusmodi sunt Gregorius, Hieronymus, & similes, imò etiamsi auctor tantæ auctoritatis non esset, si tamen quod narratur, ad pietatem conferat, vt nihil absurdi contineat. Historijs verò, quæ Apostolorum, aut sacrorum aliorum Scriptorum nomine circunferuntur, quia vt Augustinus ait lib. 18. de ciuitate, cap. 38. vtrùm eorum sint, ignoratur, non est certa fides adhibenda, nec ex eis infallibile sumi potest argumentum.

Quod si prætereà quæras, quas Theologo afferat Ecclesiastica historia vtilitates, vltra explicatas, cùm ex ea non

sума-

sumatur certum argumentum? Respondetur primùm conducere ad veros Theologiæ discursus tanquam manuductiones,& explicationes terminorum inseruientes ad intelligendas reuelatas veritates; cùm enim Theologiæ principia reuelata sint, ad intelligentiam veri sensus Scripturæ, Conciliorum, Canonum, Pontificum decretorum, maximè conducit notitia historiæ, vt ex Vazquez declaraui supra. Quòd verò valdè iuuet ad percipiendum literalem Scripturæ sensum probant Augustin.lib.2.de doctrina Christiana,c.28. Hieronym.in præfat.comment. Danielis, & alij, quorum verba affert Martin.lib.1.Hypothiposeon,c.13. qui varijs exemplis idem illustrat. Pagninus etiam cap.36. Isagoges ad sacras literas, Driedo lib.3.de scripturis,c.2. Sebast.Perez,regul.7. de sensibus Scripturæ. Hoc ipsum probat ratio Gabr.Vazq. vbi supra: nam ad percipiendam Conciliorum mentem contra hæreses decreta constituentium, plurimum refert ex historijs nosse, quid hæretici censerent, & vt innotescat, quid formaliter contra illos decretum sit.

Secundo per se conducit historiæ notitia ad probabiles ratiocinationes in Theologica materia, quibus Theologicæ opiniones gignuntur, nam argumentum ab exemplo ponitur ab Aristotele 2. Priorum c.24. inter media probatiua; at ex probatis historijs sumi multa exempla possunt, quæ Theologiæ inseruiunt, præsertim morali, vt cùm in materia de dispẽsatione ex aliquo Pontificis facto, quod ex fide digna historia constat, fieri posse infertur, quod Pontificis auctoritate factum est; & exemplo Auctorum, tam Theologorum, quàm Canonici Iuris peritorum: qui similibus sæpè argumentis in grauissimis casibus vsi sun.

Vt quispiam probet aliquam ex historijs à nobis productam, 1.2.3.7. & vltima parte tabularum mereri censuram, probare debet: Primò, opponi historiæ ab Ecclesia receptæ cum approbatione Pontificum, rem veluti certam determinantium. Secundò, punctum historiæ esse de rebus ad fidem, mores, vel vniuersalis Ecclesiæ decorem pertinentibus.

Tertiò, ex proposita historia damnum aliquod, scandalumvè emergere.

De

De loco ab auctoritate Iuris ciuilis Professorum, qui est primus è tribus probabilibus locis Theologiæ scholasticæ moralis, & positiuæ, non proprijs, sed extraneis.

QVoniam plura iurisdictionalia proposita sunt tractatu de primis instantijs, & alijs recursibus, eaque interdum Iurisperitorum auctoritate munita, & sæpe Theologi ijs præsidijs vtuntur, oportet vt aliqua deuebemus.

Est hic locus sub humana autoritate contentus, ac proinde solùm probabilis, & Theologiæ non proprius, sed communis naturalibus alijs facultatibus, ei tamen subseruiens; sumitur ex autoritate Philosophorum, ac mundi sapientum: hic autem locus in vsu est, tam Christi, quàm Apostolorum, ac Patrum Ecclesiæ; tum quia Theologia Philosophiā supponit, & eā tanquam ancilla, & eius autoribus vt famulis vtitur, tum etiam ad Gentiles alliciendos ad fidem, vel ex ipsis eorum sapientibus confutandos: de quo plura diximus libello de placitis Philosophorum; qua etiam de re Canus lib. 2. de locis, cap. 3. Sed de his mundi sapientibus non solū certum est, vt homines errare potuisse, sed etiam in plurimos errores lapsos fuisse, vt de Platone ostendit Eusebius lib. 13 de præparat. cap. 8. & volumine integro Ioannes Baptista Crispus, de ethnicis Philosophis cautè legendis: de Aristotele Eusebius lib. 15. præparat. Euangelicæ ex Attico Philosopho, à cap. 3 ad 12. Bennius in Timæum Platonis lib. 1. decade 1, Viues lib. 1. & 3. de veritate fidei. Vnde meritò fauet S. August. ep. 7. Sapienter quidē Hippocrates à Plutarcho ea de causa laudatus, & plerique alij cognoscentes humanæ sapientiæ tenuitatem, quia quæ sibi displicuerunt retractarunt.

Præterea nemo ex gentium sapientibus extitit, quem posteri in omnibus secuti sint, sed in varias, vt ex Laertio constat, diuersi sectas fuerunt, & se inuicem impugnarunt, vt fusè ostendit Eusebius lib. 14. præparat. Euang. c. 1. ex quibus constat, nullum horum sapientum autorem certam facere fidem.

Hic tamen locus cùm solùm probabilis ad summum sit, coniunctus Theologico principio, non deseruit ad inferendam conclusionem Theologiæ scientificam, sed probabilem

tem folùm, atque ita, ficut probabiles alij loci, deferuit habitui Theologicæ opinionis. Eft tamē in vfu non folùm apud antiquos Patres, fed etiam apud Scholafticos, qui fæpifsimè Philofophorum autoritatibus vtuntur: imò S. Thomas vfus eft non folùm teftimonijs Trifmegifti, Pythagoræ, Socratis, Platonis, & Platonicorum, Plotini, Macrobij, Ariftotelis, & Peripateticorum, Alexandri, Simplicij, Porphirij, fed etiam Democriti, Empedoclis, Epicuri, Heracliti, Leucippi, M. Tullij, Varronis, Senecæ, Auicenbron, & cæterorum; Vegetij de re militari, necnon Poetarum, Ariftophanis, Terentij, Horatij, Ouidij; & Hiftoricorum, Iulij Cæfaris de bello Gallico, Salluftij, T. Liuij, Valerij Maximi, libri ftratagematum Frontini, & fimilium, in fola fumma Theologica, vt ex eorū indice conftat, quem Louanienfes Doctores ad fubiecerunt alijs S. Thomæ indicibus, in fumma S. Thomæ excufa Antuerpiæ anno 1569. fine Caietani commentarijs.

Ad Philofophos meritò reuocamus Iuris ciuilis peritos, cùm ipfi Philofophi morales fint, vt rectè Canus libro 10. de locis, cap. 7. initio, & ex morali Philofophia fuas leges haufèrint, & decifiones, ficut canonici Iuris Doctores ad Scholafticos retulimus. Autoritate autem ciuilis Iuris peritorum libenter vtuntur Theologi, ad ea maximè, quæ ex ciuili lege pendent, vt S. Thomas non femel, & cæteri. Quare valde vtiles effe Theologiæ, copiosè oftendit Canus lib. 10. de locis, cap 8. & cap. 9. ita ait; *Argumentum, quod à iure ciuili ducitur, nec certum, nec exploratū, eft probabilifsimum:* multifque probat ex Ioannis 8. ex Auguftino, Demoftene, Cicerone, & alijs. Pro eadem fententia citat Ludouicum Viues de corrup. difcip.

Quare cùm S. Thomas opufculo 17. cap. 13. ait inconfonum, & derifibile videri, quòd facræ doctrinæ Profeffores Iuriftarum gloffulas in autoritatem adducant, vel de eis difceptent, ad quod eū idem citat Vergom. in tabula, verb. Iuriftæ, & in concordantijs D. Thomæ, num 801. opufculo 70. Prolog. & quodlib. 11. q. 9. ad 1 afferentem, quòd Iuriftæ, feu Decretiftæ magis fequuntur humanum ius, quàm diuinum, cùm tamen fit plus affentiendum diuino iudicio, quàm humano, ideò errant: fed ipfe errat in citatione, nam in prologo opufculi 70. nihil ad rem dicit S. Thomas: quæftio

verò

verò quodl. 11 .non eſt 9.ſed 8.2 9.ad 1.& ibi non agit de iuris ciuilis, ſed canonici peritis, & ſolùm inquit; hæc opinio Decretiſtarum non eſt vera, quia ipſi plus aſſentiunt in ijs, & ſequuntur ius humanum, quam diuinum, cum plus ſit aſſentiendum diuino, quam humano, & ideo melior eſt aliorum opinio, qui contrarium dicunt. Ex quo patet nō dixiſſe, ideò errant, ſed maxima moderatione vſum. Pro iuris peritis allegat Vergom. S. Thomam 2.2.quæſt.64.art.6.ad 3. & qu. 64. art.3. ſed ibi nihil è re illorum eſt, eos tamen honorificè tractat opuſculo 73.cap.5.& 8.& opuſculo 67.& opuſc.21. Quod verò dixit in quodlibeto 11.& opuſculo 17. intelligendum eſt, quoad ea, quæ ſolùm pendent ex diuino iure, ſiue naturali, ſiue poſitiuo; quoad hæc enim Theologi ſunt iuris diuini interpretes ex regulis veritatis fidei ſupernaturalis, & infallibilis, quæ ſuperiores ſunt omni iure humano, atque ita indignum erit in his recurrere ad ciuilis iuris peritos, ad quos eorum ſcientia non ſpectat. Prætereà in ijs, quæ pertinent ad ſpeculatiuam Theologiam abſurdum erit ad eos recurrere, cum eius ſint omnino expertes, niſi illi operam nauauerint. Atque ita docent Canus lib.8.de locis, cap. poſtremò, concluſ.1.& 2.Bañez ſupra, & ratio eſt, quia vnicuique in ijs; quæ ad ſuam facultatem ſpectant, credendum eſt; in ijs enim peritus eſt. Theologus in Theologicis, Philoſophus in Philoſophicis, in ijs verò, quæ ad ciuile ius pertinent, iuris periti verſantur.

Quoniam omnia quæ parte quarta tabularum, & nonnulla quæ in quinta proponuntur Philoſophica, & Medica ſunt, aut ex Philoſophia, & Medicina dependent, in quibus maximè ratio, & experimenta ſupra authoritatem purè humanam dominantur: expedit hic, vt de loco à ratione naturali deducto aliqua diſſeramus.

De ratione autem, ſeu naturali principio euidente coniūcto principio fidei reuelato, quatenus cum eo concurrit ad Theologicam concluſionem, & ſcientificam eliciendam, non hic diſputamus, cùm ſermo noſter ſit de loco extraneo, ſolūque probabili; illa verò, vt coniuncta præmiſſæ reuelatæ ſit locus Theologiæ ſciētificæ proprius, ac certus, vt docet Valent. 1.p.q 1.puncto 5.initio numerās locū à veritate naturali certa, & euidēti, quādo ad eā quoq; veritas fidei adhibetur, vt ex vtraq; Theologica cōcluſio eliciatur, ex illa enim,

vt coniuncta principio fidei, certum sumitur Theologicum argumentum; nam præmissa euidens naturalis per se concurrit ad Theologicam conclusionem eliciendam, nec solùm, vt conditio, sed etiam vt pars formalis rationis, quod immeritò negare videtur Vazq. 1. p. disp. 2. c. 5. cum ait historiam Ecclesiasticam esse partem Theologici principij, locum verò rationis non includi in principijs, quæ Theologus assumit, sed vt priorem supponi; nisi fortè loquatur de naturali ratione, non vt concurrit per se cum principio reuelato ad Theologicam conclusionem eliciendam, sed de naturali ratione completa, ex qua deducitur tanquam conclusio naturalis propositio, quæ in syllogismo posteà Theologico, vt præmissa deseruit; licèt enim non sit principium propriè Theologicum, cùm ab ea non sumatur specificatio actus, & quia solùm complectitur veritates immediatè à Deo reuelatas, & supernaturales diuinæ fidei assensus, quibus illis assentitur, cuiusmodi non est naturalis propositio euidens; est tamen locus Theologiæ, & proprius, quia eo vt coniuncto principio reuelato sola Theologia vtitur, & verè Theologicus, quia verè ex eo coniuncto reuelato principio Theologicum sumitur argumentum.

9. Non tamen est locus per se necessarius, quia illa veritas naturalis reuelari potuit, ac potest, quam vt reuelatã Theologia solùm per se requirit, per accidens autem illi est, quòd reuelata non sit, & propterea propositione naturali euidente vtitur, quod benè explicat, & probat Gillius lib. 1. tract. 7. c. 16. n. 5. ex quo constat latiùs patere locum Theologicum, & illum, qui proprius est Theologiæ, quàm principium proprium ipsius Theologiæ, vt explicatum iam est in euidenti naturali veritate, quæ vt coniuncta reuelato principio est locus Theologiæ proprius, non verò proprium principium, cùm reuelata immediatè non sit. Hic autem locus reduci potest ad illum, ad quem pertinet reuelatum principium, cui coniungitur, & cui deseruit, siue sit diuinæ Scripturæ, siue Apostolicæ traditionis, siue definitionis Pontificis, aut Concilij, &c. Alia verò ratio est de propositione naturali solùm probabili coniuncta cum reuelato principio; hæc enim non deseruit Theologicæ scientiæ, sed opinatiuo habitui, & cum dicamus conclusionem inde illatam verè ad Theologiam pertinere, ex sententia Palatios q. 6. & 9. prologi, Zumelis ad

art. 2. 1. p. q. 1 1. Angelici Doctoris quæst. sua 2. conclus. 5. & Pesuntij ibidem disp. 1. notat. 4. contra sententiam Gillij, lib. 1. tract. 2. c. 5. n. 2. cuius argumenta solùm probant non pertinere ad Theologicam scientiam, non verò ad Theologiæ habitum opinatiuum. Quare ad hunc locum spectabit argumentum inde desumptum.

Ad hunc etiam locum propriè spectat naturalis ratio, quæ versatur circa naturalia principia, siue certa, siue probabilia, è quibus siue certa, siue probabilia argumenta accipi possunt, quorum præcipua capita octo Topicorum libris Aristoteles persecutus est; quorum primus est definitionis, secundus descriptionis, tertius notationis, seu ethymologiæ, quartus coniugatorum, quintus partium, sextus totius, septimus causarum, octauus effectuum, nonus antecedentium, decimus præcurrentium, vndecimus comitantium, duodecimus subsequentium, decimustertius similium, decimusquartus maiorum, decimusquintus minorum, decimussextus parium, decimus septimus dissimilium, decimusoctauus oppositorum, decimusnonus repugnantium: cuius numeri sufficiẽtia ita potest intelligi; nam artificiosa argumenta, aut significant id ex quo sumuntur, & tunc sunt definitionis, vel descriptionis, vel notationis; aut ea, quæ illud aliquo modo respiciunt, & hæc aut sunt illi coniuncta, aut ab eo disiuncta: coniuncta verò aut sunt connexa, aut circunstantia rem. Connexa sunt, quæ necessariò pendent ab illo, vel à quo illud necessario pendet, & hoc modo sunt coniugata, totum, partes, causæ, effectus, antecedentia, & consequentia. Circunstantia verò sunt illa, quæ ita coniuncta sunt, vt nón necessariò cohæreant; & hæc sunt, vel præcurrentia, vel comitantia, vel subsequentia. Disiuncta autem, vel sunt consentanea, aut similia, maiora, minora, paria, vel sunt dissentanea, & dissimilia, & opposita, & alio quouis modo repugnantia, & sic omnes viginti loci artificiosi apertè colliguntur. Quibus si addantur duo arte carentes, scilicet diuina auctoritas, & humana, omnes erunt viginti duo loci. Sed his prætermissis maioris claritatis gratiâ distinguamus de duplici modo, quô Theologus versari potest per rationem, aut enim versatur in propria materia Theologica, vel sacram Scripturam declarando, aut fidei principia naturali ratione, & probando hoc, vel illo sensu intelligi debere, & aliorum interpretationes, ac sensus re-

fu-

futando, aut in aliena materia versatur aliquas naturales veritates ad Deum, vel ad mores pertinentes probando, quatenus eis in suum finem indiget, si primo modo loquamur.

Sit prima assertio Theologia non indiget naturali ratione ad probanda sua principia, seu conclusiones. Est cōtra quosdam. Sic cum Augustino epistola ad Consentium, & in respōsione ad Felicianum, dicimus, ita rationem, & principia naturalium facultatum nos admittere, non vt dominentur, ac prævaleant, sed vt ancillæ, & administræ sint fidei.

Probatur primò, quia quæ sunt propria Theologiæ, siue principia, siue conclusiones rationis lumen omnino superāt, & naturalium scientiarum facultatem, & solùm sunt ex diuina auctor tate cognoscibilia, & reuelatione. Ita S. August. contra Faustum, lib. 13. cap. 15. D. Clemens epistola 5. & habetur cap. *Si quid veri*, & cap. *Relatum*, dist. 37. & hoc solùm contendunt Patres: Epiphanius hæresi 76. & Hieronym. Hierem. 31. docentes, diuina humano sensu non esse tractanda, id est per naturales scientias, quæ ad humanum sensum pertinent, & in cap. 4. epistolæ ad Ephesios, & habetur cap. *Nonne vobis*, dist. 37. & in cap. 10. Matthæi reprehendens incumbentes naturalibus scientijs. Ambros. 1. Exameron. & in cap. 1. ad Corinth. cap. 2. & 1. de fide, ad Gratian. cap. 3. Adrian. 1. vt habetur cap. *Omnem vim*, 39. dist. qui cum Augustino de origine animæ ad Petrum, & epistola 56. ad Dioscorum, docere videntur alienum à Theologo esse Philosophica tractare, & plerique alij, qui omnes contendunt per naturales scientias de fidei rebus, & Theologicis iudicandum nō esse. Qua ratione Augustinus 2. de doctrina Christiana, cap. vltimo ait noxia, quæ extra hanc scientiam docentur, ab ea corrigi, & vtilia in homine inueniri. Ergo Theologia non indiget naturali ratione, nec scientijs, quæ illa sola nituntur, ad sua principia probanda, aut confirmandas conclusiones; imò cum illis vtitur, non ita à Theologo debent vsurpari, quasi sint motiua, & nostræ fidei fundamenta, aut Theologiæ: nam cùm demonstratiuæ non sint, quia circa supernaturales res versantur, sed probabiles solùm, & congruentes, Philosophi à Christiana fide alieni eos irrident, quos propter leues rationes tam ardua mysteria credenda putarent. Deinde quia Theologia est scientia ab omnibus alijs distincta, habet propria principia, à quibus, & non ab extraneis procedere

des

debet, nisi fortè per accidens, vt sumit aliquando Theologia, quæ reuelata non sunt, quod per accidens est, cùm reuelari potuissent. Confirmatur, quia si Theologia per se à naturalibus principijs penderet, fieri non posset, vt Theologicus haberetur assensus, absque eorum euidēti assensu: hoc autem necessarium non est, nam si id principium reuelaretur, & sub fidei assensu ad cōclusionis illationem assumeretur, assensum multò magis Theologicum gigneret: nam esset discursus ille circa materiale idem, & formale Theologiæ obiectum, cum noua principij reuelatio naturaliter euidentis, à formali, & motiua Theologiæ ratione illum non extrahat, sed eam potius magis perficiat: ergo produceret actum Theologiæ, ac proinde naturale principium, quatenus sub euidenti, & naturali actu sumitur, non est omnino necessarium Theologiæ, nec ad sua principia probanda, nec ad deducendas conclusiones, sed solùm secundùm quid, & quasi per accidens, quia non omnes veritates euidentes re ipsa reuelatæ sunt, licèt reuelari potuissent, sub qua ratione à Theologia respiciuntur.

Secunda conclusio. Ad declarandum Theologiæ principia nullo modo pugnare cum naturæ principijs, & ad ea explicanda per declarationes terminorum, & similitudines, & quasi manductiones ex naturalibus ad diuina, vtilis est Theologiæ naturalis ratio, & vsus naturalium facultatum. Ita Romana Synodus sub Eugenio II. & alia sub Leone IIII. & alia sub Gregorio VII. quæ in Vaticana Bibliotheca habentur, & ideò iubentur Episcopi studia erigere, cap. *de quibusdam*, dist. 37. & Eusebius 6. historiæ, cap. 15. refert Origenem obijcienti, quod Philosophus esset, respondisse sanctorum virorum exemplo id fecisse. Eadem est Augustini sententia 14. de Trinitate, c. 1. & 1. super Genesim ad literam, c. 19. & 1. de ordine, cap. 11. & 8. de ciuitate, c. 9. & lib. 2. de doctrina Christiana, c. 11. & 40. & lib. 3. c. 1. Clemens epistola 5. & habetur cap. *Relatum*, dist. 37. Clemens Alexand. Hieronym. ad magn. oratorem, & in epistolam ad Titum, c. 1. & in c. 1. Danielis, Chrysost. in illud Matthæi 2. *Vidimus stellam*. Didimus apud Theodoret. 8. Tripart. c. 8. Beda 2. Reg. c. 9.

Ratione probatur, quia nemo potest fidei, ac Theologiæ res percipere, nisi terminos ex naturali ratione nouerit, nec ostēdere potest fidei res naturalibus non cōtradicere, sed cōcinere potiùs, nisi naturalia nouerit, nec similitudines ex his

ac-

accipere ad supernaturalia declaranda, nisi in his versatus fuerit. Addit etiam S. Thomas supra Boethium de Trinit. art.3, ex naturalibus verisimiles afferri rationes ad Gentiles alliciendos, & fidei dogmata suadenda.

*T*ertia conclusio ad refutandum eum Scripturæ sensum, qui cum naturali ratione apertè pugnat, & absurdus manifestè est, naturalis ratio firmus est, & vtilis locus. Ita Augustinus 3. de doctrina Christiana cap. 15. & 16. & lib. 1. super Genesim ad literam, cap. 18. & 19. Et ratio est, quia legitimus Scripturæ sensus necessario est verus, & nullo modo absurdus, ergo pugnare non potest cum naturali ratione, vt docuit Concilium Lateranense sub Leone X. sess. 8. decreto 1. verum enim vero non repugnat; cauendum tamen maximè est, ne videatur absurdum, & rationi repugnans, quod tale non est. Quod si quæras, an naturalis ratio firmus locus sit ad probandum legitimum Scripturæ sensum. Respondeo non esse, sed solùm probabilem. Ita S. Augustinus lib. 2. de Genesi ad literam, & lib. 3. de doctrina Christiana, c. 28. vbi docet in expositione Scripturæ periculosum esse rationi fidere, sed conandum ex dilucidiori Scripturæ loco obscuriora interpretari, & verum eorũ sensum eruere. Ita Henricus art. 16. summæ, q. 8. Et ratio est, quia Scripturæ locus diuinam continet autoritatem, quam proprijs viribus naturalis ratio attingere non potest, sed diuina tantùm autoritate nixa, & alterius reuelationis præsidio: ergo ex sola ratione cõstare nobis non possunt Scripturæ sensus: imò teste Augustino lib. 3 contra Donatistas, cùm apertus est Scripturæ sensus, tenendus est, etiamsi contrarias rationes soluere nesciamus: & lib. contra Felicianum Manichæum, cap. 2. docet nos Scripturarum autoritate debere esse contentos, quamuis rationem reddere non possimus: ergo firma esse non potest Scripturæ expositio, ad quam sola ratione ducimur, & non ex aliorum locorum autoritate, aut Patrum Ecclesiæ interpretatione.

Multa sunt in naturali Philosophia, sine quibus pleraque Scripturæ loca non possunt commodè intelligi, vt Origenes docet apud Eusebium, lib. 6. historiæ, c. 15. & Augustin. lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 16. & ex his constat, quæ affert Valles lib. de sacra Philosoph. Leuinus Lemnius in libello similitudinum, & parabolarum, quæ in Biblijs, ex

herbis,

herbis, atque arboribus desumuntur, Camara de animantib. Francisc. Rueus de gemmis Apocal. & Zamora in Apol. pro literis humanis, p. 2. à §. 18. ideò sæpè Philosophia est necessaria.

Ad hæc etiam ratio vtilis est ad refellenda hostium fidei argumenta, quæ obijciunt, eaque dissoluenda, vt ex Patribus ostenditur libello de placitis Philosophorum, & benè explicat Henricus in summa, art. 16. q. 7. ad 3. vt simul etiam Philosophorum errores corrigantur.

Si verò loquamur, quatenus Theologus in aliena materia versatur, sit.

Quarta conclusio. Theologia vti potest naturali ratione, & naturalibus alijs scientijs ad probanda etiam euidenter, quæ de Deo, vel moribus naturali lumine cognosci possunt, atque fidei præuia sunt, vt Deum esse, vnum esse, atque similia, vt docet S. Thom. supra Boethium de *Trinit.* q. 2. art. 3. & constat ex magnæ *Theologiæ* parte, quæ naturalibus rationibus multa probat ad Deum, ad Angelos, ad virtutes, & vitia spectantia, & tunc non vt *Theologus* agit, sed vt Metaphysicus, aut Naturalis Philosophus, vt rectè aduertit Gabr. Vazq. 1. p. disp. 11. c. 3. ad fin. Agit tamen vt *Theologus* ex parte finis, quatenus Philosophicas rationes *Theologiæ* inseruire facit, & ad eius finem dirigit, tam naturales errores fidei contrarios refellendo, quàm rectas virtutum operationes secundùm naturam inquirendo, vt in superiorem dirigat finem. Quare licèt hic agendi modus *Theologo* extraneus sit, quia materia, seu quæstiones, de quibus agit, omnino naturales sunt, & ad naturales facultates pertinentes, potest tamen hoc loco vti, quatenus eius finis exigit.

Quinta conclusio. Ex naturalibus scientijs *Theologia* ea tantùm sumere debet, quæ ad Deum vtilia sunt, & quæ ex ordine ad Deum tractat, cognoscenda. Ita S. Augustinus 14 de *Trinit.* cap. 1. Glossa in illud Leuit. 2. *Primitias tantùm*, non omnia offerenda, sed primitiæ, id est, ex secularibus sciētijs tantum ea, quæ conducunt, & hoc solùm contendunt Patres, qui prohibent in ijs, quæ ad salutem pertinent, inutilia miscere ex naturalibus facultatibus. Ratio verò est, quia *Theologia* de omnibus agit, ex ordine ad suum obiectum, ergo de his tantùm, quæ ad eius cognitionem conducunt, & ex his solùm argumenta ad hunc locum spectantia sumere debet.

De

De loco ab auctoritate secularis historiæ, seu prophanæ.

SVnt nonnulla in succedentibus tabulis, quæ ab historia seculari dependent; & licet nihil ex ea oriri posit nota Theologica dignum, si ad res Ecclesiasticas non spectet, aliquid notandum est de illius vtilitate.

Locus ab auctoritate secularis historiæ, & prophanæ est probabilis solùm, vt de Ecclesiastica diximus, at non proprius Theologiæ, sed extraneus, illi tamen vtilis, tum quando id ipsum refert, quod sacræ literæ, aut Patres narrant, inde enim probabile medium sumitur aduersus infideles, apud quos illi historici sunt magnæ auctoritatis. Atque ita contra illos hoc loco vsi sunt Tertullianus in Apologetico, & in lib. ad Scapulam, Cyprianus lib. quòd idola non sint Dij, Hieronymus aduersus Iouinianum, Lucianus Præsbyter, Euseb. lib. 1. Ecclesiasticæ historiæ, cap 6. & 11. lib. 2. cap. 2. lib. 3. cap 7. vt ex eis, & alijs probat Canus lib. 11. de locis, cap. 2. tùm etiam ad elucidandos, non paucos Scripturæ locos, obscuros alioquin nobis, quoad temporum rationes, aut locorũ descriptiones, aut rerum successus: sumitur enim ex illis probabilis coniectura temporis, loci, aut successus. Quod optimè expendit S. Augustin. 2. de doctrina Christiana, c. 28. & ex eo, & alijs Canus lib. 11. c. 2. vbi ostendit nonnullos ex hujus historiæ ignoratione circa Scripturas errasse, vt Ireneus lib. 2. c. 39. & 40. & Tertull. aduersus Iudæos, circa ætatem qua Christus passus est.

SVMMARIA COLLECTIO EX CONCILIIS, DECRETALIBUS, Patribus, Scholasticis, Iuris professoribus, & praxi tribunalium, circa examẽ doctrinarum tam Magistrale, & consultiuum, siue Scholasticum, quàm authenticum, & iudiciale, siue iurisdictionale; & circa examen probabilitatis opinionum, tam priuatæ, quàm publicæ.

SYLVA LOCORVM PROBANS Sãctos Patres, & omnium sæculorum Doctores, sæpissimè sine assensu, & firma opinione proponere, disputare, & tractare, vacillãter solùm, aut dubie, aut examinatiuè, aut suspensiue, aut problematicè, aut obiter, vel incidẽter, aut per condescendentiam, aut ex hypothesi, atque in ijs non loqui, aut scribere ex propria; & firma sententia.

CAPVT I.

MERI Dumtaxat recitatores sumus, & veluti compilatores, aut transcriptores eorum, quæ circa illam grauissimi Doctores omniũ facultatum, & doctrinarum scripserunt, aut fecerũt. Propositum tractandi modum Ribera in 5. Michez, Lorinus Actor. 3. Fernandus in visione 26. Bellarm. tom.

tom. 3. controu. edit. Lugdun. 1603. lib. de Gratia primi hominis, cap. 11. col. 34. & plures alij aduertunt in Hieronymo; & frequentem esse Patribus ait S[illegible]ianus, anno mundi 3020. Latissimè probat idem assertum Grabri. tom. 3. Catholic. Præscription. part. 1. controuers. 1. q. 1. artic. 9. pag. 67. vbi ait, sæpissimè Patres loqui recitatiuè ex mēte aliorum, & obseruauit S. Athanasius lib. de Decretis Nicenæ fidei. Idē Grabrina pag. 30 cautel. 9. Patres, ait, aliorū placita interdū referre, nihil assertiuè statuēdo. Q. 2. ar. 4 pag. 120. allegat idem Grabrina, & sequitur Turrecremat. dist. 9. dicentem manifestum esse Doctores Ecclesiæ sæpissimè loquutos fuisse inquisitiuè, aut recitatiuè, nihil statuēdo ex propria opinione, aut assertione, atque id frequens esse Hieronymo, & Augustino, quorū primus in Apologia aduersus Iouinianum, à plurimis obiectis se, & sua scripta liberat, quod ea vacillanti, & timido calamo, & non asseueranter, ac constanter scripserit; & quoniam hunc suspensum, & pauidum, & interloquutorium docēdi morem nonnulli damnauerint in Hieronymo, ipse in præfat. vndecimi Commentarij super Isaiam, & sæpè alibi munit se exemplo Origenis, Methodij, Apollinaris, Eusebij, Tertulliani, Cypriani, Minutij, Lactantij, & Hilarij, qui sæpissimè dubitantes, timētes, neutram partem asseuerantes, & alijs rem decidendam committentes, plurima scripserunt.

Hunc morem approbans S. Athanasius lib. de Decretis Nicæni Concilij, eximit Origenem ab accusationibus nonnullis, quod disputans, aut sub hypothesi, non ex firmo, & perseueranti indicio fuit loquutus. S. Augustinus, plurima sub calamo nutante, & nihil firmiter asserente scripsit, in quibus sunt libri contra Faustum, vt adnotat ex familia Dominicana Turrecremata suprà in caput, *Ego solis*, & libri duodecim de Genesi ad litteram, de quibus in lib. retractationum ipse fatetur Augustinus, ferè nihil in illis firmiter decreuisse. Cùm sæpè sibi obijciat Angelicus Doctor loca nonnulla ex libris de Genesi ad litteram, vt plurimum respondet nō loquutū assertiuè, sed opinatiuè, vt patet ex 1. part. q. 86. ar. 8. & ex 4. Sentent. dist. 44. & sæpè alias. Quod ait Albertus Magnus in 2. distin. 19. ijs verbis: *Salomon loquitur in libro*

Eccle-

Ecclesiastes more concionantis, & nō more asserentis, vndè & multa stulta colligendo dicit; multas limitationes, & declarationes, & sanas interpretationes requirit.

Hanc dubitanter scribendi formam, vsitatissimam fuisse Scoto subtilissimo apertè declarat, tùm quod Minorum Ordo in præfatione operum ipsius, iuxtà Antuerpiensem editionem nouissimam obseruat, tùm quod ipse præstat frequentissimè, præcipuè 1. Sent. dist. 41. In vita Scoti præfatæ editionis hæc dicuntur de ipso. Cap. 3. *Plerumque nihil asserit resolutiuè; sed dubitatiuè.* Et in Apologia pro Scoto cap. 9. satisfit ab Ordine Seraphico obiectioni illi Bzouianæ, qua dicitur: *Scotus passim inducta quæstione dubitabundus*; admittit obiectionem esse verissimam Nitela Franciscana Dermitij Thadei pag. 14. editionis Lugdunensis. Idē sæpè S. Thomas obseruat, tunc maximè quando verbum illud adhibet, *videtur*, quod dubium, & suspensum animum ostendit, vt ait Cano lib 8. c. 5. Longè aliter se habet, cùm constanter affirmat: Respondeo dicendùm.

Ex illustrissima familia Prædicatorum, innumeri hanc positionem laudauerunt, & tùm Authores dubiè, aut timidè loquentes, vel scribentes; tùm ipsorum opera ab omni mala nota liberant. Albertus Magnus in 2. dist. 19. Ioan. Dominicus, Magister S. Antonini in tractatibus super Magnificat, quem propter hanc dubiè, & timidè scribendi modestiā, ipse Antoninus probat, & commendat 4. p. summæ, tit. 15. cap. vlt. Turrecremata dist. 9. cap. Ego solis, statuit à dubiè, & timidè dictis in scriptis Patrum, nullum sumi de eorum sensu argumentum. Melchior Canus lib. 12. de locis Theologicis cap. 11. Seraphinus Razzius in scholijs super ipsum. Sixtus verò Senensis lib. 6. annot. 81. Caietanum, & Catharinum à graui errore propter eamdem phrasim liberat. Ipse Caietanus in opusc. vlt. 3. tom. negat à se dicta quædam asserta, quæ magnum Germaniæ scandalum generarunt, quod illa non assertiuè, sed dubiè scripserit, vt sępiùs in prædicto opusculo repetit.

Hoc principio innixi Parisienses cum Gersone serm. de Conceptione, negant S. Bernardum opinioni maculanti conceptum Virginis succurrisse, cū timidè, & dubiè in ea re

loquatur, & consultari Romanam Ecclesiam iubeat; vt nouam festiuitatem sine approbatione Pōtificis inuectam reprobet, rationes dubitandi exponit, non quod illis assensum præbeat, sed vt dubiam tunc laudem Virginis, à publica solemnitate remoueat, donec illam probet Aphostolica Sedes. Idcircò S. Thom. 3. part. non allegauit Bernardum pro opinione de maculato conceptu.

Eandem positionem probat nouissimè Grabrina suprà allegatus, & præcipuè pag. 31. & 32. ex Athanasio, Basilio, & Vincentio Lyrinensi, dum expendit ea, quæ per condescē dentiam, aut non assertiuè à Patribus efferuntur, perinde esse, ac si non affirmarentur. Subdit: *Sicut in humano, & forensibus iudicijs, testimonium vacillans, & dubium, fidem non facit: sed illud quod asseueranter, perseueranter, & constanter inducitur; sic illa testimonia Patrum robur habent, & firmitatem quando manifestè, frequenter, perseueranter, non priuatum, sed publicum Ecclesiæ tradunt sensum, vel ex definitionibus, aut fidei regula loquūtur.* Illud obseruandum quod ipse Grabrina scripsit pag. 67. *Plerumque loquuntur Patres de mente aliorum.* Turrecremata suprà ait, Sanctū Thomam, & Albertum Magnum sæpè respondere ad opposita testimonia Patrum, dicentes nō loqui assertiuè, sed opinatiuè, & dubitatiuè, additquè eos non esse authores propriè, nisi eorum quæ dicunt constanter, & assertiuè.

Henricus de Gandauo, Diui Thomæ coætaneus passim loquitur dubitatiuè, vt ipse fatetur, quodlib 9. quæst. 34. disputans de actiuitate ignis infernalis; & quodlib. 2. tractans an Angelus sit in loco per operationem, vbi sic ait: *In hoc intelligendo deficio, sicut in pluribus alijs.* Ex Diuo Thoma facile est producere longum Cathalogum propositionū, quas dubitatiuè solùm profert, adiuncto verbo, *Videtur*, aut alijs particulis suspensiuis, & timidis, quibus, vt ait Cano lib. 8. cap. 5. vti consueuit, cùm nihil asserere, aut certò statuere audet. Testis, aut scriptor, qui sic deponit, *vt mihi videtur*; non probat, iuxtà Decianum consil. 51. num. 11. lib. 2. & cons. 52. num. 11. & Farinacium de testibus, §. 1. quæstion. 68. & Antonium Sousam 1. Aphorism. cap. 4. & alios plures. Idcircò non est allegandus pro authore Marsilius in

his

his quę timidè,& dubitatiuè producit,quod sæpissimè pręstat,vt ipse ait in 2.quæst.20.Idem sanè iudicium esse arbitrantur nonnulli pro his, quæ à Doctoribus passim scribūtur,solùm opinatiuè, id est præstando assensum cum nō leui formidine.

Diuum Thomam sic interdum opinatiuè loquutum, nōnulli graues Theologi circa producendos locos arbitrātur. An ita sit nolo decernere,merus sum recitator,aut relator, Prima part.q.1.quod Theologia sit sciētia,quæst. 12.quod Moyses, & Paulus ex priuilegio DEVM viderint in via; quæst. 13. in Deo non est relatio vlla realis ex tempore ad creaturas: quæst. 23. Reprobationis dari causam ex parte hominis:quæst.45. Creatura non potest assumi vt instrumētum creationis:quæst.46.Mundus secundùm quædā potuit creari ab æterno:quæst.50.Nō possunt esse duo Angeli eiusdem speciei,aut duæ albedines,si sint separatæ à subiecto:q. 52.Angelus est in loco secundùm operationē:q.53. Angeli substantia motu discreto non transit per medium:q.62.art. 3. Angelus habuit gratiam cum propria dispositione libera:q.66.Materia non potest esse sine forma:q.68.Materiæ cœlorum differunt specie:q.113. Angelus Regni Persarū, qui apud Danielem restitit,erat bonus.

Prima Secundæ q.71. Peccatum est actus positiuus:q. 89.Puer ad instans rationis primæ,tenetur ad DEVM cōuerti:quæst.112.art.4.quæ dicuntur de auxilio efficaci: q. 114.Actu remisso non statim augetur gratia iusti, & tamen meretur.

Secunda Secundæ quæst.13.Apostasia nō est determinata species infidelitatis:quæst.19.Timor seruilis non est virtus:quæst.24. Charitas augeri potest in infinitū: quæst.30. Misericordia in Deo est maxima virtutum:quæst.43. Scandalum,licèt nō intēdatur, est speciale peccatum:quæst.64. Innocētē,qui probatur nocens,debet Iudex occidere:quæstion.83.Anima Purgatorij non est oranda:quæstion.186. Monachus Episcopus non habet dominium,sed administrationem.

Tertia parte quæst.1. Si Adamus non peccasset,Christus non veniret:quæst.4.Si tres personæ assumerent vnā naturā huma-

hum inam, esset vnus homo: q. 17. Christus non habet esse creatum: q. 21. Christus orat in Cœlo: q. 24. Christus fuit causa meritoria nostræ prædestinationis: q. 25. Imago Christi adoratur latria: q. 27. quæ scribuntur de conceptu Virginis, & quod Ioannes non fuit sanctificatus cum vsu arbitrij: q. 35. filiatio ex tempore ad Matrem, nō est noua relatio realis in Christo, q. 62. Sacramenta sunt instrumenta Physica gratiæ: q. 75. quantitas recipit formam substantialem vermis in speciebus corruptis Eucharistiæ: q. 82. si in hostia appareat miraculum permanens, non tenetur Sacerdos consecrare aliam hostiam: q. 90. vbi, vt exponat Augustinum, negat ante baptismum in re, esse pœnitentiam venialium.

In his, & alijs locis Angelici Doctoris, graues commētatores quibus nec assentire, nec dissentire volo, aiūt ipsum opinatiuè solùm, nō ex firmo, & proprio iudicio loquutum. Primò, quia in respōsione argumentorum obiter loquatur. Est autem aduertēdum, ait Grabrina tom. 3. præscriptionū, cōtrouers. 1. q. 1. ar. 9. pag. 70. cautela 11. an Patres in ipsis etiam dogmaticis disputationibus loquantur definiendo, an respondēdo; nā quod obseruat Hieronymus Apologia 1. ad Ruffinum, quæ respōnsiuè obiter scribuntur, sæpè non manant ex propria sententia. Propterea volunt nonnulli cum Ojeda, & Cano ex responsionibus ad argumenta articulorū authoritatem D. Thom. non esse tantam quantam ex doctrina corporis per se intenta: ego semper in omnibus magnā esse fatebor. Secundò, vt sæpè Grabrina latè probat ibidem controuers. 1. q. 1. art. 4. pag. 30. & 31. ea quæ dicūtur obiter, vel in transcursu, aut contentiosè, aut perfunctoriè, aut per condescendentiam, & quasi donādo aliquid disputationi, aut aduersarijs, non oriuntur ex firmo respondentis assensu, iuxtà Athanasium lib. de Decretis Nicenæ Synodi, Basilium epist. 64. Hieronymum contra Iouinianum, Vincentium Lyrinensem, & alios. Plura autem ex relatis de Diuo Thoma sic dicta existimarunt Commentatores, de quibus suprà. Tertiò, quia interdū tùm in his, tùm in alijs, dubitatiuo, vel suspenso, vel examinatiuo, vel conditionato sensu loqui Angelicum Doctorem; ideò existimant, quia solùm conjecturis stabiliat suum sensum. Quę omnia probant examina-

minatiuè solùm, aut dubiè, aut opinatiuè à magnis Doctoribus vllo sine assensu proponi plura.

Iurisperiti plurima in hanc rem congesserunt, vt propterea dicat Mātica de coniecturis vltimarum volunt. lib. 3. tit. 3. num. 4. eos Doctores, qui rem ex professo nō examinant, sed de ea perfunctoriè disserunt, non debere allegari, Alciatus tractatu præsumptionum reg. 1. præsumpt. 51. n. 2. ait considerandam authoritatem plurium, & quòd non incidenter, sed principalitèr articulum scrutentur: quia non sequitur, talis Doctor incidentèr tenet hanc opinionem in modum argumenti; ergo & ita sentit. Idem arbitratur Tuschus lit. O, conclus. 150. Hùc spectat quod aiunt Roland. à Vallo cons. 7. num. 18. lib. 2. & suprà Tüschus conclusio. 149. non esse attendendum ad Doctores nihil allegantes, id est obiter & incidenter opinantes, nullis productis testimonijs, aut rationibus. De assertis dubitatiuè propositis idem sentiunt Lapus allegat. 130. Viuius lib. 1. commun. opinion. 182. Hondedeus cōs. 61. num. 21. De assertionibus incidētibus, quas Doctores ponunt aliud agentes, & ad corroborandum dictum aliquod principaliter intentum, nullam habere authoritatem, nec allegari debere, tradunt. Abb. in c. Benè el. 2. num. 3. versic. Sed mihi plus placet de postulat. tributorum, Thobias Nonius cons. 23. num. 17. Antonius Maria in tractatione de communi opinione, titul. qui Doctores faciant opinionem, num. 2. Hondedeus cons. 61. nu. 21. lib. 2. & cons. 57. num. 77. lib. 1. & alij plures. De assertione obiter & perfunctoriè prolata sine præuia discussione, quòd etiam non faciat opinionem, tradunt Hondedeus suprà, Neuizanus in Sylua nuptiali lib. 5. versic. Sed quæro stante varietate, Ioan. Pichard. inter commun. lib. 3. verb. Opinio.

Philosophis valde est familiare, aut dubitatiuè, aut timidè, aut obiter, aut incidenter, aut ex credulitate vulgari rumoris plura scribere; atque in his non est eorum authoritas allegādas veluti certa auxiliatrix, aut assertrix alicuius opinionis. Aristoteles Philosophiæ Princeps sic passim loquitur, & scribit. Ipse in epistol. ad Alexandrum (cuius meminere Plutarchus, Gellius, Simplicius) monet libros Physico-

ficorum,& metaphyficorum à ſe editos incertos eſſe,nec aſſeueranter, & firmiter ſcriptos. Idcircò frequenter vtitur particulis dubitatiuis : *An,Quaſi,Forſan,Videtur, Eſt autẽ quod ſit.* Integer liber problematũ propterea ſic inſcriptus, quod totus ſit dubitatiuus,ſuſpenſus,problematicus. Themiſtius Ariſtotelicæ doctrinæ conſtanter addictus ait furori eſſe ſimile,ſiquis ſibi perſuadeat fieri poſſe,vt quæ ſit fixa, & certa Ariſtotelis ſententia,indagari queat. Lib.2.de cœlo,ait idem Ariſtoteles ſæpè ſe leuibus coniecturis ad aliquas opiniones traduci:interdum etiam ſibi ſufficere Ægyptiorum,& Babyloniorum credulitates, vt expẽdit Ioannes Scotus in 4.diſtinct.43.q.2.num.16. allegãs varia loca huius Philoſophi, & nominatim ex duodecimo Metaphyſicæ. In libris Meteororum,vbi de ignitis in genere, & in ſpecie, de tonitru,fulgure,fulmine,cometis,circulo lacteo, de coloribus in aëre apparẽtibus,de voragine,hiatu, corona,& parelijs,de iride, de ventis, & eorum numero, de tempeſtatibus,nubibus,pluuijs,nebula,niue,grãdine,glacie,rore melle,mãna;de mari, de diluuijs,de fontibus, de aquarum proprietatibus, de terræmotibus, de ignibus ſubterraneis, de metallis, & alijs diſputat;loco proœmij ſtatuit has tractationes profundè inueſtigari non poſſe, ſed obiter & ſuperficie tenus,& timidè,quod his verbis declarat: *Pertranſeuntes autem de his ſpeculabimur,ſi quid poſſumus.* Hanc diffidẽtiam illis etiam verbis oſtẽdit:*In his aliqua dubitamus,aliqua quodammodo tangimus.* In libris Ethicorum,& moralis Philoſophiæ ſępè tãtùm probabiliter ſe procedere;& quoniam tractationis illius natura maiores, aut probationes, aut confirmationes, aut rigida magis examina non admittit,ideò veriſimili tantùm probabilitate ſe gaudere:non ſectatores, ſed impugnatores ſunt huius ſummi Philoſophi, qui ea,quæ ipſe aut timide,aut veriſimiliter,aut dubitatiuè tantùm ſtatuit in naturali, aut morali Philoſophia, ipſi veluti certa,& indubitata defendunt.Veriſsimè dixitSalomõ cap. 3. Eccleſiaſtes: *Cuncta fecit bona in tempore ſuo, & mundum tradidit diſputationi eorum,vt non inueniat homo opus,quod operatus eſt Deus ab initio vſque ad finẽ.* Et c.8. *Intellexi, quod omnium operum Dei nullam poſsit homo*

inue-

inuenire rationem eorum, quæ fiunt sub sole, & quanto plus laborauerit ad quærendũ, tanto minus inueniat. textus Arabicus sic transtulit: *Cognoui vniuersitatẽ artiũ Dei, & nemo potest reperire artefactam cum artifice sub sole:* textus Syrus *Vidi ego omne opus Dei nam non inuestigabit filius hominis essentiam operis, quod fit sub sole.*

Authores Societatis Iesu singulariter hunc modum dubitatiuè, aut examinatiuè, aut suspensiuè loquendi, & scribendi amplexi sunt. Vnus Gabriel Vazquez in tractatu de Angelis tom. 2. in primam partem, sequẽtes disputationes, vel capita sine vlla resolutione, aut examinatiue dumtaxat proposuit. Disput. 180 cap. 2. disput. 181. cap. 3. disp. 191. cap. 2 disput. 197 cap. 2. disput. 200. cap. 3. disput. 202. c. 2. disput. 203 cap. 4. disput. 206. cap. 4. disput. 209. cap. 10. disput. 213. per totam, disput. 219. cap. 3. disput. 223. cap. 1. disputat. 234 cap. 3 disput. 237. cap. 2. disput. 238. c. 2. disp. 244. cap. 1. & sæpè aliàs. Suarius passim dubitat, & cum formidine loquitur, præcipuè in libris octo de Angelis, in tomis quatuor de Religione, in tomo duplici de Incarnatione, & vita Christi, in tomo de Opere sex dierum, ex quibus longum Catalogum facilè esset contexere. Salmerõ frequẽtissimè vsus hac phrasi dubitatiua, & examinatiua, sine assertione vlla, præsertim tom. vltimo à pag. 479. vsque ad 518. editionis Matritensis. Innumera sunt huius generis, tùm in eorum Schola, tùm in alijs.

Quæcunque verò subscribuntur, & docentur cum dubio, atque formidine, dummodo nõ sint circa Articulos Fidei, & exploratissima dogmata Christianæ Religionis, libera sunt à censura Theologica, etiamsi altera pars absolutè prolata grauiorem notam mereretur, quod vnico & grauissimo exemplo comprobamus. Sentencia Copernici aientis terram esse mobilem, & cœlorum instar circumferri per immensa spatia, solem verò esse mundi centrum, palam hodie appellatur tam à Catholicis, quàm hæreticis pluribus, vel temeraria, vel suspecta, vel scripturis contraria, vt constat ex Serario in 10. Iosue, Tannero tom. 1. disput. 6. quæst. 4. dub. 3. Mersenio cap. 1. in Genes. vers. 10. q. 9. Nicol. Mullerio Isag. Tabul. cap. 1. Gaspare Bartholino Philosopho,

& Medico Dano lib. 4. Enchiridij, cap. 3. Tichone Brahe, Rabi Ioanne Bodine lib. 5. Theatri, nihilominus sacra Congregatio de indice censet, non esse expurgandam, aut delendam prædictam doctrinam in operibus Copernici, quando illa proponitur aut dubiè, aut sub hypothesi, aut vacillàter; sed solùm quando constanter, aut assertiuè defenditur: quod idem iudicium extendunt nonnulli ad opera Didaci de Astunica, & Pauli Antonij Foscarini, opinionem Copernici tuentium: ergo plurimæ theses, quæ absolutè dictæ censurã Theologicam mererentur, ab illa liberantur, si solùm sub hypothesi, aut dubitatiuè, aut examinatiuè efferantur. Similem sententiam Hispana Inquisitio sectatur in expurgatione Nicolai Copernici, & Nicolai Mullerij.

Dices, hoc argumentum non esse concludens irrefragabiliter, quia Pontifices in rebus fidei è cathedra decernendis non alieno nomine capitalia decreta condunt, neq; sententiam ferunt decretoriam; nam infallibilitas in determinationibus fidei, & morum nulli alteri tribunali potest delegari. Atque ideò Sixtus V. in diplomate congregationis, pro interpretatione, & executione Concilij Tridentini sic scripsit: *Eorum decretorum, quæ ad fidei dogmata pertinent, interpretationem nobis ipsi reseruamus*: ergo ex ea censura vtriusque tribunalis non certò constat dubiè, aut examinatiuè proposita esse libera à censura. Respondeo. Licèt verum, & indubitatum sit, quod in præmissis huius argumenti expenditur, nihilominus tantam, & tam grauem esse authoritatem, & pondus prædictorum Tribunalium, cùm determinatas propositiones sub censura exponunt, vt sine ingenti temeritate oppugnari nequeant; siqui autem doctrina, & eruditione præstantes habeant magnorum Doctorum testimonia, & grauia in contrarium fundamenta, ea sanctæ Sedi, & Ecclesiæ suppliciter offerant expendenda. Quod tamen in præsenti casu locum non habet, cùm sacra congregatio de indice, & suprema Hispaniarum Inquisitio ad excludendum à censura Theologica propositiones Copernici dubitatiuè, examinatiuè, aut sub hypothesi dictas, tot, & tam grauibus exemplis, & testimonijs à nobis in hac sylua productis, innitantur.

CONCLVSIONES ex proxima locorum sylua deductæ.

Caput II.

EX ijs, quæ hactenus in hac locorum sylua relata sunt, hæ conclusiones certissimæ, & indubitatæ eliciuntur.

Prima. Stylus tractandi, scribendi, disputandi dubitatiuè, examinatiuè, suspensiuè, interlocutoriè, opinatiuè, cum formidine, familiaris, & frequens fuit antiquis Philosophis, sanctis Doctoribus, & Patribus, & omnibus ferè Scholasticis, & Scriptoribus. Hæc est euidens ex supputationibus præfatis, & innumeris alijs, quæ fieri possent.

Secunda conclusio. Eaque manifesta, & indubitata est, neque errare, neque decipi, neque falsum habere sensum, neque peccare contra fidem, aut religionem eos, qui in verbalibus, scriptis, aut impressis tractationibus suspendunt iudicium, aut examinatiuè vel priuatiuè dubitant, aut perpensis rationibus, & testimonijs in neutram partem inclinant, aut aliorum expectant lucem, aut se ad alios tractatus remittunt, in quibus re magis explorata decernant, dummodo id non sit in controuersijs, quæ neq primariò, nec secundariò fidem tangunt, id est, in ijs, in quibus non est discrimen hæresis, aut erroris, sed ad summum temeritatis, vel scandali, vel alterius cuiuscumque censuræ Theologicæ, quæ minor sit hæresi, atque errore.

Probatur primò hæc conclusio ex hactenus productis: nam ideò Patres, Doctores, Scholastici, & sacræ paginæ expositores dubitatiuè, aut examinatiuè scribunt, & tractant, ne errent, peccēt, aut labantur; ergo iuxta sensum eorū nullum est peccatum in fidem, aut religionem, cùm in dictis controuersijs aliquis sic loquitur: Et ratio in aperto est,

est: nam qui profitetur se ignorare, aut dubitare, quamquam hinc inde exponat contraria argumenta, verè loquitur, & modestè, & nullum præiudicium affert Religioni, & Fidei, nec pro alterutra parte allegari potest; ergo sic dicta, & scripta nullam merentur censuram Theologicam. Secundò probatur idem intentum: nam plurimorum sensus est, eum, qui dubitat de aliquibus propositionibus, quæ primariè, aut secundariè ad fidem pertinent, si dubitet per omissionem puram actus intellectus, vel per suspensionem omnimodam iudicij sine vlla affirmatione, aut negatione, nullatenus errare, aut peccare, si nõ reflectat supra suum actum, & simul iudicet asserta illa fidei dubia esse, aut formaliter, vel virtualiter positiuè dubitet, affirmans vtramque partem contradictionis esse contingentem. Sic Puente disputat. 89. de fide, sect. 3. Canó 12. de locis, cap. 9. Sancius lib. 2. summæ, cap. 7. Becanus cap. 14. q. 2. Ægidius disput. 18. de fide, dub. 7. Bannez 2. 2. quæst. 11. art. 1. Farinac. de hæresi, q. 178. §. 4. Sosa lib. 1. Aphorism. cap. 11. Becanus c. 14. q. 2. Francisc. de Christo q. 3. de hæresi, argumento 2. & innumeri alij dicentes, dubium positiuè in fide esse hæreticum, non verò dubium priuatiue; ergo à fortiori, qui sic priuatiuè dubitat, scribit, & tractat circa res, quæ primariò, aut secundariò fidẽ non tangunt, neque errat, neque decipitur, neque censuram vllam Theologicam meretur, etiamsi alterutra pars absolutè prolata esset temeraria, aut scandalosa, aut piarum auriũ offensiua. Probatur hæc vltima propositio, & illatio; nam qui dubitat priuatiuè in ijs, quæ primario, aut secundario fidem non concernunt, dubitat in ijs, quæ ex præcepto naturali, aut diuino, aut humano scire non tenetur positiuè; & dubium se, aut ignarum circa similes res profiteri, est actus modestiæ, humilitatis, sobrietatis, & obsequij erga fidem; ergo nulla potest cẽsura Theologica inuri pro ea verissima, & ingenua professione ignorantiæ, aut dubitationis propriæ. Tertiò suadetur idem intentum, quia protestatio maximè in obscuris & difficillimis quæstionibus, hisque non necessarijs primariè, aut secundariò ad salutem, excusat Doctores ab omni periculo, & grauiori censura, vt probat Sosa 1. lib. Aphorism. cap. 14. allegans Pennam, Simancas, Farinaciũ,

&

& alios, præsertim Albertinum dicentem eum, qui protestatione excusatur, nulla esse infamia puniendum; sed qui dubiè, timidè, aut suspensè loquitur, & scribit, virtualiter protestatur, si protestatione eget, imò ex parte si fieret superflua, & inanis esset prædicta protestatio, cùm nihil affirmet; ergo dubiè, timidè, vacillanter, examinatiuè tractantes, & scribentes in prædictis controuersijs, & thesibus, nec eorum tractatus, aut scripta vllam merentur Theologicam censuram, quamquam alterutra pars assertiuè, & constanter prolata grauiori nota infamari deberet.

Tertia conclusio, in ijs, quæ obiter, vel incidenter tractant Doctores, non præuio examine testimoniorum, & rationum in vtramque partem, nec laboriosa inuestigatione veritatis præmissa, nec disputatione, aut tractatione ex professo suscepta, non est certum an loquantur ex propria sententia, nec in simili casu eorum allegatio, aut testimonium efficax est, si doctrinam obiter dictam non declarent cōstanter a se dici, vt communem Ecclesiæ sensum, aut traditionem à maioribus continuo, & perpetuo temporum decursu sine controuersia receptam, aut si non aliter constet ex alijs locis, aut argumentis in eam doctrinam incumbere communē sensum positiuum Patrum, aut Scholasticorum, veluti in rē grauiter pertinentem ad fidem, & Religionem. Hæc conclusio præter authores productos in sylua testimoniorum initio posita, habet plures alios; nominatim Grabrinā tom. 3. Cathol. præscriptionum, part. 1. controuers. 1. generalissima, q. 1. art. 4. pag. 30. cuius hæc sunt verba: *Ea quæ constāter dicunt omnes, plures Patres eodem sensu consensum Ecclesiæ satis demonstrant: ea quæ obscurè dicta sunt obiter, vel in transcursu, aut contentiosè, aut non dogmaticè, non præstant firmum argumentum.* Latissimè hanc doctrinam probat ibidem, & pagin. 32: similia scribit, quæ allegauimus in sylua. Probatur primò: quia vt benè idem author expendit, eodem loco pag. 67. *Plerumque loquuntur Patres de mēte aliorum*: at hic stylus ferè nunquam illis contingit, nisi quando obiter, aut incidenter loquuntur; ergo ex hac formula tractandi non sumitur efficax argumentum ad inuestigandum, quid senserint. Secūdò probatur ex ijs, quæ idē author obser-

obseruat ibidem, quæst. 2. principali, artic. 6. pag. 120. manifestans suam doctrinam authoritate Augustini, & Anselmi, quod scilicet apud Patres, *opinionibus multoties, & coniecturis solùm interdum res agitur*; vt manifestum est ex ipsa lectione Patrum: ergo quæ incidenter, & obiter scribunt, ex credulitate, aut opinione, aut coniectura, ab alijs accepta sæpe proferuntur; ea enim plerumque incidenter, & obiter dici consueuerunt, quæ vulgariter, aut ex aliorum opinione hausimus, quod vsitatissimum sibi fuisse Aristoteles profitetur lib. 2. de cœlo, & sæpe alibi. Tertiò probatur ex doctrina, quæ copiosiùs ab ipso Grabrina illustratur supra controuersia 1. q. 1. artic. 4. pag. 31. Athanasij, Basilij, Vincentij Lyrinensis, & aliorum Doctorum authoritate; scilicet ea, quæ dicuntur ab authoribus per condescendentiam, nullam mereri censuram Theologicam, etiamsi absolutè dicta grauiorem haberent notam. At hæc doctrina à Patribus ibidem allegatis approbata non aliunde vim habet, nisi ex, eo quòd sic dicta, aut scripta obiter, & incidenter, aut per donationem liberalem admittuntur sine assertione, aut affirmatione, & quæ obiter, & quasi admissa, aut donata scribuntur, non exponunt sensum, iudiciumque Doctorum. Quartò probatur idem propositum, quia in Concilijs generalibus, & decretalibus, quæ dicuntur obiter, & in transcursu, aut per condescendentiam, aut tanquam præmissæ, non habent semper certitudinem, sed interdum falsitatem, aut errorem; ergo id à fortiori continget in scriptis aliorum Doctorum, quantumuis grauium. Probatur antecedens exemplis adductis à Gregorio de Valentia, lib. 8. analysis fidei, cap. 3. vbi excusat Celestinum III. dicentem matrimonium dissolui, si alter coniugum in hæresim labatur, eo, quòd in ea decretali non nisi obiter loquatur ex priuata sua opinione; & cùm de alia quæstione diuersa interrogaretur, eam doctrinam interseruit. Similiter excusat Alexandrum III. dicentem esse à sanctorum Patrum institutis, & ab Ecclesiæ consuetudine generali alienum, vt in testamentis plures, quàm duo, vel tres testes requirantur. Hanc doctrinam tradit pro ratione, aut præmissa; ideò non mirum, si subsistere nequeat. Haud credendum est, Pontifices, &

Con-

concilia eis velle definire rationes, quas pro decretis adducunt. Similiter idem Valentia excusat Nicolaum ad consulta Bulgarorum dicentem, baptizatum tantum in nomine Christi, sine expressione Trinitatis, non esse rebaptizandum, quòd hanc doctrinam obiter ex opinione sua, & aliorum adiunxerit, nam intentum definitionis solùm fuit decernere Baptismum à Iudæo collatum esse validum. Hæc sufficiunt ad exemplum doctrinæ communis, quam cum Valentia tenet etiam Vazquez 1. part. disputat. 178. cap. 1. & Doctores communiter. Vnde quod ait Bubalus, de Angelis, quæst. 50. quæsito 3. difficult. 1. §. 6. pag. 85. & 91. rationes Conciliorum, & Decretalium esse de fide, admitti non solet; & constat falsitas ex ipsis Concilijs generalibus, in quibus sæpe pro rationibus, & præmissis adducuntur historiæ Ecclesiasticæ, & similia testimonia, quæ firma omnino esse nequeunt, vt efficaciter probat Canus lib. 5. de locis, cap. vltimo. Eumdem scopum tangit, quod ibidem Canus probat cap. 5. non assistere Spiritum sanctum Concilijs, & Decretalibus in singulis, præsertim Philosophicis, nam certè hæc obiter sæpissimè dicuntur.

De causis non inueniendarum allegationum, etiamsi fideliter ab Autoribus exhibeantur, & quanta esse queat corruptela librorum.

Caput III.

QVæ in hoc capite proponuntur, ostendunt apertè, quare obiter dictis tàm parum sit fidendum. Circa primum obserua, sæpe ad pauca respicientes facilè enuntiare aliqua Patrum, aut Conciliorum, aut Scholasticorum testimonia falsò fuisse ab alijs allegata; cùm tamen ea verissimè fuerint producta; primò, cùm iuxta diuersas editiones diuersus est ordo capitum, & tractationũ, aut diuersa eorum diuis-

atque partitio, vt accidit in pluribus operibus S. Augustin. & in Moralibus S. Gregorij, secundùm varia exemplaria. contingit. vt author iuxta vnam editionem alleget, & lector, qui examinat testimonia, aliam consuluerit.

Deinde ex additionibus, & interpositionibus epistolarum, aut sermonum, aut tractatuũ, aut capitum, quæ denuò comparuerunt, sæpissimè ordo, & numerus immutatur in diuersis editionibus. Quod patet ex varijs impressionibus S. Augustini, Sancti Ephrem, Sancti Gregorij Nazianzeni, & aliorũ, præcipuè Cõciliorum Generaliũ, & Prouincialiũ.

Tertiò, ex varijs castigationibus, quæ per emendatorẽ curam, aut supplent, aut tollunt, aut magna ex parte variãt antiquas editiones, & versiones in peregrinam linguam. Quod manifestè experimur in operibus Sancti Dionysij Areopagitæ, Sancti Basilij, Sancti Chrysostomi, Sancti Gregorij Nysseni, & aliorum Doctorum. Qui vno tantùm perspecto exemplari præceps iudicat, facilè decipitur.

Quartò, frequens est credulitas, atque valdè vniuersalis, vt ab alijs productas allegationes credant authores, eas que transcribant; cùm tamen iam in vsitatis editionibus nõ reperiantur, quod aduertit Melchior Canus lib. 12. c. 9. his verbis: *Illud testimonium Hieronymi, sed à Magistro Sententiarum acceptum D. Thomas, cæterique deinceps, vt solent, vsurparunt.* Hæc est potissima radix vnde tot discrepantiæ testimoniorum, ab hodiernis originalibus repertæ sint in decreto Gratiani, quas expendit noua editio Romana anni 1584. Idem frequenter contingit in postillis glossatorum, in commentatoribus Magistri Sententiarum, & Summæ D. Thomæ, in allegationibus Iurisprudentium, in Scriptoribus Catenarum, Collectaneorum, Polianthearũ. Vix est author locuples, qui sæpissimè non aliorum fidat citationibus.

Quintò, ex malitia hominum aliena supponentium, aut ex deprauatione codicum, aut ex vitio, seu varietate Interpretum, translatorum, vel Typographorum, aut quia ex inemendatis alia magis inemendata procedunt, magna sæpè dissimilitudo, aut diuersitas, aut contrarietas est eiusdẽ testimonij, penes varias editiones.

Sex-

Sextò accidit sæpè, vt idem testimoniū ex pluribus vicinis, aut distantibus alicuius Patris, aut Doctoris clausulis conficiatur, quod sæpissimè fecit. S. Thomas in Catena aurea, atque ita expedire fieri probavit, in præfatione eiusdem operis ad Vrbanum IV. Interdum minus periti hanc iustam licentiam, & ab Apostolis, & Christo Deo in allegationibus veteris testamenti in praxi, & exemplo positam, immerito nominant corruptelam.

Septimò non eadem prorsus verba antiquorum doctorū a novioribus producuntur, sed aut in summam rediguntur, aut in summam ab alijs redacta denuo recitantur, & interdum currentibus literis proponuntur; minus periti sugillatores magnum in hac re facinus inclamant, cum nullum sit, quod ex praxi Christi, & Apostolorum in referendis testimonijs Prophetarum innotescat, cum sensum, & nō seriem verborum pro ipsissimis clausulis eorundem prophetarum adhibere soleant.

Octauò, cum magna sit varietas versionum, è Græca, in Latinam linguam, accidit, vt autor operis secundū vnam translationem alleget, & qui examinat testimonia producta editionem alterius translationis habeat.

Nonò ex Compendiarijs litteris, seu abbreviaturis, non benè intellectis, aut ex negligentia Amanuensium plures, siue errores, siue varietates in diuersas editiones solent deriuari.

Decimò, ex vocum assonantia, vel similitudine nonnulla trāsiliūtur, & desunt in varijs impressionibus, ex quibus videatur autor parum fideliter allegasse, cum legitime suas partes obierit in citando.

Circa secundum statuere oportet haud mirum esse plurima errata à prælo, ab incuria, ab hominum malitia, & à translationibus, & versionibus, & alijs fontibus nuper relatis in scriptis antiquorum occurrere, contra primitiuos ipsorum calamos, cum editio vulgata olim similia mendorum genera sustinuerit, vt latissimè expendit Sixtus Senensis lib. 8. hæres. 13. Oleaster præfat. in Pentateuchum, & alij plures eiusdem instituti prædicatorij, quibus succurrunt omnes fere Theologi, & interpretes, atque idem ex-

presse dicitur in præfatione vulgatæ à Clemente VIII. recognitæ. Totam hanc thesim fusius illustrat Gretserus, lib.2. de Verbo Dei pro Bellarm. cap. 11. & egregiè rem declarauit Anastasius Sinaita. lib. cui titulus: *Via dux*, ijs verbis: *Facilius corrumpi posse scripta Patrum quàm sacras literas, quod illa in peregrinas linguas non sunt conuersa. Hæ autem in omnium gentiũ linguas translatæ fuerunt.* Fuse hanc thesim explanauit, & firmauit Sixtus Senensis in proœmio Biblioth. decernens ex malitia, aut Typographiæ incuria plura esse adulterina, & suppofititia in monumentis Patrum, vel rescissa, vel mutilata, vel summota. Quintum, & sextum librum insumit in referendis locis Patrum, vel caute legendis, vel prorsus vitandis, vel pie interpretandis, & excusandis, lib. 7. & lib. 18. innumera tradit circa deprauationem, & corruptionem librorum antiquorum, etiam in pluribus exemplaribus Bibliorum, quæ probat ex Hieronymo: Sanctus Antonius titul. 17. de leg. Canonica, §. 18. & qui eum sectantur non rarò in Cõmentarijs super Decretum cum Turrecremata expendunt Græcorum monumenta esse nimis deprauata. Nec mirum post tot sęcula, & transcriptiones hanc corruptelam inuectam fuisse, cum Clemens 8. in literis ad initiũ Missalium positis, dicat intra annos quadraginta ab editione prima sub Pontificatu Pij V. innumeros errores à Typographia, temeritate, & audacia, innumera perturbata, diuersa, insolita, commutata fuisse inuecta in Missalia eiusdem Pij V. Similiter in editione Antuerpiensi Ioãnis Scoti anno 1620. admonet prologus Religionis Seraphicæ, prodire opus illud expurgatum ab infinitis mendis atque in primo dumtaxat libro Sententiarum quadringẽta ad minus loca fuisse restituta, & additiones multas adulterinas sublatas. Nicolaus de Lyra in libro Differentiarum veteris testamenti post finem proponit Alphabetum eorum quæ pluribus Biblijs vitio scriptorum ex solis nominibus proprijs deprauata sunt, & numerat septingentos septuaginta sex errores per immutationem, additionem, aut detractionem literarum. Hæc delibare oportuit, tũ propter fines insinuatos, & alios qui cuiuis facile occurrent, tum vt

con-

constet in ijs, quæ obiter, & veluti in transcursu scripta reperiũtur ex relatis causis facile potuisse irrepere mendum, quod à Patrum, & Scholasticorũ mente, & calamo non prodierit. Tandem caput firmet auctoritas sancti Gregorij loquentis de Commentarijs suis in libros Regum, ijs verbis: *Patres venerabiles, si seriatim cuncta exponerent, quæ ex parte tetigerunt eam seriem locutionis quã tenere visi sunt, obseruare nequaquam possent: dum igitur Sanctorum Patrum intellectus prætereo, necessitate aliquando, aliquando commoditate vtor.* Vbi satis exprimit circa, obiter, & non seriatim, aut ex professo à Patribus dicta, etiamsi vere ab ipsis scripta sint, ex necessitate sæpè, interdum ex commoditate se discedere. Similia scribit Sanccius proleg. 7. in Cant. Delrio cap. 3. Isagog. Ghislerius initio expositionis literæ ad caput 3. Canticorum.

Quod in plurimis controuersijs Philosophicis, moralibus, & Theologicis, non nisi ex coniecturis, & verisimilibus fundamentis possit elici assensus. *Cap. IV.*

QVi in omnibus, & singulis controuersijs robusta, & irrefragabilia poscunt, & desiderant argumenta, penitus ignorant nostræ naturæ, & humanarum scientiarum conditionem. Propterea frequens, & vsitatus modus scribendi magnorum Doctorum fuit ille, quem præcedenti capite memorauimus, scilicet dubitatiuus, examinatiuus vacillans, problematicus, sub hypothesi. Verum quando in alteram partem assensum inclinabant, id præstare solebant ex coniecturis, aut congruentijs, aut credulitatibus, & in primis Philosophi, qui ex sensibilioribus principijs iudicãt frequentissimè, non alijs mouentur argumentis, quã cõiecturis, illisq; leuissimis ex credulitate vulgi, aut autoritate alicuius, aut cõnexione verisimili, & aparenti aliarũ doc-

trinarũ probabiliter deductis. Optimè ex Arist. hāc verita lem confirmat Scotus in 4. distinct. 43. quæst. 2. num. 16. ijs verbis: *Est alia responsio realior, quia non* omnia dicta à Philosophis etiam assertiue, erant ab eis probata per necessariam rationem naturalem, sed frequenter non habebant nisi quasdam probabiles persuasiones, vel vulgarem opinionem præcedentium Philosophorum, vndè dicit Philosophus 2. de cœlo, & mundo (in capite de duabus quæstionibus difficilibus loquitur) tentandum dicere, quod videtur dignum, reputantes promptitudinem magis imputa verecundiæ, quàm audaciæ, siquis propter Philosophiā stare, & paruas sufficientias diligit, de quibus maximas habemus *dubitationes*. Vndè paruæ semper sufficientiæ suffecerunt Philosophis, vbi non poterant ad maiora peruenire, ne contradicerent principijs philosophiæ. Et in eodem capite; de alijs astris dicunt Ægyptij, à quibus multas credulitates habemus de vnoquoque astiorum. Vnde quandoque Philosophi acquiescunt propter suas persuasiones probabiles, quādoque propter assertionem suorum principiorum præter rationem, *necessariam*: Hactenus Scotus vniuersaliter affirmans, & ex Aristotele probans sæpissimè philosophos ex leuissimis coniecturis, ex congruentijs, ex credulitatibus, ex connexione principiorum assentiri suis opinionibus sine rationibus efficacibus.

Ex hoc principio fit quàm magnus, & pucrilis error fit eorum qui singulas coniecturas, & credulitates, & congruentias Philosophorum versant, & ad incudem trahunt, & perinde eas examinant, ac si demonstrationes mathematicæ crederentur: genus delirij est vel similes coniecturas, & congruentias timidè a philosophis propositas, repudiare, quod non vincāt, & robustiùs persuadeant quàm experimenta, & Geometricorum discursus: vel in plerisque disputationibus alias probationes expectare, quàm quæ à coniectura, aut congruentia, aut credulitate dependent. Egregiè id expressit S. Ireneus lib. 2. cap. 47. ijs verbis: *Etiam eorum quæ ante pedes sunt, dico autem quæ sunt in hac creatura, quæ & contcruntur à nobis, & videntur, & sunt nobiscum, multa fugerunt scientiam nostram, & Deo*

hæc ipsa committimus. Quodsi tentemus causam exponere ascensionis Nili, multa quidem dicimus, & fortassis suasoria, fortassis autem non suasoria: quod autem verum est, & certum, & firmum adiacet Deo, &c. Idcirco inutilis, & noxia est eorum opera, & studium qui pro singulis coniecturis, aut congruentijs singulas excitant quæstiones ad suadendum, quod efficacissimè probent, & potentissimè conuincant.

Melchior Canus lib. 12. de locis cap. 5. merito conqueritur de nonnullis Theologis qui rationes quas magni Doctores, vt D. Thomas afferunt ad explicādam fidem congruentes, perinde acsi essent demonstrationes certæ, atque perspicuæ, aut defendant, aut defendendas esse credant. In arcanis Theologiæ, & scripturæ sæpissimè nulla ratio affulget nisi per obscuras cōgruētias, aut coniecturas: Vnde Irenus vbi proximè sic ait: *Si ergo & in rebus creaturæ quædam,* quidem adiacent Deo, quædam autem, & in nostram venerunt scientiam; quid mali est, si & eorum, quæ in scripturis requiruntur vniuersis scripturis spiritalibus existentibus, quædam quidem absoluamus secundùm gratiam Dei, quædam autem cōmendemus Deo, & non solum in hoc seculo, sed & in futuro, vt semper quidem Deus doceat: *Homo autem semper discat?* Et Paulo post. *Si ergo,* secundum hunc modum, quem dicimus quædam quidem quæstionum Deo commiserimus, & fidem nostram *seruabimus:* cum igitur videant Scholastici Doctores plerasque ex ijs quæstionibus arbitrarijs extra fidē sitis, quæ ab ipsis tractantur, in neutram partem habere certum pondus auctoritatis, neque rationis per paruas sufficiencias, coniecturas, congruentias, credulitates, connexionē doctrinarū secundum varias factiones, & scholas, suas statuunt conclusiones, & sæpissimè nihil decernunt, sed dubitatiuè, examinatiuè remissiuè, recitatiuè proponunt quid in ijs cōtrouersijs dici queat circa plurimas disputationes de visione, beatitudine, scientia, voluntate, prouidentia, prædestinatione, Trinitate, Angelis, peccatis, auxilijs, gratia, fide, incarnatione, cum alterutra pars neque scripturis, neque Concilijs, neque traditionibus, neque vnanimi Sanctorum

ctorum Patrum, aut Scholasticorum consensu, neque manifesta ratione, aut experimento subsistere queat, expediret valde antiquorum stylum æmulari, rem breuiter proponere, coniecturas, aut verisimiles credulitates in medium afferre, propriam opinionem examinatiue, aut vacillanter declarare; vel Deo ipsi iuxta consilium Irenei decisionem committere. Innumeræ quæstiones circa varias possibilitates, rerum non existentium; innumeræ etiam aliæ, circa facta libera, aut liberas voluntates Dei, quæ per scripturam, aut Ecclesiam non innotescunt, innumeræ quoq; aliæ circa res à sensibus, aut humano experimento non pendentes, Scholasticam Theologiam ijs annis repleuerunt, in quibus necesse est solis coniecturis, aut congruentijs, aut credulitatibus alicuius magni Doctoris, aut ratione connexionis aliorum principiorum, decernere, & opinari, vt nuper relatus Scotus admonebat. Qui verò respondentes, aut argumentātes, vel sic defendunt, vel sic oppugnant prædictas coniecturas, congruentias, aut credulitates, ac si essent demonstrationes Mathematicæ, magnam inferunt Theologiæ iniuriam, cum singulæ res ita sint tractādæ, & excutiendæ, vt earū natura permittit. Id simpliciter obseruauit Aristot. pro Philosophia morali, quā nos in magna parte secundæ secundæ cōprehensam, moralē Theologiā nominamus. Sæpe ibidem expendit Philosophus tractationis illius naturam solidiores probationes, & rigidiora examina non admittere, sed verisimiles tātum probabilitates. Longū esset ire per singulas quæstiones Philosophicas, Theologicas, & morales, in quibus assensus ad alterā partē sola coniectura, aut congruentia, aut credulitate innituntur. Quæcunque per varias opiniones scripsere copiose multi Doctores horum seculorum circa ordinē signorū, & instantium in quibus decreta est incarnatio Verbi, à solis coniecturis, aut cōgruentijs, aut credulitatibus pendent, nec mirū cū sit quęstio facti liberi Dei, quoad illas circunstantias non reuelati. Quęcunq; plures Theologi tribuunt humanitati Christi pro efficacia physica miraculorū, Sacramentis pro influxu Physico gratiæ, igni infernali pro physica actiuitate in spiritus, creaturis singulis pro instrumentali virtute physica creādi, & alijs innumeris, quateuus suos

sensus probât ex potentia obedientiali physica vniuersis rebus creatis annexa, siue adæquate identificetur cum illis, siue non, certum est non alio imniti fundamento, nisi allegatione quorumdā verborum Augustini. Dicunt hunc Doctorem maximum, & sanctissimum primum fuisse assertorem potentiæ obedientialis, & eam inter fidei mysteria recensere. Verum Augustini verba sunt obscurissima, & de illius sensu non liquet, & quæ in hoc genere alleganrur, sunt ex libris de Genes. ad litterā, vbi nihil dicit affertiue, nec auctoritate præcipientis, sed formidine dubitātis, præterea obiter, & non ex professo de hac obedientiali potētia tractauit, sicut & plures Theologi. Infinita sunt huius generis in Theologia, & alijs artibus, & scientijs quorū alibi longiorē Catalogū producemus, vt notū sit pluribus in controuersijs assumendas esse regulas Irenei, & Scoti, nec pro rationibus, aut motiuis litigādum aliter, quàm pro verisimilibus fundamentis.

Probatur idem intentum à simili scripturæ sacræ, in qua sæpissimè Canonici scriptores argumentis duntaxat verisimilibus, & probabilibus vtuntur, quæ iniquum esset more mathematico veluti demonstrationes examinare. Exempli gratia : suadet D. Petrus Apostolos non esse ebrios, cùm Spiritus-Sanctus die Pentecostes descēdit, quia hora tertia nondum effluxerat. Hæc ratio est verisimilis, & tantū probabilis; non vincit potenter, quia si casus disputationi exactissimæ subijciatur, haud dubiū quin ebrij esse possēt Apostoli ante horā tertiā labēte mense Aprili, aut inchoante mēse Maio, in quo ab aurora, vsque ad tertiā quatuor, aut quinque horæ intercedunt: Plura huius generis possent adduci ex scripturis, ne quis in libris aliorum Doctorū triumphales, & irrefragabiles rationes, vbiq; desideret, sed quas rei natura patitur.

Similiter in Decretalibus, & iure Canonico, & Cōcilijs, non raro, vel tanquā rationes, vel tanquā præmissæ, proponuntur aliqua fundamenta ex discursu, aut scriptura sacrā, aut historia, aut patribus, quæ tantū verisimiliter, vel probabiliter persuadent, & non irrefragabiliter vincunt: imò interdū sunt falsa, vt probât cōmuniter DD. cū Valēt. l. 8. Anal. fid. indubitatū tamen est, neq; Pōtifices, neq; generalia

ralia Concilia errare posse in conclusionibus, quas directè, aut primario intendunt definire. esset quidem in pluribus casibus labor superuacaneus non aliter, ac demonstrationes excutere, & examinare rationes singulas, aut testimonia scripturæ, aut historias Ecclesiasticas, quæ in decretalibus, aut Concilijs producuntur tanquam præmissæ, aut rationes conclusionis definiendæ, ergo multo magis id obseruandū venit in rationibus, & præmissis, quæ à Doctoribus quantumuis magnis afferuntur ad varias doctrinas approbandas.

Pro dictorum illustratione varias clausulas Iesuitarum antiquos Scholasticos sectantium producamus, Azor parte 2. edit. Rom. anno 1606. lib. 5. c. 4. pag. 328. 329. 330. postquam numeravit varios errores Pontificum non decernentium è Cathedra, subdit multa in corpore iuris haberi, quæ Pontifices non diffiniunt, sed in eis sententiam priuatam exponant: colligit errores decem, & eorum non nullos excusat. Luysius Turrianus opusculo 1. Selectarum disp. 1. dub. 6. ait Pontifices, & Concilia in diuersis materijs, vti posse rationibus probabilibus, sed inefficacibus, atque idem contingere in allegationibus scripturarum. Disputat. 2. dub. 1. ex Valentia, Salmerone, Molina, Sanccio, Lorino, Chrysostomo, probat rationes quibus vtuntur Scriptores sacri sæpe esse probabiles solūm, non euidentes. Per quindecim dubia sequentia eandem thesim varijs exēplis edisserit. Ibidem centur. 2. dub. 37. Concilia possunt adducere loca scripturæ ad probandū intentum in sensu non literali. Centuria 3. dub. 38. statuit posse esse inefficaces rationes aliquas Concilij generalis. Dub. 39. nullam inquit meretur censuram asserere Sanctos interdum vti rationibus non efficacibus.

(?)

De examine doctrinæ damnabilis, & expurgabilis, in genere. Cap. V.

NVlla propositio falsitatem continet, quæ latè non dicatur damnabilis, propter imperfectionem intellectus negantis obiectum verum, & fundantis actum falsum. Verùm non agimus de hac specie, aut genere doctrinarum; sed inprimis de illis assertionibus, aut doctrinis, quæ expurgari, aut condemnari debent, propter censuram Theologicam ipsis annexam; quia aut directè fidem, vel Religionem destruunt, aut indirectè eam labefactant, aut infirmant, aut decolorant, aut infamant, aut sensim ad eam labefactandam, infirmandam, decolorandam, vel infamandam disponunt. Secundò tractamus de illis doctrinis, aut assertis, quæ licèt nullam censuram Theologicam mereantur, nihilominus earum prohibitio, aut expurgatio Apostolicis Inquisitoribus commissa est. Huius generis sunt clausulæ omnes, quæ famæ proximorum, & præsertim Ecclesiasticorum, & Principum derrahunt; & quæ bonis moribus sunt contrariæ; & quæ personas Ecclesiasticorum lædunt, ac violant; & quæ in perniciem, aut præiudicium famæ, & existimationis aliorum iactâtur, & quæ ob lasciuiam bonos mores corrumpere possunt: quas omnes clausulas iubet Clemens VIII instructione sua Pontificia, anno 1595. edita, ex libris tam Catholicorum, quàm hæreticorum expungi. Sunt igitur diuersæ propositiones damnabiles propter censuram Theologicam, á propositionibus, quæ ex commissione Pontificum expurgandæ sunt, licèt nullam Theologicam notam habeant adnexam.

Expendere necesse est diuersos gradus propositionis damnabilis, aut expurgabilis, non semper essentia, aut specie differre, cùm interdum solis accidentibus, aut circunstantijs notabiliter aggrauantibus separentur: interdum mutuò se includant. Omnis propositio hæretica est erronea; & omnis propositio hæretica, & erronea est scandalosa, & piarum aurium offensiua. Neque decet more Philosophorum, pro legibus hatũ diuisionum mutuò digladiari, ac per subtiliores cõsiderationes expẽdere, vtrũ qua ratione linea, superficies, & cor-

pus specie physica & metaphysica differunt; licèt corpus sine superficie & superficies sine linea considerari non valeant: sic hæresis, error, scandalum, & aliæ censuræ specie sint diuersæ, quanquam hæresis sine errore, & error sine scandalo non possint inueniri. Hoc genus disputationum circa diuisiones, & distinctiones in rebus moralibus sæpe est inutile, at in præsenti casu multò est inutilius; cùm ad vtramque partem variæ possint adduci coniecturæ, nec ex inuestigatione differentiæ, aut conuenientiæ specificæ ad præsentem tractationem vlla vtilitas consequatur. In sacramento pœnitentiæ exprimere necesse est gradus illos propositionum, de quibus maxima lis est, an essentialiter, seu specificè secernantur: at pro nostro instituto certum est, omnes, & singulos gradus propositionum inferius producendos, è libris expurgi debere; quę speciatim propositiones grauiorem censuram annexam habeant, quibus propterea maior sit iniungēda pœna, tum ex dicendis in singulis, tum ex circunstantijs iudicandum est.

De propositionibus hæreticis, erroneis, sapientibus hæresim, suspectis, malè sonantibus, scandalosis. Caput VI.

VT propositio aliqua veluti hæretica condemnetur, necessarium est eam aduersari, & contrariari articulis fidei, vel Ecclesiæ definitionibus per Concilia generalia, & Decretales expressis, vel litteris sacris, vel traditionibus Apostolicis. Cōtrarietas debet esse talis, vt non sit opinio inter Doctores Catholicos de oppositione, aut contrarietate, vel contradictione propositionis, cum prædictis quatuor regulis fidei, vel aliqua illarum. Idcirco cùm hæresis sit *error pertinax hominis Christiani, fidei Catholicæ ex parte contrarius*, iuxta cōmunem Doctorum expositionem, cum Tolet. lib. 4. cap. 3. Azor 1 p. lib. 8. cap. 9. Sancio lib 2. Decalogi, cap 7. necesse est, vt doctrina circa quam erratur, sit eius generis, vt singulariter reo, vel autori exhibeatur, cum quo articulo fidei, vel cum qua determinatione Conciliorum, & Pontificum, vel cum quo loco Scripturæ, vel cum qua traditione

tione Apostolica, sine dubio, & opinione omnium Doctorum opponatur: nam generales censuræ de hæresi, non productis regulis fidei, quibus singulariter opponatur, nec in iudicio, nec extra iudicium robustæ sunt. Ad hunc gradum reuocari debent aliqua capita, quæ præscribit instructio Pontificia Clementis Octaui, de correctione librorum, his verbis; *Quæcumque fato, aut fallacibus signis, aut ethnica fortuna humani arbitrij libertatem subijciunt, obliterentur: ea quoque aboleantur, quæ paganismum redolent.* Nam similes propositiones à Christianis prolatæ, vel scriptæ iam non sunt dumtaxat paganæ, aut gentiles, sed hæreticæ simul, aut hæresi proximæ, vel de hæresi suspectæ, aut hæresim sapientes, aut erroneæ, iuxta mensuram contrarietatis, cum dogmate fidei in singulis gradibus expendendam.

Propositio erronea, aut hæresi proxima (quam Leo X. in Bulla contra Lutherum appellat, *veritati Catholicæ obuiantem*) minùs quid continet, quàm hæretica; cùm sit assertio falsa contra aliquam veritatem Catholicam ab Ecclesia nondum planè definitam; verùm ex definitis planè, & euidenter pendentem, & deductam. Sic Canus lib. 12. de locis cap. 11. Simancas tit. 54 institut. num. 9. Paramus lib. 3 §. de hæreticis, num. 105. Puente Hurtado disput. 81. de fide. Suar. tract. de fide, disp. 19. & cæteri Doctores ab his allegati. Vnde erronea doctrina est, quæ non manifestè aduersatur conclusioni Theologicæ euidenter illatæ ex vtraque præmissa de fide, aut ex altera de fide, altera euidenti naturaliter. Secundò illa etiam erronea doctrina dicetur, quæ tam euidenter opposita est, licèt mediatè cum ijs, quæ sunt de fide; vt neganda sit ipsa fides à mediocriter docto, qui in illa defendenda perstiterit. Tertiò eadem censura inuretur illi propositioni, cuius opposita ex vehementi, & communi opinione sapientium est de fide. Quartò idem iudicium fiet de doctrina, qua admissa per legitimam, & concludentem illationē cogitur illius autor, aut defensor, ad negandum assertionem aliquam fidei, quam Deum reuelasse admittat. Ex quibus omnibus constat, erroneam propositionem solùm importare errorem proximum hæresi, qui tamen non sit hæresis: atq;

adeò

adeò esse inter has species differentiam, quam supponit Concilium Constantiense, sess. 15.

Propositio blasphema est clausula verbalis, aut scripta maledictionis, conuitij, & contumeliæ in Deum, vel in eas personas, quæ habent respectum vinculi, & vnionis ad Deú, vt Sancti, etiamsi nihil falsum de illis affirmetur. Hanc descriptionem expendunt Suar. tom. 1. de Religione, tractat. 3. & Sanctius, lib. 2. summæ, cap. 32. & innumeri ab his allegati. Duplex est species blasphemiæ; alia hæreticalis, continens hæresim contra Deum, vel errorem, aut falsitatem speculatiuam contra fidem iniuriosè, & contumeliosè prolatam, per modum indicatiui; alia blasphemia est simplex, & non hæreticalis, quæ non continet falsitatem, quasi speculatiuam contra fidei veritatem; sed solùm falsitatem, quasi practicam, ex modo loquendi blasphemantis ortam, quales sunt blasphemiæ prolatæ per alios modos, qui non sunt indicatiuus, vt optandi, imperandi, increpandi, & quæ fiunt nominando contumeliosè, aut irrisoriè aliquid, quod in Deo, aut Sanctis nó reperitur; vel si reperitur animus proferentis, & verba ipsa conuitium, aut iniuriam continent, vt latè expendunt Suarius, & Sanctius suprà, & qui ab illis proferuntur. Hæc secunda species blasphemiæ est mixti fori, & datur locus præuentioni Iudici Ecclesiastico, aut seculari.

Vt propositio aliqua sapiens hæresim existimetur, necessarium est, vt prima verborum facie. & significatione sensum hæreticum offerat audientibus, & legentibus, siue piè intellecta sensum Catholicum habere queat; siue illum non capiat. Instructio Pontificia Clementis Octaui, anno 1595. hunc gradum saporis hæresis ita exprimit, vt non declaret, in quo situs sit. Existimo nostram daclarationem supponere quam tenet Paramus lib. 3. c. de hæresi, & eius speciebus, num. 16. ex Gersone, EKio, Albertino, Castro, & alijs. Simancas de Cath. inst. tit 30. num 24. ex multis Doctoribus; & tit. 54. num. 6. Suarez, Puente Hurtado, & alij suprà relati. Verùm si ex antecedentibus, & subsequentibus clausulis, aut dictis tollitur ille sapor, aut acerbitas hæresis per declarationem, & professionem doctrinæ Catholicæ, non potest vllam censurã mereri: nullus tam cautè loqui, aut scribere potest, vt singulas

las propositiones mutilatas, vel ab antecedentibus, & subsequentibus seiunctas, à prædictis saporibus liberare queat. Item propositio sapiens hæresim illa est, ex qua simul, & alia, quæ non possit rationabiliter negari, hæresis infertur, vt Simácas, & Paramo suprà ex Corduba docuerunt. Verùm hæc illatio debet esse manifesta, & euidens, ita vt per nullas subtiles considerationes, nec probabiles rationes, aut coniecturas, posito antecedenti negari possit consequens: & tandem concesso antecedenti, & consequenti manifestè, & euidenter inferatur alia propositio hæretica. Itaque iuxta hunc sensum non potest conuinci reus, aut Doctor, de propositione sapiẽte hæresim, si non formetur syllogismus, in quo admittat maiorem propositionem, & rationabiliter, aut probabiliter, aut verisimiliter negare non possit minorem, aut è contra; vnde euidenter inferatur consequens, ex cuius concessione manifestè colligatur propositio hæretica.

Propositio suspecta de hæresi illa est, quæ cùm duplicem habeat sensum, vnum Catholicum, & alterum hæreticum, ratione circunstantiarum personæ, temporis, vel loci, suspicio generatur, quòd à proferente, vel scribente in sensu hæretico fuerit prolata, aut scripta. Instructio Pontificia Clementis Octaui his verbis hunc gradum expressit; *Verba dubia, & ambigua, quæ legentium animos à recto, Catholicoque sensu ad nefarias opiniones adducere possunt.* Eiusdem gradus meminit Pius IV. in litteris, quarum initium; *Dominici gregis.* Si coniectura, quæ generat hanc suspicionem, raro, vel casu concludit dicentem, aut scribentem esse hæreticum, propositio erit leuiter suspecta. Si coniectura suspicionem inducens concludit frequenter, & vt in plurimum, talia dicentem, vel scribentem esse hæreticum, propositio erit suspecta de hæresi vehementer: vt probatur ex ratione, c. accusatus, extrau. de hæreticis, lib. 6. §. ille verò. Si coniectura suspicionem generans concludit efficaciter, & fere semper, talia dicentem, vel scribentem esse hæreticum; propositio erit violenter suspecta de hæresi: vt constat ex ratione, quæ habetur cap. Filij, & cap. accusatus, extrau. de hæreticis, lib. 6. Quòd si propositio aliqua duos habet litterales sensus proprios, & communes, quorum alter Catholicus sit, alter hæreticus, non est suspecta,

aut hæresim redolens, sed æquiuoca: sic accidit in vocibus simplicibus, vt *frons* æquiuoca vox sit ad frondem, & frontē: in hoc casu non licet prædictam æquiuocam propositionem absolutè condemnare, si author est Catholicus.

Propositio malè sonans, & piarum aurium offensiua specialiter dicta, de qua Pontificia instructio Clementis VIII. vbi supra, illa est, quæ cùm hæretica non sit, neque erronea, neque sapiens hæresim, nec suspecta de hæresi; aliquid tamen absurdum asserit, quod statim vt auditur, rel giosas, doctas, & pias aures meritò offendit, quin posit afferri grauis autoritas Patrum, aut Doctorum, similem propositionem adstruēs, qua illata offensio euitetur. Sic Cano de locis, lib 12. cap. 11. Simācas tit. 54. nu. 10. Et ex Turrecrem. Albertino, Castro, & alijs Paramus lib 3. §. de hæresi, num. 107. Nulla est regula ad inferendam hanc censuram, præter aures religiosas, doctas, graues, & pias: neque potest quisquam ab ea se liberare, nisi per ostensionem earumdem propositionum in grauissimis Scriptoribus Catholicis. Cum hic gradus ex parte comprehendat censuram scandali, & offensionis, necesse est, vt plura, quæ de propositione scandalosa dicuntur, conueniant assertionibus malè sonantibus, aut piarum aurium offensiuis; & quæ de ijs dicuntur, etiam scandalosis applicentur. In vniuersum oportet expendere, plura esse, quæ lingua vulgari sunt scandalosa, malè sonantia, & piarum aurium offensiua, quanquā verissima. Sacra Biblia verbo ad verbum ex originarijs fontibus traducta; controuersiæ de mysterijs fidei, tractatus de prędestinatione, & reprobatione, & alia plura grauissima incommoda, & noxam reipublicæ Christianæ inferunt: quæ tamen latino sermone dicta, aut scripta, aures pias, id est, minimè maleuolas, aduersas, & capriosas, sed satis superque instructas, & ad Christianam lenitatem propensas minimè offendunt: quod doctè expendit Abul. 1. p. defensorij, in fine, vbi ait: Si vera, aut probabilia scribūtur latinè, non esse verū scandalum litteratorum, cùm potiùs naturaliter gaudeant de veritate explanata; si ignorantes sunt, scandalizari non possunt, cùm non lingua vulgari quidquam proponatur. Quod scandalo Pharisaico quisquam conturbetur, curandum non est. Tādem malè sonantes propositiones dicuntur, in quibus

sensus

sensus est legitimus; voces dumtaxat offensionem generant, quia vel ex ignorantia significationis, vel ex incommoda applicatione, vel ex alieno vsu nimis distortus est sermo.

Propositio scandalosa (quam etiam expurgari iubet instructio Pontificia Clementis VIII. vbi suprà) est illa quæ siue vera, siue falsa sit, pusillis, præsertim pijs præbet occasionem ruendi in aliquem errorem, vel peccatum spectans ad iudicium Inquisitionis. Huius gradus meminere Concilium Constantiense sess. 8. damnans articulos nonnullos scandalosos Vviclephi, & sess. 15. condēnans alios Ioannis Huss: & Pius V. & Gregorius XIII. in Bulla contra Baium. Idcirco Paulus III. constit. 30. tom. 1. Bullarij, pag. 659. committit Inquisitoribus, vt procedant contra prędicantes propositiones scandalosas; & Alexander IV. constitut. 8 librum prohibet de periculis nouissimorum temporum, quòd *multa scandalosa* contineat; certè in prædicto sensu gradum scandalosum vsurpant. Verba Alexandri IV. coercent plures species scandali ijs clausulis, in vnum collectis: primò detractiones in ea clausula; *Surgentes aduersus fratres detraxerunt, & contra dilectos Matris Ecclesiæ filios scandalum posuere.* Deinde turbationes in illa. *Quodque etiam idem libellus magni scandali seminarium, & multæ turbationis materia existebat, induxebat etiam dispendium animarum.* Tertiò, quæ sunt causæ iurgiorum, contentionum, dissensionum, sub eadē voce ibidem exprimuntur. Sic etiam hunc gradum Canus lib 12. cap. 11. Simancas tit. 54. num. 13. Paramus lib 3. §. de hæresi, num. 110. & Puente Hurtado suprà declararunt. Nonnullæ tractationes vulgari lingua sunt scandalosæ, sicut dictum est de malè sonantibus, & piarum aurium offensiuis; quæ latino sermone positæ nullam censuram merentur. Ideò Pius V. constitut. 114. tom. 2. Bullarij, pag 322. & Paulus V. constitut. 9. pag. 58. in appendice, pro suo tempore interdixerunt, ne quisquam libros scriberet vulgari idiomate, continentes quæstiones de Conceptione B Virginis. Similiter regula 4. expurgatorij prohibet sacram Bibliam (qua nihil est verius) si lingua vulgari fuerit donata. Concilium Lateranense, sub Leone X. sess. 11. detractiones Prædicatorum in concionibus aduersus Prælatos, & Episcopos, nominat scandalosas: & licèt

& licèt aliquando censuram Theologicam non mereantur hæ, aut aliæ scandalosæ propositiones, expunguntur, iuxta instructionem Clementis VIII. A Constantino Magno similes detractiones, & scriptiones scandalosæ nominatæ sunt lib. 2. Concilij Niceni, per Alfonsum Pisanum, cap. de præstantioribus Episcopis à Rege susceptis; vbi dicitur, prædictū Imperatorem incēdio tradidisse omnia scripta aduersus Episcopos, & Sacerdotes, his verbis; *Oportere Sacerdotum præuaricationes vulgaribus esse ignotas, ne inde scandali occasione accepta, postea ipsi absque metu delinquant.* Sub hoc gradu collocari possunt illæ propositiones, aut doctrinæ scriptæ, aut prolatæ, quæ his verbis notantur ab Alexandro IV. *Quodque idem libellus inducebat dispēdium animarum, cùm retraheret à deuotione solita, & consueta eleemosynarum largitione, ac à conuersione, & Religionis ingressu fideles.* Sic et eo tractatus illi, qui docent, eo minùs fidendum esse hæreticis & Iudæis ad Christum conuersis, quo maius specimen pietatis, eleemosynæ, & susceptionis Sacramentorum dederint, vt scandalosi prohibentur; quoniam auertunt hæreticos, & Iudæos ab ingressu Ecclesiæ, & eos, qui ex ipsis Catholicæ Romanæ fidei se subiecerunt, separant ab exercitio bonorum operum.

De propositionibus seditiosis, schismaticis, iniuriosis, maledicis, & contumeliosis. Cap. VII.

PRopositio seditiosa est, quæ circa res fidei, vel doctrinarum, ad bonos mores pertinentem, generat seditionem, aut tumultum. Ita Simancas de Catholicis institutionibus, tit. 54 num. 15. Paramo vbi suprà. Propositiones illæ, quæ seditionem causant in rebus fidem non tangentibus, ratione censuræ Theologicæ, ad iudicium Inquisitionis non spectāt, nisi quando lege aliqua Apostolica sancto Officio committuntur: sic olim Sixtus IV. promulgauit litteras, super non excudendis libris de Religionum quarumdam origine, & antiquitate, ex quibus Regularium contentiones prodibant: atque huius rei cognitionem dicitur commendatam fuisse à

Sede

Sede Apostolica Inquisitoribus. Similiter Paulus III. anno 1542. in Bulla, quæ incipit; *Apostolici culminis*, sancto Officio commendat, vt seuerè plectat Concionatores è sacro pulpito satyricas, mordaces, & seditiosas propositiones, cuiuscumque generis sint, effundentes. Ideo proximis annis suprema Inquisitio Hispana grauissimo edicto cōpescuit Magistros, & prædicatores, & quoscumque alios in cōcionibus, lecturis, vel chartis scriptis, lacerantes nomen, & denigrantes famam Ecclesiasticorum, aut Religiosorum, etiam si vnā solùm personam læderent, si ex eius damno refunderetur in ... Ordinem detrimentum. Hoc genus hominum se... carceribus addici vult, exilijs, & priuatione mu...rum, magisteriorum, lecturarum, & concionum mulctari. Clemens VIII. in instructione edita anno 1595. e libris expurgari iubet ab Inquisitoribus, quascumque propositiones seditiosas, licet censuram Theologicam non mereantur, vt ex inferiùs dicendis constabit: idcirco meritò expunguntur, quæ in libris quorumdam Lusitanorum, ex zelo, non secundùm scientiam, imprimuntur aduersus Christianos recèns conuersos à Iudaismo, vel ab eisdem prognatos, aut nepotes, & posteros illorum: ex illis enim odia, liuores, rācores, lites, iurgia, seditiones, dissensiones generantur: quæ omnia Alexander IV. constitutione 8. cùm videret in libro de periculis nouissimorum temporum contineri, vt illum prohibeat, ijs verbis præfatur; *Interserit odia, rancores ingerit, liuores accendit, mouet lites, iurgia suscitat, contentiones irritat, promit seditiones, dissensiones procurat.* Certè prædicti homines ex illis tractatibus conturbantur, & efferantur, & tumultuantur, & in factiones, & seditiones partiuntur, cum graui noxa Christianæ Religionis, dum experiuntur se, quantumuis catholicè procedant, vt vilissimos apostatas infamari. Comprehenduntur similes tractatus in verbis Clementis Octaui publicantis instructionem de correctione librorum, cum dicitur; *Quæ bonis moribus, & Christianæ disciplinæ sunt contraria, expungantur.* Item illa deleri mandat, quæ sunt in præiudicium famæ, & existimationis aliorum: nihil autem magis perniciosum, quàm quod Christianos infamat,

tur. §. 2 de correctione librorum instructionis Pontificiæ editæ anno 1595. cum indice Concilij Tridentini, ijs verbis ea lex proponitur: *Quæ famæ proximorum, & præsertim Ecclesiasticorum, & Principum detrahunt, bonisque moribus, & Christianæ disciplinæ sunt contraria, expungantur.* Et paulo post: *Facetiæ etiam, aut dicteria in perniciem, aut præiudicium famæ, & existimationis aliorum iactata repudientur.* Supposita hac iurisdictione Inquisitoribus collata, possunt; & si partes læsæ postulent, debent expungere, aut prohibere quodcumque opusculum, tractatum, aut librum, in quo alienæ famæ detrahatur; licèt sit pura, & mera detractio, cui nulla Theologica censura debita videatur.

In hac re valde est attendenda differentia inter eos, qui aggrediuntur alios chartis, & libellis infamantibus, & eos, qui cum moderamine inculpatæ tutelæ, per alias chartas, aut libros, seipsos, suaque gesta, aut facta ab eorum calumnijs defendunt. Nam ijs, qui iustè se tuentur, plura licent; iuxta exempla sanctorum Patrum, & doctrinas Scholasticorum. S. Gregorius Nazianzenus, in carminibus de vita sua, Maximum Ægyptium Monachum, appellat, *malum rabidum, canem cynicum, viarum seruulum, Aegyptium spectrum hypocritam, effœminatum, Gomorrheum, Sodomitam, inuidum,* & alia probrosissima nomina obiecit; vt illius fidem alleuiaret, circa illa, quæ contra Gregorium euulgarat. Orat. 28. iuxta editionem anni 1612. Antuerpiæ, describit tempestatem à Maximo excitatam, ijs verbis; *Ex amicis, & proximis alij haud obscurè aduersus me appropinquauerunt, & steterunt alij, & quidem ij, qui humanissimè mecum egerunt, de longè steterũt, & in nocte hac omnes scandalum passi sunt.* In orat. de Episcopis, de illis tractans, qui grauissimè eum infamarant, ait; *Quorum alij nepotes fuerant eorum, qui tributorum scribæ fuerant; nec aliud animo voluebant, quàm falsas, & subdolas rationum deprauationes; alij ab aratris venerant adusti à Sole; alij à ligone, vel bidente totum diem non quiescentes: nonnulli etiam opificiorum, quæ vltra ignem operas suas perficere nequeunt, guari, ne fuliginem quidem carnis integrè abluerant. An non hæc improborum sunt, & nequam Episcoporum?* Diuus Hieronymus cùm se de Origenis errore tus

tem:

cerneret infamatum libellis Ruffini, in apologia contra ipsum euulgat; in cuius libro 2. probat Ruffinum esse lasciuū, idiotam, Grammaticæ, & Logicæ ignarum, inuidum, furibundum, atque innumera huius generis addidit. Commendat hoc genus defensionis ijs verbis. *Fateor, illicò ad obiecta respondi, & me non esse hæreticum totis viribus probare conatus sum, misique hos meos apologiæ libros ad eos, quos tu vulneraueras, vt venena tua nostra sequeretur antidotus.* Ex Basilio, Chrysostomo, Gelasio Papa, & alijs sanctissimis Patribus adduci plura possent documenta similia. Scholastici Doctores simili exemplo seipsos, aut suos ordines, & professiones ab infamatoribus defenderunt. Sanctus Thomas opusc. 19. impugnatores Ordinis Prædicatorum grauissimè, & iustissimè percellit, licèt essent Doctores famosissimi Academiæ Parisiensis. In prologo eos appellat malignos, inuidos, peruersos, similes Philisteis. Capitibus viginti & sex opusculi prædicti alia quoque similis coloris passim addidit: ac tandem in epilogo eos veluti detractores, & nequissimos, & cæcos, & duces cæcorum, diuino iudicio reseruat. Similia scripsit S. Bonauentura, in apologetico contra Magistrum Guillelmum, & in alio aduersus eos, qui Ordini Fratrum Minorum aduersantur. Sholasticè hanc formam defensionis tuetur S. Thomas 2.2. quæst. 72. artic. 3. ijs verbis. *Quandoque oportet, vt contumeliam illatam repellamus, maximè propter duo: primò quidem, propter bonum eius, qui contumeliam infert, vt videlicet eius audacia reprimatur, & de cætero talia non attentet, secundùm illud Prouerbiorum; Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur: alio modo, propter bonum multorum, quorum profectus impeditur, propter contumelias nobis illatas.* Opusc. 19. probat sanctus Doctor, teneri in conscientia eos, qui possunt maledicentibus resistere. Allegat ad confirmationem cap. 16. prædicti opusculi 23. qu. 3. cap. *Qui potest*, vbi sic dicitur. *Qui potest obuiare, & perturbare peruersos, & non facit, nihil aliud facere est, quàm fauere impietati eorum.* Addit sanctus Doctor; *Ex quo patet, quòd non solùm licet malis resistere, & eos perturbare, sed etiam hoc sine peccato dimitti non potest.* Probat ex illis verbis Psalmi; *Persequar inimicos*

eos meos, donec deficiam: & ex alijs; *detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar*. Cap. 14. allegat ad persuadendā eandem veritatē, illustrissima verba sanctorum Gregorij, & Augustini. Hic modus tuendi proprium honorem, & subueniendi calumniantium necessitati, honestus est, propter eam rationem, quam ex alijs Theologis produxit Trullencus tract. 40. in octauum praeceptum, c. 3. his verbis. *Verè hic vindicta non est, cùm hæc supponat iniuriam iam transijsse, & non manere ampliùs: at calumnia semper manet, & lædit calumniatum, quando creditur calumniator*. Valde est diuersum, & dissimile vulnus corporis, & famæ. Nā vulnus corporis transiit; & aggressor iam non percutit, nec potest factum emendare, at vulnus famæ per calumniam, detractionem, maledicentiam, iniuriam verbo, aut scripto illatam, perseuerat in fieri, continuatur, & serpit quandiu calumniator, maledicus, aut detractor non corrigit suum dictum, id est, non retractat publicè quæ palam iniustè euulgauit. Propterea donec obligationi satisfaciat infamator cum publica retractatione, est in statu peccati mortalis, in fieri causans detrimentum iniustū: atque ideo eius fama cum moderamine inculpatæ tutelæ potest licitè vulnerari ab eo, cuius honor læsus est iniustè; tum vt recuperet nominis sui nitorem, tum vt resipiscat aduersarius à statu peccati. Longè alius casus est, cùm quis corporaliter vulneratus fuit: nam percussor nihil potest efficere ad retractandum scelus, in quod iam non influit, illud continuādo: & transijt malitia, & inflictio damni, quod reparare non valet.

Ex dictis fluunt regulæ, quibus discerni debeat quæ verba aspera debeant expurgari. Primò illa, quæ detrahunt iniuriosè, maledicè, & cōtumeliosè aduersus quamlibet personā Ecclesiasticam, aut secularem. Secundò illa, quæ facetè, aut seriò perniciosa sunt existimationi alienæ. Tertiò non sunt nominandæ detractiones, maledicentiæ, aut iniuriæ verba aspera, quæ cum moderamine inculpatæ tutelæ in apologijs & defensionibus legitimis producuntur, exemplo SS. Patrū & Scholasticorū. Quartò, si excedatur supra moderamen inculpatæ tutelæ, excessus verborum expurgandus est, cùm nō sabeat vicem iustæ defensionis, aut recuperationis honoris, sed induat malitiam detractionis, iniuriæ, & contumeliæ.

Quintò,

Quintò, etiamsi illi, contra quos scribitur, verè sint peccatores in Deum, & in seipsos, ac publicè delinquant, sine læsione honoris cuiusquam, non possunt per scripta infamari: delationibus, aut accusationibus deferantur, & prouocentur ad legitimos Iudices, & Magistratus. Propterea iustissimè prohibentur tractatus aduersus nonnullos Catholicos, qui cùm Romanam fidem profiteantur, in regionibus Septentrionalibus traducuntur, aut infamantur de simulata religione. Strenuè id etiam præstitit suprema Inquisitio Lusitana, eos prohibens libros, qui iniuriosi, & maledici sunt contra recèns conuersos à Iudaismo, aut eos, qui ab antiquis conuersis originē duxerunt: quanquam ij simul continent gradum seditionis, & scandali & sunt contra incrementa Ecclesiæ, arcendo ab illius ingressu pusillos, aut contristando eos, qui Christianam religionem professi fuere: vt ex superiùs dictis constat, & ex sequentibus innotescet. Sextò, doctrina relata ex Fallucio, & à Patribus, & Theologis approbata, obligat iudices similiū propositionum contumelias, iniurias, & detractiones continentium, vt quamprimùm possint, eas prohibeant, & expungant, cùm peccatum sit in fieri, & continuetur, & influat, iuxta verba diui Thomæ, Gregorii, & Augustini, de quibus nuper dicebamus.

Acerbæ, & infamatoriæ clausulæ Historicorum, præsertim in Principes, quando expurgandæ, & quando permittendæ. Cap. VIII.

PLura non imputantur culpæ Historiographis, etiamsi ex illis infamia consequatur, quæ cæteri non sine magna culpa diuulgarent. Idcirco Molina tom 6. tract. 4. disp. 24 n 9. sic ait; *Pro bono communi, quod ex historijs resultat, licitum est Historiographis scribere, quod ad infamiam aliquorum, de quibus scribunt, posterorumque ipsorum spectat, quod non alioquin illis liceret.* Idcirco hæc expurganda non, sed tolerari possunt quæcunque sine culpa ab Historicis scribuntur: nam & id cōmune Reipublicæ vtilitati expedit, vt his verbis suadet prædictus Autor, disp. 28 *Tum vt notitia rerum gestarum histo-*

historijs habeatur: tum etiam vt homines spe famæ comparandæ, quæ historijs æternitati mandatur, timoreque infamiæ incurrendæ cuius similiter historiis perpetua sit memoria, alliciantur ad res præclaras gerendas, ad turpiaque, atque inde eora magis fugienda, ac vitanda. Praxis sæculorum hanc firmat veritatem. Concilium Romanum anno 897. sub Ioanne VIII. & aliud anno 909. sub Romano Papa; & aliud anno 1047. sub Clemente II. Synodus Constantiensis grauia crimina refert magni cuiusdam Principis Ecclesiastici, eaque stabili monumento litterarum committit. Speculum historiale Vincentij, Summa historialis S. Antonini, Annales Baronij, Historiæ Pôtificales, Carolus Sigonius de regno Italiæ, & innumera huius generis ab Ecclesia recepta volumina, & scripta Molinæ conclusionem suo exemplo, & tolerantia approbarunt. Si minus ad factorum normam historiæ adaptantur, sæpe sine vlla expurgatione permittûtur, præfixa obseruatione initio operis, qua apocryphæ, aut fabulosæ declarantur. Sic Romana Synodus sub Gelasio, historiam Natalis Deiparæ, sub nomine Hieronymi; & historiam transitus Deiparæ, sub nomine sancti Melithonis; & librum visionum Hermæ, sub nomine Pastoris; & historiam Ecclesiasticam Eusebii, sine prohibitione, aut expurgatione tolerat, addita solùm notatione, qua prædictæ historiæ apocryphæ, seu non authenticæ dicantur. Et licèt id non expressè iussu Concilii faciendum, aut scribendum intimetur, saltem ita sæpe obseruant cathalogi expurgatorij Hispaniæ in similibus euentibus. Sic index anni 1612. & anni 1632. iubet initio paraphrasis Chaldaicæ, eam inscribi fabulosam, & Rabbinicam esse, nihil in speciali delens, aut expurgans. Pro iusta censura historiis inferenda, hæ obseruationes adhibendæ sunt.

Prima, si historiæ infamauerint illos, quorum æterna dânatio indubitata est, de occultis criminibus, tunc admittenda est illa doctrina Molinæ supra disputat. 28. his verbis; *Obligatio est restituendi damnum in fama defuncti iniustè datum, nisi constaret eum esse in inferno: tunc enim tanquam hosti Dei, & nostrum omnium, qui proximus noster iam non est, obligatio non esset quidquam illi restituendi.* Quam doctrinam etiam defenderat tract. 3. disput. 83. Verùm prædicta imitanda

mitanda sunt ad eos casus, in quibus constet, nullum viuentibus damnum, aut scandalum ex ea infamatione obuenire: nam cùm Gentiles, & hæretici ante mortem sint proximi, quanquam non sint fratres, capaces sunt in præmissis recipiendi iniuriam, quæ compensationem exigat.

Secunda Quoties historiographi culpabiliter aliquem, vel aliquos infamant in re grauis momenti, expurgari, aut prohiberi debent: nam eorum peccatum, & damna ex eo consequuta semper vigent in publicis scriptis, iuxta doctrinam Adriani quodlib. 11. q. 1. Soti 5 de iustitia, q. 10. art, 2. & de tegendo secreto membro, 1 q. 2. in fine.

Tertia. Generales, seu vniuersales detractiones in historijs positæ aduersus nationes, aut prouincias, aut status nonnullos, vel plurimum nec offendunt, nec lædunt determinatas personas, aut familias: propterea nō expunguntur, si non inde contēptus Ecclesiæ, aut Ecclesiasticorum contingat. Ideo permittuntur Saluianus Massiliēsis in libris de prouidentia; etiamsi Episcopos, Sacerdotes, & Principes sui tēporis perstringat. Similiter Petrus Damianus in epistolis, præsertim lib. 1. epist. 2. & 5. & lib. 2. epist. 1. & 18. Simon Cassia in declamatioue aduersus ciuitatem Florentinam. Sic Bellarmin. in chronolog de Pontificib. Rom. qui fuerunt anno 1030. & proximè seqq. hæc ait. *His temporibus, quibus Pontifices Rom. à pietate veterum degenerarunt, Principes seculi sanctitate florebant: talis fuit Imperator Henricus cum vxore Cunegunda, Romanus Imperator Græcus, &c.* Ideo non expurgator Tritemius in plurimis, quæ scripsit de minori feruore, & zelo cuiusdam sacri cœtus, qui lapsu temporū defecerat à primitiua virtute. Neque Doctores, qui fideles superstites obiurgant, quasi à primęua Ecclesiæ sanctitate degenerātes. Gretserus in libro contra mysteriū iniquitatis, vbi exponit grauia scelera, quæ magnis quibusdam Principibus Ecclesiæ obijciuntur ab hæreticis: respondet, aut negando factū; aut si illud non possit denegari, addit, Iudā quoq; fuisse Apostolū.

Quarta. Licent plura in historijs, circa delicta antiquorum etiam principum Ecclesiæ, vel secularis dominationis, si neminem eorum infamia tangat: nam tales infamationes scriptæ, nec contagiosæ sunt ad imitationem, sed ad

excin-

exemplar, neque offensiuæ, seditiosæ, & scandalosæ, quia ipsa diuturnitate vires amiserunt: Bellarminius lib. de Laicis, cap. 20. de erroribus Poetarum, & Philosophorum, & antiquorum Patrum ait, esse mortuos, & extinctos ne detrimentum afferant. simile quid accidit prædictis historicorum infamationibus. Verùm si Principes, aut insignes viri, vel alij inferioris notæ habeant coniunctos affines, aut consanguineos, quos historicorum infamatio grauiter lædat, aut vulneret, aut scandalizet, sub pœna grauioris peccati tenentur eas non vulgare: quod eas communibus principijs Theologorum, & Iurisprudentium innotescit.

Quinta. Qui contra proprios Principes historias euulgat, etiam veras, potest contra pietatem delinquere: sunt enim Principes extraordinarij Patres Reipublicæ, vt in hoc tractatu exponitur ex Sancto Gregorio, Simacho, & alijs. Consequenter similes scriptæ detractiones, & seditionem, & contemptum, & inobedientiam generant. Qui contra alienos Principes historias euulgat, non ita contra pietatem delinquit, nec damna infert, quòd illi non sint extraordinarij Patres regni, in quo Historicus commoratur: nec ex dictis extraneorum, subditi eorum Principum commoueri soleant.

Sexta. Plura licent in scriptis, aut impressis literis iudicialibus, quæ si in libros vænales transferrentur, prohiberi, aut expurgari deberent: nam grauiora crimina testium, & reorum in informationibus excusis pro imbuendo animo iudicum producuntur, quæ si in publica, & venalia volumina inducerentur, tolerari non deberent: nam generatim illud obseruare necesse est, vt quæcumque ex necessitate, aut sine culpa dicuntur in historijs, aut scriptis aduersus aliorum famam, ea permittantur; non vero quæ à peccato excusari nequeunt.

Septima. Plures sunt historiæ, quæ si ad vnum iustum, & rectum finem colligantur, euulgari possunt, licèt inde antiquorum memoria diffametur. Verum si ad deprimendos, & dehonorandos viuos imprimantur, ea expurgari, aut prohiberi debent. Congerat quis exempla omnium ethnicorum, vel hæreticorum, vel iudæorum, qui post con-

uersionem ad Catholicam fidem, ab ea defecerunt, vt probet nulli Neophito, aut Neophitorum filio credendum esse: hic argumentum operis dirigit ad contristandum, & dehonorandum fratres viuentes. Propterea huiusmodi libri iuste prohibentur.

De propositionibus impijs contra Principes seculares, & personas Ecclesiasticas plures, aut pauciores, & de propositionibus illusorijs Iurisdictionis Ecclesiasticæ. Cap. IX.

INstructio Pontificia Clementis Octaui, de correctione librorum §.2. iubet, vt aboleantur propositiones: *Quæ famæ proximorum, & præsertim Ecclesiasticorum, & Principum detrahunt*, & Paulo post: *Explodantur exēpla, quæ Ecclesiasticos ritus, Religiosorū ordines, statū, dignitatē ac personas lædunt, & violant*. Hæ leges tuentur omnes, & singulos Principes Catholicos seculares, omnes & singulas personas Ecclesiasticas, & Religiosas, omnes ritus, omnes Ordines, Status, & Dignitates Ecclesiæ: & quāquam Pontifex generaliter expungi iusserat omnes clausulas alienæ famæ denigratiuas, etiamsi viri seculares per detractiones, & iniurias infamarentur, vt constat ex præcedenti capite, nihilominus in proximè relatis clausulis singulariter curat de bono nomine Principum, & Ecclesiasticorum, quod aduersus illos scripta, aut euulgata specialiter sint impia, vtpote iactata aduersus Patres extraordinarios Ecclesiæ, vel spirituales parentes animarum.

Principes seculares sunt extraordinarij patres tā secularium, quàm Ecclesiasticorum, qui in ipsorum regnis commorātur: Hæc doctrina a Martino V. probata fuit simul cum libris doctrinalibus Thomæ Vvaldēsis, in quorum vestibulo apponuntur litteræ Apostolicæ commendātes prædicta volumina, præmisso grauissimo examine Cardinalium, & Theologorum: lib. 2. doctrinalis fidei cap. 8. sic ait: *Vbi ista duo concurrunt in communitate Ecclesiæ scilicet extre-*

extrema, & non vlterius differenda necessitas, & ordinarij Pastoris, aut præsidis ad succurrendum desperata facultas, quærendus est extraordinarius pater priusquam Christi Domini fabrica dissoluatur. Principibus secularibus, vt extraordinarijs Patribus obediunt Ecclesiastici, velut filij in singulis, quæ Ecclesiam non dedecent, & quæ sacris Canonibus interdicta non sunt: non aliter ac Presbiteri, & Episcopi naturalibus parentibus, qui eos secundùm carnem genuerunt. Irreuocabile, & inflexibile est quartum Decalogi præceptum de honorãdis parentibus, & mandatis æquis illorum, aut non iniustis executioni mandandis. Hæc debita obedientia iudicialis, aut iurisdictionalis non est, sed filialis, naturalis, vel moralis: eam debitam esse principibus statuit S. Gregorius lib. 2. indict. 11. epist. 61. ijs verbis: *Vtrobique ego, quæ debui exsolui; qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo, quod sensi minimè tacui.* Cum igitur debere se obedientiam Imperatori scripsit, iuxta superiorem doctrinam exponendus est, de Ecclesiasticis qui morantur in regnis Principum, non de Romano Pontifice, qui nullatenus subditus est Regum, aut Imperatorum, nec eorum vassallus. Lib. 2. epist. 24. *Principalem obedientiam,* nominat eam, quæ ab Ecclesiasticis Principi est exhibenda. Pelagius Papa epist. 10. Imperatorem alloquens ait: *Legibus tuis ipsi quoque pareant Religionis antistites.* Vbi supponit filialem, naturalem, & moralem obedientiam, non iudicialem, aut iurisdictionalem. Similiter scripsit Simachus Papa in Apologetico ad Imperatorẽ: *Defer Deo in nobis, & nos deferemus in te.* Ac si dicat, da nobis obedientiam iudicialem, & iurisdictionalem, & nos præstabimus tibi obedientiam extraiudicialem, id est moralem parentibus naturalibus debitam: ex vrbanitate proprio nomine Pontifex loquitur, quasi obedientiã deberet, vt obseruantiam ab inferioribus Ecclesiasticis debitam erga Imperatorem declaret. Semper ab omni debito obedientiæ, aut subiectionis diuino iure eximitur Romanus Pontifex, & ad vrbanitatem, & humilitatem pertinet quidquid aliter sonat in eorum litteris. Hæc est communior intelligentia verborum Pauli ad Roman. 13.

& scandalosas propositiones iubeat prohiberi librum de periculis nouissimorum temporum. Illud sanè indubitatum est, similes propositiones esse expurgandas, iuxta Pontificiam instructionem Clementis Octaui. Primò, quia sunt detractiones. Secundò, quia contra pietatem. Tertiò, quia bonis moribus, & disciplinæ contrariæ. Quartò, quia scandalosæ.

Idem iudicium ferendum est pro libris, aut concionibus detractiuis, maledicis, & iniuriosis aduersus personas Ecclesiasticas determinatas, præsertim si Prælati sint, aut Episcopi, & non seruetur ea cautela qua vsus est Bernardus serm. 10. 30. & 33. in Cant. & Epist. ad Robertum nepotem suum, & in libris de consideratione ad Eugenium. Concilium Lateranense, sub Leone 10. sess. 11. appellat exteras conciones detractiuas Ecclesiasticorũ, scãdalosas, & laceratiuas incõsutilis tunicæ Iesu Christi. Conciliũ Senonense in decretis morũ cap. 36. æqualẽ pœnã statuit detrahentibus è Pulpito Episcoporũ, Principum, & simplicium Sacerdotum famæ: & iubet eos ab officio prædicationis suspendi, & alijs pœnis coërceri, vt ineptos, & perniciosos cõcionatores. Si quæ fugaci verbo per detractionẽ cõmittuntur tã seuere puniri oportet, quæ non pœna infligenda ijs qui stabili librorũ, & tractatuum monumento similes detractiones contra Episcopos, aut simplices Sacerdotes commendant. Valde propendeo in eorũ sensum qui dictas detractiones censura Theologica grauiori condẽnãt. Primò, quia vt ait S. Antoninus 3. part. tit. 18. cap. 4. ex ijs detractionibus: *Sequitur perturbatio, augmentũ irreuerentiæ, & contẽptus sacramentorũ, quæ per eos conficiuntur, vel administrantur.* Quæ omnia euenire non queũt sine læsione fidei & religionis: at propositiones, & doctrinæ habentes similia dicta coiuncta, non possunt non esse dignæ cẽsura Theologica graui. Secundò, ex prædictis detractionibus oritur scandalũ disponẽs ad errorẽ Lutheranorũ, nã quod ait Bañez 22. quæst. 33. art. 4. publicæ reprehensiones, aut detractiones maximè in Ecclesiasticos, aut Religiosos cõmunitatẽ scandalizant; & populum Christianum disponunt ad errorem Lutheranum, qui propter defectus personales Prælatorum

Eccle-

Ecclesiam Christi Satanæ Synagogam appellāt, & se ipsos ab eius obedientia separāt. Magnus Constantinus, vt ait Theodoretus, lib. 1. cap. 11. iureiurādo asseruit, se ne verbum quidem inscriptum perlegisse ex libellis contra Episcopos, & Sacerdotes oblatis: & addidit: *Nam Sacerdotum vitia non sunt populo aperienda, ne ille causa offendiculi arrepta, licenter peccare aggrediatur.* Similia scripsere Ruffinus lib. 1. cap. 2. Socrates lib. 1. cap. 5. Sozom. lib. 1. cap. 16. S. Gregor. lib. 4. epist. 75. dicentes à Constantino appellatos esse Sacerdotes, Deos, & Iudices.

Tertiò, quia singuli Sacerdotes sunt Patres spirituales animarum, & Ministri regenerationis in Christo, vel destinati ad remittenda peccata auctoritate diuina, ergo species impietatis est ipsos libellis editis, aut concionibus exsibilādos, & irridendos exponere, sicut Chā, qui exprobrauit parenti Noe. Est tamen hic adhibenda exceptio, quæ in præcedentibus apposita circa expunctionem historiarū. Nunc permittitur longissima inuectiua Gildæ sapiētis cōtra Ecclesiasticum ordinem sui temporis in Britānia, & fortassis hoc æuo toleranda non esset. Permittitur etiam septima, & nona persecutio Ecclesiæ in operibus Ioānis Ludouici Viualdi in quibus pio zelo expenditur generalis quædā corruptela Antistitum, Sacerdotum, Ecclesiasticorum, & Religiosorum, quæ lingua vulgari dicta, & pro Ecclesiasticis hominibus nostri æui magnum inducerent contemptum Ecclesiæ.

Propositio illusoria Iurisdictionis Ecclesiæ, est quædam species doctrinæ damnabilis, quæ habetur in Concilio Cōstantiensi sess. 15. in sententia contra Ioannem Hus: ex parte conuenit, cum ea qualitate, cuius meminit instructio Pontificia Clementis Octaui suprà, ijs verbis. *Expurgandæ sunt propositiones, quæ sunt contra libertatem immunitatem, & iurisdictionem Ecclesiasticam.* Huius gradus definitio, aut descriptio est: *Doctrina, quæ manifesto, vel occulto, & sophistico artificio eneruat vim sacrorum Canonum, vel quæ potestatem iurisdictionalem Ecclesiæ, & Pastorum eius contra communem, & saniorem sensum eludit.* Grauiter coerceri debet licentia opinantium in ijs materijs,

rijs, quando receptas Ecclesiæ consuetudines, aut leges torquent & inuertunt cum damno libertatis, & potestatis Ecclesiasticæ, calidis, & subtilibus rationibus illam infringentes. Propterea index Concilij Tridentini prohibuit Guilelmi OKami Dialogos, & opus nonaginta dierum, & Antoniũ de Rosellis, ex quorum latibulis, veluti ex equo Troiano, prodiere quæcunque subtiliter excogitata sunt ad illudendum, & eludendum immunitates, & iurisdictiones Ecclesiæ. Ne hoc armarium contra exemptiones Ecclesiasticas, è fidelium manibus elaberetur, iterum excusæ sunt illæ OKami doctrinæ sub alio nomine, & titulo, idest: *Somnij viridarij auctore Achilino Philoted.* Alias: *Viridarij somnium de potestate Papæ, & Principum secularium.* Alias: *Dialogus inter Clericum, & militem.* Supplantauit, & præcipitauit opus hos plures Iurisconsultos. Nam ex eo multa expresse desumpsere, Stephanus Aufrerius, Nicolaus Berius, Ioannes Neuizanis, Benedictus Curtius, Franciscus Duarenus, Iacobus Cuiacius, Petrus Faber, Petrus Pitheus, Franciscus Hothomanus, Guillemus Rauchinus, & innumeri. Alij suppresso nomine, & opere, eius clausulas, opinionesque suis voluminibus inseruerunt; vt Socinus consil. 164. & consilio 110. Fulgosius consilio 61. Franciscus de Curte consil. 73. Aymo Craueta consilio 241. num. 20. qui verbo ad verbum extrahunt, quæ dicunt ex capite 82. libri primi Somnij Viridarij, vbi maior exercetur carnificina contra Romanam Ecclesiam, illius iurisdictionem, & prærogatiuas. Refero nonnulla, quæ in illis libris Somnij Viridarij sophistice probantur cum pernicie, & illusione Ecclesiasticæ iurisdictionis: lib. 1. cap. 12. suadere contendit, Romanũ Pontificem esse Vicariũ Christi viuentis in statu vitæ mortalis, & solum ad spiritualia, in reliquis omnia, & singula ad Reges pertinere. Cap. 4. præcipuam cognitionem iuridicam adimit Ecclesiasticis iudicibus pro duello, vsura, periurio, & alijs criminibus politiæ vitæ annexis, inferens, vt absurdum, quod si propter peccati colligantiam Ecclesiastici de talibus cognoscunt, non restat nisi foros Principum claudere, seculares leges, & decreta Principum destruere:

testate Imperatoris, & Papæ edidit commotus indignatione aduersus Eugenium IV. quem defenderat in Concilio Basileensi. Noluit tamen Eugenius illum, quod esset bigamus creare Cardinalem, vt ipse sperabat Antonius, & suis obsequijs debitum existimabat, sic refert Sylua nuptialis, Neuizanis lib. 1. Hic autor iam olim fuerat damnatus, per Legatum Apostolicum, vt refert Siluester libro contra Lutherum. Totum huius auctoris opus in quinque partes diuisum est: quatuor postremæ probare contendunt Papam non habere à Christo dominium temporale, & quæ in hoc genere tenet Pontifex, esse solum à donatione, aut cessione aliorum. ex hoc principio innumeras conclusiones elicit sophistice elusorias iurisdictionis, & potestatis Ecclesiasticæ. Pen trauit vtriusque doctrina, vel quoad capita, & principia, vel quoad innumeras conclusiones ad intima quæque volumina Iuristarum. Adeò sese latè virus effudit, vt expediret, examine præmisso OKami, & Antonij Roselis opera prædicta diligenter excutere, & omnes propositiones, ac singulas elusorias iurisdictionis Ecclesiasticæ expresse referre, eas prohibendo, vt censura Theologica dignas, simulque iubendo, vt quoniam auctorum, in quibus sunt scriptæ, & assertæ, obtineri integra notitia non valet, habeantur, vt prohibitæ, & expunctione dignæ, vbicunque fuerint repertæ. Neque consignatio doctrinarum similium est contra stylum Inquisitionis Hispaniæ; nam anno 1554 cum Dom. Ferdinandus Valdes esset Generalis Inquisitor, excusus est index expurgatorius, in quo centum viginti octo propositiones numerantur, addito mandato de illis expurgandis, aut delendis in omnibus, & singulis libris, summariis, marginibus, & titulis; vbi scriptæ, vel impressæ fuerint. Melchior Golstadus pluribus tomis distinctam edidit Bibliothecam omnium Auctorum qui de Iurisdictione Imperiali, seu Regia, & de Pontificia, seu Sacerdotali tractant: innumeri ibidem Scriptores producuntur; quorum nonnulli Catholicè, & piè scripserunt, vt Agobardus Lugdunensis, & Hincmarus Rhemensis, & quidam alij; at maxima ex parte, aut heretico furore, aut impio stylo, & Iurisdictio-

nis Ecclesiæ elusorio de potestate, prærogatiuis, & immunitatibus Ecclesiæ tractant. Hæ controuersiæ iurisdictionales, cum in plurimis casibus, & principijs non ex illis sint, quæ per manifestas scripturas, & decisiones generalium Conciliorum innotescant, necesse est ad vsum, & praxim, & tutiorem consuetudinem, & exempla Principum attendere, qui cum maiori laude Religionis, & fidei, & solemniori Ecclesiæ plausu floruerunt. Quod si vel demonstrationes Mathematicæ, vel euidentia scripturæ, & Conciliorum testimonia pro singulis casibus iurisdictionalibus in fauorem Ecclesiæ postulantur, non considerato Principum antiquorum exemplo, nec diuturni temporis consuetudine, nec securiori piorum hominum sensu non sine pernicie Prouinciarum, & diuini numinis vindicta plurima opinionum portenta indies emergent. Quoniam vero timendum valde est circa prædictas theses iurisdictionales aberrare, legantur ea, quæ Ioannes Ludouicus Viualdus de Monteregali scripsit, lib. de Persecutoribus Ecclesiæ, persecutione 4. cuius verba hæc sunt: *Quidam præsumptores Principes varios, ac rabidos insultus fecerunt contra summum Pontificem, & cæteros Prælatos, vt patrimonium, iura, redditus, ac obedientiam Ecclesiæ ab eis tollerent.* Paulo post addit: *Communi prouerbio dicitur: nunquam vidi Alchimistam diuitem, neque incantatorem benè morientem, neque rebellem Ecclesiæ diu prosperantem.* Plurimis exemplis illustrat hanc veritatem commemoratis nominibus similium Principium, qui funestis, & subitis casibus perierunt ipsorum regnis, & ditionibus in summa miseria derelictis.

(*I*)

De propositionibus insanis simplicium mentium seductiuis, puritatis fidei denigratiuis, aut subsannatiuis, & apocryphis. Cap. X.

HOs omnes gradus in vnum caput libet conijcere, non quòd habeant ordinem, vel connexionem, quæ difficulter in his censuris reperitur; sed ne quidquam ad hanc thesim pertinens maneat in obscuro.

Propositio insana est quædam species censuræ, cuius meminit Concilium Constanciense, sess. 8. vt inustæ ab Academijs quibusdam Catholicis contra Vvicle phum, dicentibus aliquos articulos doctrinæ ipsius fuisse insanos: hæc vox idem significat atque, *Delirus, & stultus*. Hac ratione articuli insani, & deliri in Philosophia pure speculatiua, aut alijs facultatibus humanis, vel controuersijs extra fidem non merentur censuram. Ideo S. Thom. opusculo 10. à censura liberat prodigiosas, deliras, & nunquam auditas cuiusdam propositiones: articul. 29. *Quod nomina Sanctorum digito Dei scripta sint in cælis*. Articul. 35. *Aliquid de substantia cæli intrat compositionem corporis humani*. Item artic. 31. *An infernus sit circa centrum terræ, vel superficiem*. In his, & alijs similibus nullum, ait esse periculum in fide; etiam si quis aliter, vel aliter deliret, aut insaniat. S insania, & dilirium sit circa doctrinas fidei necesse est, vt ad hæresim, vel alium gradum propositionis damnabilis ex relatis, & referendis, pertineat. Id circo, nec Concilium prædictum sess. 15. nec Martinus V. in Bulla contra Vviclephum, & Ioannem Hus meminere prædictæ censuræ.

Propositio simplicium mentium seductiua est alia species censuræ apud Leonem X. in Bulla contra Martinum Lutherum. Hæc qualitas in pluribus gradibus propositionum damnabilium reperitur; verùm propriè, & strictè sumpta ad eas doctrinas extenditur, quæ sub prætextu pietatis

tatis, veritatis, aut Religionis simplicem plebem male informant, aut animant contra legitimos Magistros, & Pastores, vel ipsorum vitia, vel ipsorum ignorantias propalando; vel alijs modis fideles à sanctis operibus artificiose disiungendo, vt siquis pericula frequentis communionis exaggeret, vel incommoda status religiosi amplificet.

Propositio puritatis fidei denigratiua, aut subsannatiua, quædam species censuræ est in Bulla Martini V. ad finem Concilij Constanciensis, quam subsannatiuam, & irrisiuam argumentorum, quibus fides stabilitur, nominare possumus. Ideo hæc qualitas est fere eadem, atque illa quæ habetur in Concilio Romano, sub Gelasio Papa, & cap. *Sancta Romana Ecclesia*, distinction. 15. vbi ex historijs Ecclesiasticis falsitatem manifestam continentibus, dicitur exteris dari occasionem subsannandi, & irridendi nostram Religionem. In hoc gradu collocantur tractatus, & libri continentes falsa miracula, & prodigia, falsa martyria, falsa gesta Sanctorum, siue pro conuersione infidelium, siue pro affligendo corpore, falsas reuelationes, & prophetias. In hoc numero locantur plures historiæ, & miracula de quibus Abulens. 4. Reg. 4. quæst. 57. ait fuisse ab auctoribus scripta, vel, vt alijs placerent, vel vt deuotionem incitarent. Et certè quemadmodum auctore Puente in directione spirituali tractat. 1. cap. 13. §. 3. veris reuelationibus aliquas falsas Dæmon immiscet, vt omnibus cœlestibus oraculis veritas, & assensus detrahatur: sic contingit in libris, & scriptis. Nam; vt legitimis, & authenticis nulla sit fides, satagit Dæmon, vt prodeant monumenta, in quibus falsæ prophetiæ, miracula, & pœnitentiæ opera describantur. Ideo in Romano Concilio plurimæ historiæ Ecclesiasticæ infamantur, & prohibentur; nam cum prophetiæ, reuelationes, miracula, gesta Sanctorum, martyria, historia humana, sint efficacissima argumenta ad stabiliendam nostram fidem, necesse est, vt infamentur, & eneruentur omnia antiqua monumenta licèt verissima: & suspicio, aut dubium generetur, an quæcunque referuntur

tur fuerint conficta. Siquis de se ipso, aut euulget, aut euulgari faciat operationes miraculosas, vel propheticas reuelationes, aut cœlestes illustrationes, aut prodigiosas, & inusitatas corporis afflictiones ad captandum secularem gloriam ex integro, aut ex parte confictas, punitur ab Inquisitoribus, veluti denigrator, & obscurator miraculorum, Prophetiarum, illustrationum, & virtutum, quibus Ecclesia Dei ab initio lucet, & splendet, & veluti falsarius adulterator probatissimæ monetæ, quam Prophetæ, & operatores virtutum exhibuerunt. Post infantiam Ecclesiæ fere omnia, quæ ex hoc genere sine necessitate, & vtilitate præsertim inconsultis Episcopis, & Inquisitoribus euulgantur, suspecta sunt iuxta doctrinam Chrysostomi homil. 19. in Matth. Delrij lib. 4. quæstio. 3. sect. 1. & aliorum. Merito Henricus Kalteisen in oratione habita ad Concilium Basileense hanc doctrinam confirmat, & insuper addit reuelationes esse debere de magnis rebus, & generi humano apprime necessarijs, & quæ aliter sciri nequeant; ac propterea, quæ has conditiones non exhibent, suspectæ sunt. Abulens. 2. p. defensorij, cap. 55. ait Ecclesiam primis temporibus habuisse Prophetas propter teneritudinem, & nouitatem fidelium: consequenter iam necessarij non sunt.

Cum sola deceptio, aut inuincibilis, aut crassa sine fictione affectata in causa est, vt quis veras esse credat proprias reuelationes, vel quia cælitus non immissæ, vel quia in alio sensu falso intellectæ, non punitur à Santo officio Inquisitorum. Primò, nam id interdum contingit veris Prophetis existimantibus illustrationes aliquas esse à Deo, cum tamen ab illo non sint acceptæ, aut saltem non in eo sensu, quo ab ipsis intelliguntur, vt probant, S. Augustinus 7. de Ciuitat. cap. 32. Ambros. 1. de Abraham capit. 8. Sanctus Thomas 2.2. quæst. 171. artic. 5. ex Gregor. Magno Abulen. in cap. 8. Deuter. quæst. 7. Lorinus ibidem, Suarins tractat. de fide disp. 8. sect. 4. Cornelius prohæmio in Prophetas maiores quæst. 2. Sic Moyses Exod. 10. existimans, & promittens se non amplius visurũ Pharaonẽ ducitur humano spiritu non

Pro-

Prophetico: & Natan cum iubet quasi cœlesti actus numine, vt Dauid erigat templum Domino, quod tamen oraculum à Deo non acceperat, vt expendit nuper relatus, D. Thom. Tobias 3. & 4. capite credidit orationem suam pro acceleranda morte exauditam fuisse; cum tamen in eo casu fuerit deceptus, & huius generis succurrunt exempla alia, quibus manifeste conuincitur sæpe absque dolo, & culpa similes deceptiones legitimis Prophetis contingere, quamquam si vniuersalibus Prophetis hi errores accidant, semper scriptura declarat eos, aut humano instinctu, aut non benè intellecta reuelatione, vel scripsisse, vel locutos fuisse. Secundò euenire solet, vt quamquam Propheta veram reuelationem acceperit, & intellectu comprehenderit, non posit idoneis verbis eam declarare: & ex verbis inordinatè dictis, quæ ad declarationem visitationis diuinæ afferuntur, falsum aliquid intercurrat; nam difficillimũ est prædictas illustrationes humanis verbis exponi, vt expendunt Bernard. serm. 85. in Cant. Bonauent. in itinerario mentis ad Deum cap. 7. Hugo in 2. ad Cor. 12. *Tertia* (inquit) *causa est defectus verborum, quia non possunt inueniri verba ad exhibenda Dei secreta.* Confirmat hanc veritatem Sancta Theresia cap. 13. 30. 40. vitæ suæ, vbi de hac penuria verborum egregie differit. Sancta Catharina Senensis apud Surium 25. Aprilis, §. *Apparuit etiam*, docet esse speciem blasphemiæ propter verborum inopiam plures Dei reuelationes explanare. Sancta Angela de Fulgino sæpius id reperit in Prologo, & capit. 20. 22. 41. 42. 46. Tertiò, solet nonnunquam, non percipi à Propheta finis, aut principium reuelationis, & ea quæ, vel proximè ante, aut proximè post illam spiritu humano cogitabantur, existimari esse reuelata à Deo, atque in his proculdubio deceptio esse potest sine culpa, vt Sanctus Ignatius de Loyola in regulis exercitiorum animaduertit, & communiter Doctores obseruant. Cum igitur ex his, vel alijs capitibus paucæ, aut plures reuelationes absque dolo, & culpa recipientium fallaces deprehenduntur, plerumque ijdem recipientes non vexantur personaliter à Sancto officio præsertim si in euulgatione illarum non fuerit valde

de culpabilis iactantia. Ideo S. Antonin. 3. part. tit. 19. cap. 11. de quadam sanctissima fœmina illusa inculpabiliter ait: *Nec propterea detrahimus sanctitati eius, quia non semper, quæ sancti viderunt in spiritu, eadem vt Prophetæ viderunt, sed iuxta suas mente conceptas imaginationes.* Quæ igitur sine culpa fiunt non debent, vt culpabilia puniri: in vniuersum vera est doctrina Melchioris Cani, lib. 12. cap. 11. vbi de his gestis, aut dictis, siue reuelatione, siue librorum scriptura traditis sic ait: *Sunt nonnulla, quæ viri quidam pÿ in vita, rebusque gestis Christi Domini magis comminiscuntur, quàm contemplantur, quæ etiam scribunt, non tam verè; & prudenter, quàm deuote, & ferventer; quorum est interdum cæca, atque temeraria, & in assentiendo credulitas, & in asserendo facilitas: sed temeritas hæc tamen non est eiusmodi, quæ à fidei iudicibus coerceri debeat, qui grauiorum errorum censuram assumere si o iure possint; leuioris huius, vel imprudentiæ, vel stultitiæ, non possint: fidei quippe cognitio illis mandata est, non prudentiæ, eius præsertim, quæ pios viros sæpe destituit, videmus autem huiusmodi, seu meditationes, seu contemplationes, licèt inconsiderate, atque imprudenter, sine ratione, & graui testimonio editas cum pietate ferè, atque adeò cum sanctitate esse coniunctas: non decet igitur, vt simplicitas columbina seuerissimi Tribunalis iudicio vexetur quamtumuis illa sit inconsulta, & imprudens.* Cum igitur sunt huius generis, quæ per reuelatione dicta feruntur, & constat de pietate, & sanctitate personarum, quibus immissæ creduntur, non solent, nec debent ipsæ iudicialiter molestari, licèt scripta similes inconsultas, & fallas illustrationes continentia prohiberi oporteat. Concilium illud Florentinum Episcoporum 340. quod anno 1105. congregatum est aduersus Fluentum Episcopum, dicentem Antichristum natum esse, simul cum Pontifice ipsum veluti hominem nouitatis studiosum, & arrogantem obiurgauit, ac liberum dimisit, quemadmodum referunt, S. Antoninus titul. 16. cap. 1. Sabellicus Ænneade 9. lib. 3. fortassis non grauiori pœna multatus est, quia illusum fuisse, aut alienis, aut proprijs reuelationibus Concilium iudicauit: idcir-

idcirco, quia Fluentus vera se loqui arbitratus est, solum de studio nouitatis, & arrogantia infamatur, & quod temere sine consultatione Pontificis tumultuosam reuelationem publicauit. Semper, aut fere semper personis elati animi, ambitionis, aut proprij commodi, vel existimationis curam generantibus, parum, aut nihil fidendum, si Prophetias miraculis non munitas euulgent, vt expendunt Ioãnes Gerson de probat. spirituum cap. 2. Turrecremata in præfation. ad reuelationes sanctæ Brigittæ, Ribadeneyra de tribulatione cap. vltimo; nam licet olim Balaan, & Propheta Bethel, & Caiphas, atque alij sceleratissimi in scripturis dicantur a Deo illustrati, aut cœlestia oracula accepisse, certé quod rarum est in Ecclesia noui testamenti ad exẽplum vocari non expedit: adde, quia si reuelatio de aduentante Antichristo aliena fuit, merito Fluentus de nimia credulitate obiurgatur; si propria de nimia facilitate euulgandi, nam spiritus Dei semper inclinat ad celandas visitationes diuinas, eas præsertim, ex quibus aliqua gloria possit obuenire: idcirco Paulus 2. Cor. 1 . annis quatuordecim illustrissimam extasin occultauit, vt notat Abulen. Exod. 4. quæst. 8. & legendæ Patrum, & Sanctorum hanc cautelam exemplo, & doctrina passim commendant.

Præterea circa hunc gradum propositionis damnabilis obseruare necesse est quod etiamsi reuelationes, & miracula, & corporis afflictiones, quæ nouis historijs commedantur, veritati apparerent: si tamen de illis non essent grauissimæ probationes, & testimonia omni exceptione maiora, & irrefragabilia, non fore pro ijs historiales libros euulgandos, & si euulgati fuerint, prohiberi debere, tunc præsertim quando est periculum, quod describit Origenes, de visionibus loquens, lib. 1 contra Celsum: *Multa enim talia vidimus, quæ si memorarentur dumtaxat gesta in vestra præsentia, cachinum tollerent infideles, nisi nos quoq; sicut illos de quibus suspicantur fingere rati: testis est Deus nostræ conscientiæ conari me non falsis narratiunculis, sed veris exẽplis commendare Iesu Doctrinam*. Quæ huius generis sunt, vt sine hoc præiudicio publicari non queant, silentio premẽda sunt, nam quia suspecta non ædificant, sed potius anti-

quo-

quorum monumentorum veritatem destruunt: idcirco liber itinerarij Sanctorum Apostolorum à sexta Synodo reiectus est, & liber sub nomine sancti Melitonis de transitu Virginis reprobatus à Gelasio Papa, & Romana Synodo, vt habetur cap. Sancta Romana Ecclesia, distin. 15. & plures alij nullam damnatam doctrinam continentes, propterea interdicuntur, quod exhibeant longiores relationes, aut historias possibiles, sed non verisimiles, vel difficiles creditu.

Probanda est efficacissimo argumento superior doctrina: nam omnis scriptura, quæ eneruat fundamenta, quibus stabilitur fides Christiana, grauem meretur censuram, & notam Theologicam; sed historiæ Ecclesiasticæ, quæ verisimiles non sunt, aut sine probationibus legitimis producuntur eneruant vnum è fundamentis, quibus fides, & religio Catholica stabilitur; ergo prædictæ scripturæ historiales grauem censurã, & notam Theologicam incurrunt. Minor probatur: vnum è fundamentis, quibus antiqui Patres, & Doctores omnium sæculorum fidei nostræ mysteria persuaserant, sumptum fuit à rerum gestarum monumentis, vt patet ex Tertulliano in Apologetico, & libro ad Scapulam declarante sæuitiam, & tristes exitus Gentilium Præsidum, qui Christianis aduersabantur, ex Cypriano libro quod Idola non sunt Dij, ex Hieronymo lib. 1. aduersus Iouinianum, ex innumeris Patribus, & Doctoribus, qui non raró huiusmodi persuasionis genere delectantur. Indubitatũ præterea est historicos graues, ac fide dignos probabile argumentum Theologo suppeditare ad dogmata cõfirmanda, & hæreses refellendas: & quod, si omnes probati, ac graues historici in eandem rem gestam conueniant, firmissimum eliciatur argumentum ad veritatem Catholicam roborandam, vt probat Melchior Canus lib. 11. de locis cap. 6. At quando passim vagantur in Ecclesia historiæ Ecclesiasticæ minus credibiles, aut verisimiles, illæ fidem adimunt, & credulitatem illam eneruant, quæ præstari debet legitimis, & authenticis narrationibus: generant etiam suspicionem, aut opinionem de inuectis dolo, aut fraude cæteris historijs, quæ in Ecclesia receptæ sunt,

& quæ in Concilijs allegatæ præsertim in septima Synodo, & datur hostibus Religionis Catholicæ subsannandi occasio, vt docuit Concilium Romanum sub Gelasio: ergo per similes narrationes apocryphas, aut non verisimiles eneruatur vnum ex fundamentis stabilientibus Catholicam Religionem; ac propterea debent prohiberi, & ab Ecclesia Dei exterminari. Liber itinerum Pauli à Gelasio, & Romana Synodo reprobatus, insignia gesta Apostolo tribuebat, eaque possibilia; verùm, quod probatione carerent authentica, repudiantur. Simile est fundamentum, ex quo acta Theclæ, & Pauli, & liber de transitu Viginis, & alter de pœnitentia Iamnes, & Mambre, & alter de martyrio sancti Cirici, & Iulittæ, ibidem reprobantur. Rationes, quibus Romana Synodus innititur, sequentes sunt. Prima: *Ne leuis subsannandi oriretur occasio.* Secunda, & tertia illis eiusdem Concilij verbis continentur: *Secundùm antiquam consuetudinem singulari cautela in sancta Romana Ecclesia, non leguntur, quia & eorum qui conscripsere nomina, pœnitus ignorantur, & ab infidelibus, aut idiotis superflua, aut minus apta, quàm rei ordo fuerit, scripta putantur.*

Dices vnus aut alter narrationis error in historia Ecclesiastica, non est censura Theologica dignus, & in singulis alijs similiter iudicandum est, etiam si plures errores historici in vno volumine reperiantur: ergo liber complectens plurimas relationes non verisimiles nulla est notandus censura Theologica. Confirmatur: nam innumeræ opiniones de materijs speculatiuis, etiamsi improbabiles sint circa res Ecclesiasticas non definitas ab Ecclesia, nullatenus faciunt librum aliquem censura Theologica dignum, si quælibet opinio in particulari, non est damnabilis gradu aliquo censuræ Theologicæ: ergo similiter longior historia exponens plures narrationes Ecclesiasticas, non verisimiles, damnabilis non erit, neque expurgabilis, si quælibet pars falsa, aut non verisimilis censuram Theologicam non mereatur? Respondeo interdum ex vnica historia, nō verisimili circa speciale factum dari exteris subsannandi occasionem: atque illam tunc, etiamsi sit de singulari

 aliquo

aliquo facto, aut miraculo consideratis circunstantijs esse prohibendam, aut expungendam. Interdum corpus magnum historiæ alicuius Ecclesiasticæ ex innumeris narrationibus componitur, quarum quælibet pars, etiamsi non esset versimilis, tolerari posset absq; expurgatione; verùm acervus, & congeries tot relationum absque specie veritatis grauiter lædit Christianam Religionem, tum propter affectatam libidinem mentiendi, tum propter nimiã credulitatem assentiendi, ex quibus vacillat in pusillis fides omnium annalium Ecclesiasticorum, & in hostibus Catholicæ Religionis pullulant occasiones illudendi, & subsannandi. Quod nonnunquam erret historicus, aut destitutus graui testimonio in rebus minoris momenti, & extra grauiores Ecclesiæ causas positis non verisimiliter procedat, humanum est, & venia dignum, nam & id potest sine affectatione, aut culpabili fraude contingere; at sæpe, aut frequenter ad firmandas, vel illustrandas fidei, & Ecclesiæ prærogatiuas, & dogmata, vel Sanctorum virtutes, producere narrationes non verisimiles, vix accidere potest sine grauissimo dispendio Religionis Catholicæ, quod Romana Synodus sub Gelasio declarauit. In materijs speculatiuis de Deo, aut Humanitate Christi, aut alijs thesibus, nec fidei, nec moribus necessarijs, si in alterutram partem nihil Ecclesia, & Patres determinarunt, nullum est detrimentum, quod plures opiniones non verisimiles, aut incredibiles proponantur, vt latissime probat S. Thom. integro opusculo 10. præsertim in prohæmio, & quisquis sub eius nomine composuit opusculum nonum pro defensione centum, & octo articulorum ex operibus Petri de Tarãtasia: cùm ex similibus tractationibus nullum sumatur argumentum Tehologicum ad firmandam fidem.

Ex quibus omnibus efficitur graues exaggerationes, & hyperboles, & affectationes styli, quæ in concionibus, & amplificationibus oratorijs, & poeticis legitimè tolerantur, prohibendas, aut expurgandas esse in historijs Ecclesiasticis, si fidem ipsarũ vehementer imminuant. In sacra Scriptura omnes libri historici summa simplicitate, & veritate referũt vniuersa; at libri Prophetarũ, & sapiẽtiales, præ

sertim Psalmi Dauid, Iob, & Isaias sæpè miscent hyperboles, & exaggerationes, cum plerumque oratorij sint, aut poetici: atque in his cum summa simplicitate veritatis modus ille figuratus loquendi ex communi hominum intelligentia constat.

Tandem de apocryphis propositionibus, aut assertis dicendum superest. Vox hæc, *Apocryphus*, occultum, secretum, & absconditum significat, & ad varios, diuersosque librorum gradus iam olim applicata: Hieronymus in Prologo galeato, Abulensis tom. 1. in Matth. cap. 3. & in lib. 1. Paralip. cap. 14. Sixtus Senensis lib. 1. Bibliothecæ, omnes libros præter Canonicos appellant apocryphos: quod comparatione sacri Textus cætera volumina quasi occulta sint, & abscondita. Alij quæcunque scripta auctore carentia nominant apocrypha, vt Isidorus lib. 6. origin. cap. 2. Genebrardus anno 3674. sic nonnulli ex Canonicis libris apocryphi dicerentur, quod eorum ignoretur auctor, aut sit ambiguus: quemadmodum de scriptore historiæ Iob, Tobiæ, Iudiht, Esther, Machabæorum, & de auctore Ecclesiastici communiter dubitatur. Verùm quia primarius, & præcipuus auctor, idest, Spiritus Dei, innotescit, nullatenus apocryphi debent nominari. Alij cum Isidoro vbi proximè, apocryphos dicunt eos libros, qui dubiæ sunt auctoritatis, idest, magnam habent incertitudinem; etiamsi à censura Theologica sint liberi, quorum propterea testimonio fidi nequeat. Nullum ex his tribus generibus apocryphorum librorum, vt notum est, iuxta acceptiones expositas censuram Theologicam promeretur. Quartò nonnulla volumina dicuntur apocrypha. eò quòd, licèt in Ecclesia Dei publicè permittantur, prohibitum tamen est, ne ad legendas officiorum Ecclesiasticorum adhibeantur: sic in Concilio Romano, sub Gelasio opera Tertulliani, Clementis Alexandrini, Cassiani, Eusebij Pamphili apocrypha dicuntur, quia pro legendis Breuiarij, aut cuiuslibet officij Ecclesiastici non tolerantur. Quintò apocrypha dicuntur plura scripta, quòd errorem, aut errores cum demerito auctorum admixtos habeant: sic Tertulianus, Eusebius, Cassianus, & Faustus Rhegiensis apocryphi dicuntur, nam

 erro-

errores continent eorum monumenta, & simul, aut pro inobedientia, aut pro schismate, aut pro hæresi aliquam labem contraxerunt. Idcirco cum vox *Apocryphus*, sit generalis, nullam determinatam censuram infert, cum & hæretica, & innominati scriptoris volumina, & incerta, & dubia sæpe nuncupentur apocrypha. Si liber ex eo sit apocryphus, quia historias Ecclesiasticas non verisimiles producat, pertinebit ad gradum subsannatiuum, vel denigratiuum fidei, aut euersiuum argumentorum, quibus stabilitur Christiana religio: si liber sit apocryphus ob errores, eius malitiæ ad hæreticum, aut erroneum gradum spectabit, & sic in alijs.

De propositionibus ducentibus ad viam latam, & de auersiuis à suspicienda fide, vel Romana Religione, & de scrupulosis, seu anxijs: & de difficilibus, & obscuris in thesi graui.

Cap. X.

SVnt hæ species propositionum damnabilium, quas accurate explanare oportebit, vt à quibus Ecclesiæ nitor, & incrementum dependeat. Propositio ducens ad viam latam est gradus aliquis propositionis damnabilis, cuius meminere Nauarrus Apol. de reditibus, quæst. 1. monito 38. Cordub. lib. 4. quæst. 1. proposit. 6. Simancas de Catholicis institutionibus, capit. 55. & alij. Istas Pius IV. constitut, 77. quæ incipit, *Dominici gregis*, appellat, *Pietati, ac morum honestati inutiles.* Multipliciter possunt doctrinæ ducere ad viam latam in moralibus. Primò cum ex coniunctione duarum, vel trium opinionum probabilium alia resultat monstrosa, & perniciosa moribus Christianis, nam quemadmodum in herbis accidit, vt ex vnione plurium, quarum singulæ salubres sunt, resultet mixtum mortiferum, sic ex opinionibus varijs, quarum singulæ sunt probabiles in tenore doctrinæ vnius scholæ, vel auctoris, non verò in alio, vel in omnibus, solet inferri quoddã mixtum,

auc

aut consequens propositio ex mixto, quæ intolerabilis sit propter nimiam latitudinem, & relaxationem, quã inuehit, non sine pernicie Christianismi. Secundò cum opiniones speculatiuè considetatæ probabilitatem aliquã habere possunt; at in praxi exerceri nequeunt absque peccato: huius generis propter inuidiam excusandam nullã refero, & si facile esset aliquas in medium producere de obseruãtia ieiuniorum, de simonia, de cõpensatione, vel recuperatione honoris cõtumeliosè, aut violenter læsi, de cõ tractibus, de leuitate, aut paruitate materiæ in rebus, quæ ad cõcupiscentiã carnis pelliciunt, in quibus practicè nihil potest peccari absque grauiori culpa, saltem proprer periculũ euidens maioris delicti, & sic de alijs. Tertiò, idem iudicium est cum practicum exercitium opinionum moralium, quę nec pro se nec cõtra se autores habent, non cõtingit sine pudore, aut metu, aut displicentia pluriũ tam vulgarium, quã Doctrina & virtute illustriũ fidelium: non enim hæc ita accidunt nisi quod ad viam latam, & parum Christianã soleant inducere.

Propositio, aut doctrina auersiua à suscipienda fide, & Ecclesia, vel impeditiua, vt homines in ea permaneant, vel ad eam ingrediãtur, illa est, quæ separat à suscispienda fide & obedientia Ecclesiæ; vel postquam suscepta est, pudore, vel tristitia afficit suscipientes: huius generis sunt plures tractatus, quos post Concilium Florentinum sub Eugenio IV. Marcus Ephesinus, & alij Episcopi per vniuersas Prouincias Orientales sparserunt, imponentes Ecclesiæ Occidentali sæuitiam in iudicando, auaritiã in exigendo, & alia quę valde ipsam odiosam facerent. Qui tractatus licèt haberent gradus alios dãnabilium propositionũ, vt potè iniuriosi, & seditiosi, etiam nuper prædictum continebãt. Similes sunt alij contra recens cõuersos à secta Mahometana, aut a Gentilismo, in quibus aduersus illos obijcitur, aut non sincere fidem suscipere, aut non illis fidendum postquam illam susceperint, aut paucos, vel nullum forsan ex illis credere, quod prof. ssi fuere, & alia huius generis, quæ seiũgũt ab ingressu Ecclesiæ, vel pudorem, & tristitiam inferunt illis, qui eam ingressi sunt. Idem dicendum est pro similibus tracta-

tibus, aut libris contra eos, qui deserto Iudaismo Christianam Religionē amplectuntur: quos idcirco Lusitana Inquisitio merito, aut expūgit, aut prohibet. Vt hæc qualitas magis innotescat, supputabo nōnulla ex duplici volumine nuper excuso. Alter eū titulū habet: *Discurs' aduersus Iudæos.* Idiomate Lusitano: hic in linguā Castellanā conuersus, & editus anno 16?1 continet notanda, quæ sequuntur. Prologus sanctū Officium Matritense de nimia indulgētia condēnat, & est auersiuus à fide, aut constricatiuus eorum qui à semine Hebræo ipsam professi sunt. Cap. 10. historias incredibiles producit ad concitandum odium, & generandā diffidentiam aduersus conuersos è Iudaismo, aut ab illis prognatos veluti coniuratos hostes vitæ, honoris, & fortunarū Reipublicæ Christianæ. Eiusdem generis sunt quæ adducuntur capite 11. ad probandum simulatè, & fraudulenter amplecti Religionem Catholicā quotquot è semine Hæbreo illā suscipiunt, & ea, quæ ab ipsis fiunt piè, & Christianè, pallium esse operiendæ infidelitatis. Id varijs exemplis nostri sæculi probare satagit; & ex paucis, quæ numerat, concludit nulli Hebræo ad fidem conuerso, vel ab eo originem ducenti credendum fore. Cap. 12. 13. 15. grauia oprobria, & narrationes congerunt, ex quibus fiat nihil habere fidei veræ, sed simulatæ homines prædictos. Caput 16. & 17. ex professo suadere contendunt, qui ex eo semine sunt, habere, vt hæreditaria, & originaria peccata Sodomiam, & grauissima alia delicta. Obiter percellit varias Prouincias Christianas Europæ extra Hispaniā, & quòd in illis plures sint è semine Iudæorū, grauissima (inquit) vitia in illis dominātur. Cap. 20. declarat, quib' artib' in hoc Regno ab eisdē perfidia Iudaica protegatur, & cōseruetur sub specie externa cultus Christiani. A capite 21. vsque ad 27. latissime tractat de pellendis hominibus illius sanguinis à Regno Lusitaniæ veluti incredulos; & Apostatas; & capite 24. & sæpe aliàs eos comprehendit, qui clare non sunt conuicti de Iudaismo. His & similibus clausulis, quamquā interdum leniri, & limitari videantur, proculdubio arcētur hi homines à suscipienda fide, & post susceptam grauissime contristantur anxij se ad illud vitæ genus obligasse in quo in-

infamentur, & vexentur, quantumuis ſancte viuant, & ſimul deſperent ſe in bonis, & pijs Chriſtianis eſſe enumerãdos. Liber alter inſcribitur, *Funda Dauid*, ideſt conciones quinque, aut lapides emiſsi ad defenſionem ſanctiſsimæ Euchariſtiæ: editus eſt Barchinone lingua vulgari Caſtellana, anno 1631. Prologus acerrimè inuehitur in conuerſos, aut filios, & nepotes conuerſorum è Iudaiſmo, veluti in Philiſteos, & canes, & Apoſtatas, & Eccleſiæ Catholicæ iuratos hoſtes, qui ſolo externo habitu Chriſtianam fidẽ ſimulare videantur: vnius, vel paucorum horrendum facinus aduerſus Euchariſtiam, & alia quædam ſimilia delicta, quæ verè, vel falſè congerit, in omnium, & ſingulorum conuerſorum, filiorum, & nepotum capita transfert. Ibidem auctor conqueritur ſe à prædicandi munere ſuſpenſum ob eam libertatem inuehendi, atque idem repetit lapide primo fol. 4. Ea querela ſatis oſtendit ab Eccleſiaſticis iudicibus ſimiles clauſulas, vt auerſiuas a fide, & ſcandaloſas fuiſſe repudiatas. Ibidem poſtquam dixerat plures eſſe occultas Synagogas in Luſitania, dubitat an ſit aliquis, è ſanguine Hebræorum verè, & legitime cõuerſus ad Chriſtum. Ibidem circa finem prologi ſtatuit omnes fere Chriſtianos ex Hebræis recens conuerſos eſſe judaizantes. In primo lapide, ideſt concione prima fol. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. acerbiſsima verba in omnes conuerſos vibrat, quibus eos exaſperat, Vliſsiponem Hieroſolymæ, aut Iudeæ, vel Geneuæ comparans. Innumera ſunt ibidem ſeditioſa in cauſa fidei, & religionis, & quæ puſillos ab Eccleſia ſeiungant vſq; ad fol. 29. Eius generis ſunt, quæ fol. 18. ſcribũtur de publica pace temporali ab illis perturbata, & Braſilio Regno per proditionem exhibito, & quæ fol. 24. de ipſis expellendis à Luſitania dicuntur. Similia habẽtur lapide 2. fol. 37. Ex clauſulis multis vnam exponam: fol. 26. ait certiſsima ſigna Apoſtaſiæ credenda fore in Hebræis Chriſtianis quemcunque cultum, & ſpeciem externam ſanctitatis, & non tam eſſe opinionem, quàm euidentem notitiam omnes ex eo ſemine in apoſtatis numerandos. Hinc vrgentur valde homines Iudaici ſanguinis ad deſperationem, nam ſi parũm curent de obſeruantia Religionis Catholicæ, vt valde

de suspecti diffamantur; at si se componant ad formam pijssimorum fidelium per sacramentorum susceptionem, orationem, eleemosynam, & virtutes alias, hæc omnia, & singula dicuntur esse certissima signa apostasiæ, & nequitiæ. Nulla igitur superest via Catholicis fidem suam probandi; sed desperent necesse est de bono nomine obtinendo. Tertiò lapide, siue concione fol. 56. fures, latrones, ingrata mancipia, fatalem Lusitaniæ cladem eos appellat Quinto lapide, aut concione fol. 97. 102. 107. 108. 109. 110. 111. plurima sunt acerbissime dicta ijs similia, quæ nuper retulimus: denique totum opus scatet conuicijs, irrisionibus, verbis seditiosis, satyricis, diffidentiam generantibus, ab Ecclesiæ fide, & ingressu prædicti sanguinis homines repellentibus. Sancti Pontifices, & Patres per mansuetudinem, & lenitatem prædictos homines Christo acquirendos existimabant, S. Gregorius lib. 4. Epist. 6. scribit Cypriano Diacono, vt si quis Iudæus conuersus fuerit, ei tributa relaxentur: ex qua liberalitate ait se sperare veram huius gentis ad Christum conuersionem his verbis *Nec hoc inutiliter facimus si pro leuandis pensionum oneribus, eos ad Christi gratiam perducimus, quia etsi ipsi minus fideliter veniunt, hi tamen qui de eis nati fuerint, iam fidelius baptizantur; aut ipsos ergo, aut filios eorum lucramur.* Ita experientia comparatum est, vt quæ. Prouinciæ Catholicæ Gentiles, aut Iudæos ad fidem conuersos, & illorum filios, & nepotes mansuetè, pacificè, & vrbane tractant, tandem ab illis hæreditarios errores radicitus euellant, neque tantum possint, qui feruore, & zelo aliam viam rigidiorem ineunt.

Sunt propterea multæ aliæ species propositionum quæ à fide suscipiēda, vel Romana Religione non solùm Iudæos, Gentiles, sed etiam hæreticos auertant. V. G. ex zelo non secundum scientiam exaggerantur crimina Catholicorum, & facta comparatione suadere contendunt nonnulla volumina adeo esse collapsam apud nos disciplinam morum, quoad rapinas, furta, adulteria, incestus, detractiones, pacta, contractus, & solutionem debitorum, vt multo sine æquiores, & temperatiores hæretici: id licèt verum esset,

nullatenus libris committi liceret, nam eorum lectura ipsi hæretici in suis erroribus obstinantur, & ab Ecclesia longius arcentur, ac tandem blasphematur ab ipsis nomen nostrum. Si quid de hac re scribendum foret, illud esset, diabolum, vt Principem, & Dominum hæreticorum, ideo plures ex ipsis in falsa, & externa iustitia morum continere artificiose dissimulatis horrendis sceleribus, quæ furtiuè committunt, vt per illam decepti amplius, & amplius persistant in erroribus. Sola hæresis sufficit ad indubitatam eorum damnationem, non est quod dæmon diligentius curet de maiori corruptela morum; at cum Catholici per fidem, & veram Religionem salui esse queant, satagit diabolus singulari studio ipsorum disciplinam, & conuersationem, furtorum, libidinum, & iniquitatum maculis deturpare. Grauiter in hac re excessit Saluianus Massiliensis in libris ad Ecclesiam, vt expendit Belarmin. lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis. Georgius Vvicelius (viralioqui pius, & doctus) propter nimiam libertatem, qua mores Catholicorum insectatur, sæpius expũgitur in indice librorum Hispaniæ. Triumphant hæretici, cum legunt, & legenda vniuersis exhibent approbata, & excusa volumina Catholicorum, quæ palam declarent sic deprauatos in vniuersum Ecclesię mores, vt hęretici in morali iustitia multo nos antecellãt. Licebit, quod grauissimi viri fecere, nostrorum temporum calamitatem, & collapsos mores deplorare; semper tamen exponendo, quã deterior sit status hæreticorum, etiam sub falsa imagine virtutum, quæ in Gentilibus effulserunt, vel propter conditionem temperamenti corporei, vel propter superbiam, & ambitionem, vel propter alias plures causas, quas tractantes de virtutibus Philosophorum sancti Patres, & Doctores expresserunt.

Propositio scrupulosa, & anxia illa est, quæ cum non possit vrgentibus testimonijs, aut fundamentis impugnari, semper tamen cum scrupulo, & formidine executioni mandatur, si de materia morali decernit, et si de materia speculatiua tractat, non sine scrupulo, & formidine docetur; cum tamen opposita doctrina omni careat scrupulo, & anxietate.

Hæc

Hæc censura comprehenditur in illa clausula instructionis Pontificiæ Clementis Octaui: *Verba dubia, & ambigua, quæ legentium animos, à recto Catholicoque sensu ad nefarias opiniones adducere possunt.* Nam si verba anxia, dubia, & ambigua delenda sunt, id magis necesse est in opinionibus, aut sensibus dubijs, anxijs, & scrupulosis. Huius generis plures sunt propositiones in quæstionibus moralibus, & speculatiuis, quæ denuò emergunt circa vsuras, simonias, theses iurisdictionales, scripturarum clausulas, Conciliorum, & Decretalium limitationes. Et verò cum doctrina Ecclesiastica pura debeat esse, & illibata, non licèt iudicibus causarum fidei similes propositiones anxias permittere, donec ea appareant argumenta, quæ scrupulum, & angorem euellant.

Propositio difficilis, & obscura in thesi graui illa est, quæ non assertionibus disputandis, sed libris traditur ita perplexè, & difficulter, vt multi non capiendo, vel non intelligendo in errorem labantur. Huius gradus meminit Albertinus de agnoscendis Catholicis assertionibus quæst. 7. num. 19. cuius hæc verba: *Alia est ratio eorum, quæ proponuntur disputanda: Alia eorum, quæ ad doctrinam in scriptis traduntur legenda. Quod enim disputandum proponitur, etsi dubium, ambiguum, obscurum, vel æquiuocum sit, aliquam recipit excusationem; sed scribendo omnia clara, dilucida, expedita esse debent.* Verùm etiam pro libris ea est addenda limitatio, quam adhiberi voluit Clemens, S. §. de correctione librorum, vt auctor non alibi rem ex professo, & perspicuè ad saniorem sensum explanauerit; nam cum sæpè obiter, & in transcursu scriptores dicerant, non est culpabilis origo inducendi erroris ex obscuritate pro incidenter dictis, si in alijs tractatibus vberius se ipsos explanarunt. Dices, hæc qualitas non est damnabilis, nam illa Pauli Epistolis conuenit, in quibus ait Petrus Apostolus, plura sunt difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant. Idcirco Philippus Abbas coætaneus S. Bernardi Epist. 6. sic ait, vult Apostolus Colossenses in omni

sapientia, & intellectu spirituali proficere legendo, & intelligendo subtilia; subtilibus argumentis prudenter resistere; alioquin frustra, vel hanc illis, vel alias alijs epistolas scriptitaret, si non scrupulosa, & difficilia; & legi, & perintelligi optaret. Plerumque enim tam subtilia scribi, vt non facile, nisi à sapientibus, & spiritualibus capiatur: plerumque tam scrupulosa, vt multi non capiendo in errores præcipites seducantur. Respondeo non licere adducere in exemplum scripta Canonica, quæ afflante Spiritusancto dictantur; fuere enim plures, grauesque causæ ab auctoribus præsertim diuinarum litterarũ expositoribus allatæ, ex quibus oportet difficultatibus, & obscuritatibus plures partes sacri Textus implicari; at Doctores, qui humano studio, & discunt, & docent valde sunt culpandi, quando editis ingenij sui monumentis singulariter lingua vulgari, ita scribunt perplexè, & obscurè, vt ex perplexitate, & obscuritate graues generentur errores. Propterea similes tractatus saltem positis cautionibus, aut explanationibus curari debent, quemadmodum, & Sanctorum Patrum scriptis solent adhiberi.

De propositionibus præsumptuosis, id est imponentibus malam notam doctrinis probabilibus: & de propositionibus irrationabilibus.

Cap. XVI.

PRopositio præsumptuosa est gradus censuræ, quæ illata est quibusdam doctrinis Tostati, vt ipse ait in procemio secundæ partis defensorij: licèt fortassis alium habeat sensum ab eo quem in hoc capite scrutamur. Apellamus doctrinam præsumptuosam illam, quæ grauiori nota Theologica infamat assertiones probabiles doctorum.

Sit igitur vera conclusio temerarium, scandalosum, præsumptuosum, & pœna dignum esse censuram Theologicam inurere illis propositionibus, & doctrinis, quæ nullam censurã merentur. Probatur primò, quia in litteris Apostolicis

cis Sixti IV. allegatis à Francisco Diago, lib. 1. Annal. Aragon. cap. 33. & ab Alfonso Fernandio in concertatione prædicatoria editionis Salmanticensis, pag. 227. 228. 229. iubetur à sancta Sede, vt Inquisitores Apostolici seuerè puniant Theologos nonnullos, qui mala nota, & censura Theologica infamauerant opinionem Doctorum, quā laudant, & sectantur antiquiores illi versiculi in gloriam Deiparæ: *Peccatores non abhores, sine quibus nunquam fores digna tanto filio.* Verba Pontificis sunt: *Cum duplex sit opinio Catholicorum Doctorum circa causas præcipuas Incarnationis Verbi Diuini intuentium, altera quod si Adā non peccasset, Dei filius humanam carnem non assumpsisset; altera quod etiamsi non fuisset humana natura in primo parente lapsa, adhuc Dei filius carnem assumpsisset; & opinio vtraque pietati, fidei, autoritatibus, & rationibus subsistat: cumque priori opinioni versus illi innitantur, dicimus; quidquid contra dictos versus attentatum fuit, temerarium, præsumptuosum, & pœna dignum præsumptum fuisse, tanquam contra opinionem à Doctoribus Catholicis positam.* Ex quibus constat de mente Apostolicæ Sedis esse, vt veluti temerarij, præsumptuosi, & pœna digni ab Inquisitoribus puniantur ij, qui damnant propositiones à Doctoribus Catholicis veluti probabiles toleratas. Deinde probatur idem intentum authoritate duorum Pontificum Pij V. & Gregorij XIII. in Bulla aduersus Michaelem Baium. Prædicti Pontifices varias propositiones illius Doctoris condemnant, quarum nonnullæ, non aliam ob causam damnantur, nisi quia censura Theologica infamet opiniones aliquas probabiles Doctorum Catholicorum, vt expendunt Suarius prolegom. 6. de gratia cap. 2. Turrianus 1. part. selectarum, Centuria 3. dub. 6. pagin. 173. & disp. 31. dub. 59. & in opuscul. de gratia, tractat. vltim. in quo pro eodem sensu allegat Cardinalem Toletum, Gabrielem Vazquez, & alios; ergo indubitatum est, grauem notam Theologicam imponi debere iniquis, & acerbis censuris contra doctrinas, quibus nulla nota debita est. Tertiò probatur idem intentum authoritate sancti Augustini, qui allegatur, & approbatur à Diuo Thoma, opuscul. 1. in prologo

logo. Docet igitur August. 5. confess. & 1. de gen. ad litteram, se patienter intueri hominem Christianum delirãtem, & toto cælo aberrãtem in dignoscendis arcanis Philosophicis, & alijs, quæ ad pietatem, & fidem Catholicam non pertinent, dummodo fateatur similes controuersias, & decisiones ad Christianã Religionẽ non pertinere; at quãdo similes doctrinæ prædicantur, enunciantur, & scribuntur, vt necessariæ ad fidem, vel de illius substantia, tunc ait D. Augustinus grauissimum dãnum inferri Catholicæ Religioni. Addit Angelicus Doctor hæc verba: *Multum nocent talia, quæ ad pietatis doctrinam non spectant, afferere, vel negare quasi pertinentia ad sacram Doctrinam.* Itaque valde noxium est ea, quæ fidem non tangunt, veluti si fidem tangerent enunciare, & ea, quæ censuram Theologicam non merentur, veluti damnabilia repudiare, nam quod ibidem ait Angelicus Doctor, allegans S. Augustinum 1. de gen. ad litteram, cap. 19. his excessibus: *Sapientibus huius mundi contemnendi doctrinam fidei occasio præbetur.*

Quartò, idem assertum probatur ex Concilio Constantiensi sess. 19. pag. 895. iuxta editionem Coloniensem anni 1618. quæ sessio, quoad hãc partẽ fuit approbata à Martino V. Hieronymus de Praga condemnauerat per censuram Theologicam propositionem quãdam probabilem ex tractatu de vniuersalibus, quã ipse Hieronymus veluti fidei inimicam infamauit. Ob hanc causam generalis illa Synodus Constantiensis coegit prædictum Hieronymum Pragensem abiurare illam censuram veluti noxiam Catholicæ Religioni. Igitur ex mente vniuersalis Ecclesiæ materia est abiurationis quæuis iniusta censura illata doctrinis probabilibus Catholicorum Doctorum, aut circa eas theses, quæ quia Philosophicæ, nullatenus pertinent ad Religionem Christianam.

Quintò, idem probatur intentum, quia Leo IV. cap. de libellis distin. 20. iubet Ecclesiasticis Tribunalibus, & iudicibus, vt imitentur facta, & exemplaria, quæ circa decisionem causarum in Concilijs generalibus inueniuntur; ergo vbicumq; & quandocumque accidit, vel propositiones purè philosophicas, vel alias à censura Theologica alienas

gra-

graui nota affici, & acerba censura infamari, cogendus est huius sceleris patrator ad abiurandum; sicuti Hieronymus Praga à Synodo Constantiensi ad similem abiurationem coactus fuit. Illustratur magis eadem veritas ex pagin. 890. eiusdem Concilij in præfata editione: nam Fiscales post censuram vnanimem quatuor Academiarum, & plurium Cardinalium, Episcoporum, & Theologorum, Ioannē Hussium accusauerunt, quia articulos quosdam purè Philosophicos per censuram Theologicam infamauerat veluti erroneos; talis est articulus ille condemnās veluti erroneam opinionem de compositione continui permanentis, & successiui ex punctis dumtaxat, & instantibus: ergo grauissima nota debetur ei, qui propositiones à censura alienas censura theologica afficit.

Sextò probatur ex sacra Scriptura, nam Deuter. 4. ait Dominus: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Similiter Apoc. vltim. *Si quis apposuerit ad verba hæc, apponet Deus super eum plagas scriptas in libro hoc.* Ex quibus fit quācunque additionem scripturis factā, aut diminutionem illarum, esse contra præceptum Dei, & verbum Domini. Licet per modum interpretationis obscura explanando, & ex certis, & claris alia inferendo locupletare scripturas, iuxta legitimum earum sensum; verùm ista interpretatio non est additio, cum non faciat in re magis esse: vnde nullum accepit augmentum sacer Textus ex multiplici Doctorum expositione. His præmissis fiat argumentum à simili; diminuere, aut mutilare veritates diuinas scripto, aut traditione habitas, est magnus error, & enormis, cum vere sit hæreticus, aut erroneus, aut temerarius, qui propositionem aliquam, cuius opposita certissime est hæresis, error, aut temeritas, negat ad fidem, aut Religioné pertinere: ergo addere propositiones, quæ nullatenus ad fidem pertinent, ac si de fide sint, atq; eas collocare in eo gradu, vt oppositæ sint hæreses, errores, aut temeritates, cum tamen indifferentes sint, & non connexæ cum principijs fidei, contingere nequit sine graui documento Catholicæ Religionis, & doctrinæ Christianæ, pro qua etiam dictum est; non addetis, neque diminuetis; grauanda non

est

est fides supponendo falsò veluti propositiones dogmaticas, quæ longissimè absunt à mysterijs fidei: maximum est periculum, siue dicas non esse articulum fidei eum, qui reuera de fide est, siue dicas eam doctrinam de fide esse, quæ reuera de fide non est. Subscribit hactenus dictis Melchior Canus lib. 12. de Locis cap. 11. illis verbis: *Quomodo omnibus in rebus asseuerandi temeritas, pronunciandique audacia turpis est quidem; sed in ijs, quæ ad Ecclesiæ doctrinam attinent, est periculosa vel maximè, habet enim contemptionem superbam Ecclesiasticæ regulæ, quã contemptionem nisi fidei iudices coerceant, & comprimant, dici non potest, quantum discriminis omnis Ecclesiæ doctrina sit habitura: quæ igitur non inconsulta oratione modò, sed vt verbis vtar grauioribus, confidenti audacia, insolenti proteruia, exultatione impudenti, iactatione superba non contra fidem dico, sed contra Ecclesiasticæ modestiæ regulam afferuntur, ea Theologi in præsenti temeraria censent, atque inter errorum gradus constituunt, & locant; qui quoniam hæresum appendices sunt, à fidei iudicibus sunt animaduertendi.*

Ex quibus omnibus fit primo quàm graue, quàm noxium, quam periculosum sit probabiles doctrinas auctorũ, aut eas, quæ censuram non merentur inter damnabiles propositiones collocare, cum id fieri nequeat sine publico detrimẽto Religionis Christianæ, & absque notabili præiudicio censorum, qui sic delinquentes iuxta litteras Apostolicas sunt temerarij, præsumptuosi, & suspecti de fide. Secundo fit eos, qui ex imperio Tribunalium fidei nota afficiunt grauiori doctrinam aliquam, non debere de illa iudicare ex proprio sensu, sed ex iudicio Ecclesiæ, producendo scripturas, aut traditiones, aut Concilia, aut Decretales, aut communem sensum positiuum Patrum, vel Scholasticorum, vndè doctrina condemnanda videatur, & gradus censuræ pro illa debitæ innotescat. Tertiò, nõ sat est, vt propositio aliqua sit cẽsura digna in iudicio, quòd censoribus probabiliter videatur hæretica, erronea, aut temeraria; nam vt benè obseruat Turrianus 1. part. selectarum centuria 2. dub. 55. pag. 166. si quis dicat vnam opinionẽ videri

deri sibi probabiliter de fide, non ideo imponit censuram contrariæ opinioni, neque inde infertur contrariam esse hæreticam, cum hæresis non sit contra priuatæ personæ iudicium, sed contra vniuersalis Ecclesiæ sententiam. Propterea nunquam censores pronunciare debent, aut possunt ex priuato sensu nisi producentes Scripturarum, Concilio rum, Decretalium, vnanimis sensus Patrum, vel Scholasticorum loca, quibus indubitate, & sine controuersia doctrina censuræ exposita contradicat.

Propositiones, aut doctrinæ irrationabiles dicuntur illæ, quæ licèt contra se non habeant testimonia Scripturarum, Conciliorum, Patrum, aut Scholasticorum, sunt tamen contra manifestam, vel efficacissimam rationem in thesibus, quæ à Theologis cōmuniter disputantur. Huius gradus meminit sanctus Thomas 1. part. quæst. 97. artic. 3. ad 4. ijs verbis: *Quidam dicunt, quod homo in statu innocentiæ non assumpsisset de cibo nisi, quātum ei fuisset necessarium: vnde non fuisset ibi superfluitatum emissio; sed hoc irrationabile videtur, quod in cibo assumpto non esset aliqua fæculentia*. Nam licèt, quod ibidem ait S. Doctor sine vlla indecentia superfluitates emitterentur; verum illæ necessariæ essent, siue insensibiliter exhalatæ, siue absque fœtore, aut aliter resoluerentur. Quæstione 98. artic. 2. in corpore loquens de opinione antiquorum Doctorum negantium in paradyso generationem per coitum esse futuram; ait esse non rationabilem, seu irrationabilem sententiam. Sæpe hanc censuram irrogat S. Doctor nonnullis propositionibus etiamsi, grauium quorumdam Doctorum testimonio fuerint munitæ. Quoties doctrina aliqua contra efficacem, & ineluctabilem fere rationem militauerit, illa dicetur irrationalis: & si thesis fuerit ex necessarijs ad fidem, aut bonos mores censura Theologica notanda erit: vnde constat, quod alibi probandum est opiniones plures esse irrationales, & improbabiles, etiamsi graues Doctores illas tueantur.

De propositionibus periculosis in fide, & de superstitiosis, & de temerarijs, & de periculosis in moribus. Cap. XIII.

PRopositio periculosa in fide est qualitas censuræ illata à Leone X. in Bulla aduersus Leutherum propositionibus nonnullis huius hæresiarchæ: & propriè illæ doctrinæ periculosæ dicuntur, in quibus licèt nonsit aperta hæresis, aut error, est tamen periculum, vt ex illis oriantur. Quando hæc censura infertur, necesse est determinare hæreses, aut errores, qui ex ea doctrina periculosa imminent, & manifestis argumentis, vel ab experientia, vel ab antiquitate historiæ, vel ab antecedentibus, & consequentibus conuincere illud periculum non esse fictum, aut per subtiles discursus fabricatum. Dicitur periculosa in fide hæc propositio damnabilis, ad differentiam eorum, quæ sunt periculosæ in moribus, de quibus infra dicendum erit. Sub hoc gradu continentur ea, quæ à Clemente Octauo instructione Pontificia prohibentur, ijs verbis: *Quæ contra sacramentorum ritus, & cæremonias, contraque receptum vsum, & consuetudinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, nouitatem aliquam inducunt, profanæ etiam nouitates vocum ab hæreticis excogitatæ ad fallendum introductæ.*

Propositio superstitiosa est ea, quæ docet aliquid contra legitimum cultum, siue ex parte rei cultæ, siue ex modo colendi. In hoc gradu censuræ sunt propositiones docentes idolatriam, magiam, maleficia, pacta expressa, aut implicita cum dæmone, diuinationem per somnia, & astra & sortes, & similia, de quibus latè Suarius tom. 1. de Religione, tractat. 3. integro lib. 2. qui est de superstitione. Sub hac specie comprehenduntur propositiones irreligiosæ, & sacrilegæ, quæ formaliter, vel interpretatiuè docent tentare Deum, aut sacrilegia committere, vel alias irreligiositates exercere. De quarum materia tractat Suarius, vbi sup. lib. 1. & 3. copiosè, & eruditè. Quotquot libri de

Dæ-

Dæmonũ responsis, & similibus Ioannes 22. constitut. 13. tom. 1. Bullarij pag. 166. & cæteri qui de incantationibus, sortilegijs, arte iudiciaria tractant, ad hunc gradum propositionum damnabilium pertinent. Instructio Pontificia Clementis ijs verbis: *Reijciuntur omnia, quæ superstitiones, sortilegia, ac diuinationes sapiunt.*

De temerarijs propositionibus dicamus. Inter censuras Theologicas omnium minima est temeraria, si temeritas nihil aliud grauius habet adiunctum. Ex Puente Hurtado tom. 1. de fide, disput. 81. vt propterea communiter arbitrentur Doctores cum Francisco Suario tom. de fide, disput. 19. sect. 6. Gaspare Hurtado ibidem, disput. 10. difficult. 6. temeritatem prædictam non esse contra virtutem fidei, aut Religionis, sed solum contra virtutem studiositatis, quæ est pars temperantiæ. Conditiones necessarias, vt doctrina aliqua prædictam censuram Theologicam mereatur, breuiter numeramus.

Prima est, vt propositio sit contra communem sensum Patrum, & Doctorum, vel Theologorum Scholasticorũ, qui vnanimes contrarium positiuè doceant sine dubio, atque formidine: in hac omnes conueniunt, nam si priuatiuè tantum à Patribus, vel Theologis aliqua doctrina stabilita non sit, dummodo nihil positiuè contra eam scripserint, libera erit â censura. Considerandum verò est, iuxta superioribus capitibus proposita, an Patres, & Doctores obiter, & cursim disputent; non enim tunc adeo vrget ipsorum auctoritas, veluti cum ex professo rem tractãt; quod etiam obseruauit Puente Hurtado de fide, disputat. 81. sect. 7.

Secunda, non sufficit ad hanc censuram inferendam cõmunis sensus positiuus Patrum, aut Scholasticorum, si non sit in materia, quæ fidem, aut bonos mores lædat, vt probant, vel supponunt Suarius disput. 19. de fide sect. 2. Vazquez 1. 2. disput. 62. Valentia 2. 2. disput. 5. quæst. 11. punt. 1. Torres de fide. 5. dub. 3. Sãctus Antoninus, 2. par. artic. 54. vltimæ editionis. Siluester verbo hæresis, quæstio. 1. Turrecremata lib. 4. summæ, 2. part. cap. 10. 11. Cano lib. 7. cap. 3. & lib. 12. cap. 11. Bañez 22. quæst. 11.

 artic.

artic.2. Castro.1. de iusta hæretic. punit cap.11. Corduba quæst.17. lib.1. & lib.4. quæst.3. & fere omnes Doctores. Ideo nullam censuram Theologicā meretur qui contra cōmunem sensum positiuam Patrum dicentium esse Phœnicē autem, illam negat sub proprietatibus, quæ communiter numerantur. Nec fuit temerarius grauissimus nostri temporis Theologus, qui primus contra communē sensum positiuum Scholasticorum negauit virtutem obedientialē physicam, vt quælibet creatura physicè aliā quamuis produceret eleuata à Deo. Plures sunt opiniones similes circa materias non lædentes fidem, aut mores quæ propterea incapaces sunt temeritatis Theologicæ.

Hæc conditio monstrat primò eum qui temerarius est in negādis historijs prophanis, aut principijs speculatiuis Philosophiæ humanæ, aut Medicinç, aut iuris Ciuilis, aut Astrologiæ esse temerariū secundū quid, non tamen temerarium simpliciter, & Theologicè in ordine ad doctrinā sacram, vt ex cōmuni sententia probat Suarius disp. 19. de fide sect. 2 Secundò eadem conditio declarat quare, S. Thom. scripserit in 2. dist. 14. art. 2. ad 1. *Authoritates Sanctorum Doctorum in Philosophia non plus valent, quā dicta Philosophorum quos sequuntur.* Et Canus lib. 7. cap. 3. *Sanctorum auctoritas, siue paucorum, siue plurium, cùm ad eas facultates affertur, quæ naturali lumine continentur, tantum pollet, quantum ratio naturæ consentanea persuaserit.* Similiter Bañez 1. par. quæst. 1. art. 8. & plerique alij quibus expresse succurrit Grabrina tom. 3. Cathol. præscript. par. 1. controuersia 1. quæst. 1. pag. 13. vtens verbis Cani nuper relatis, & pag. 17. scribens, etiam si integer Sanctorū chorus adducatur pro aliqua doctrina si sit circa quæstionem, quæ ad fidem non pertineat, probabilem assensum generare non certum, quod probat ex Vincētio Lyrin. cap. 39. sic loquente: *Antiqua Sanctorum Patrum consensio non in omnibus diuinæ legis quæstiunculis, sed solum in fidei regula est sequenda.* pag. 20. eundem sensum confirmat.

Tertia conditio, non sufficit ad qualitatem temeritatis Theologicæ, si propositio sit contra communem sensum positiuum Doctorum in materia graui ad doctrinam sacram

pertinente; sed est præterea necessarium, vt prædicta doctrina, aut propositio sine fundamento auctoritatis, vel rationis pronuncietur: ita Vazquez 12. disput.62. Sáchez in Summa. lib. 1. cap.9. Torres de fide disput.55. dub. 3. & communiter Doctores asserentes non esse temerarium in fide, aut moribus primum auctorem, qui inuexit opinioné contra communem sensum Doctorum, si pro illa grauis ratio, aut auctoritas succurrat antiquioribus Doctoribus non cognita. Ex quo fit plures propositiones olim fuisse habitas in temerarijs, quæ nunc probabiliores iudicantur. Similiter contingere potest à magnis Doctoribus aliquã opinionem priscis temporibus approbatam, quæ postea in temerarijs numeretur, quod constet illos sine vllo fundamento fuisse loquutos, aut eo principio innixos, quod euidentibus argumentis decursu temporum fuerit refutatum. Albertinus de Catholicis assert. quæst. 15. ait non quod sit aliqua propositio cótra dicta Sanctorũ est hæretica: addere posset in casu à nobis proposito, nec etiam propterea est temeraria. Verũ si opponatur vnanimi sensui Patrũ in expositione scripturæ, non potest non doctrina esse hæretica, aut erronea, aut temeraria.

Quarta conditio, vt propositio temeraria nominetur, est necessarium, vt absolutè, & cũ affirmatione enuncietur, nam si solũ verisimiliter cum metu, aut sub dubio, aut vacillãter proponatur in rebus, & cótrouersijs non expressis ab Scripturis, aut Concilijs, & Decretalibus, nulla censura notari debet ex Simancas de hæreticis, cap. 52. Castro lib. 1. de iusta hæreticorum punitione cap. 3. Cano lib. 12. de locis cap. 11. Corduba lib. 1. quæst.17. & innumeris alijs, quos in sylua locorum primi capitis produximus, & propter fundaméta, quæ ibidem numerata sunt. Ex quibus omnibus fit certam esse doctrinam Puente Hurtado de fide disput. 81. sect. 7. dicentis, opinionem absque fundamento dictam, si pro se nec cótra se habet auctores, non esse temerariam, sed improbabilem.

91 Propositio periculosa in moribus illa est, quæ speculatiue considerata aliquam habet verisimilitudinem, & apparentem colorem probabilitatis, verum in praxi moraliter loquen-

loquendi sine grauis culpæ reatu non potest executioni mandari. Hoc periculum in causa est, vt similes propositiones iustissime possint condemnari: quales sunt nonnullæ opiniones circa materiam leuem in rebus venereis, circa recuperationem honoris per illata vulnera in flagranti delicto, circa acceptationem duelli, & alia similia. Hæ propositiones à Clemente Octauo in Pontificia instructione appellantur: *Bonis Moribus contrariæ*. In ijs præsertim, si adsit periculum ducendi in viam latam, cauendum est ne ad praxim, vel executionem laudentur, similes opiniones, sed potiùs, vt perniciosæ, & periculosæ longissmè à fidelium corde, & assensu, & à publicis scholis, & scriptis repellantur.

De propositionibus irreuerentibus, & demiscentibus sacra profanis, & de non allegantibus fideliter verba Scripturæ, & de euersiuis Regnorum propter iniustitiam, aut irreligiositatem, de decoloratiuis Ecclesiæ, & de laudantibus, aut exornantibus personas, aut gesta hæreticorum. Cap. XIV.

PRopositiones miscentes sacra profanis interdicuntur à Clemente 8. in Pontificia instructione anni 1595. his verbis: *Expungi oportet verba Scripturæ sacræ, quæcumque ad prophanum vsum impiè accommodantur.* Quod etiam seuerissimè cauit, & explicuit Synodus Tridentina sess. 4. his verbis: *Post hæc temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quæque conuertuntur verba, & sententiæ sacræ Scripturæ ad scurrilia, scilicet fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones impias, & diabolicas incantationes, diuinationes, sortes, libellos etiam famosos, mandat, & præcipit ad tollendam huiusmodi irreuerentiam, & contemptum, ne de cætero quisquam quomodolibet verba scripturæ sacræ ad hæc, & similia audeat vsurpare,*

pare, vt omnes huius generis homines temeratores, & violatores Verbi Dei, iuris, & arbitrij, pœnis per Episcopos coerceantur. Ex prædictis cõstat, expungendas esse eas propositiones, quæ verba sacræ scripturæ ad scurrilia, ad amatoria, ad fabulosa, ad superflua, ad assentationes, ad satyricas detractiones accomodantur: & similem transgressionem non contingere, sine contemptu, & violatione verbi Dei. Præterea hoc genus hominum ex Decreto Synodi Tridentinæ ab Episcopis puniri debebat, iam post instructionem Pontificiam Clementis 8. etiam ab Inquisitoribus mulctari potest. Quod diximus de scripturis sacris, similiter intelligendum est de scriptis Sanctorum Patrum, de officijs Ecclesiasticis, & de personis sanctitatis eximiæ, & earum gestis, si ad scurrilia, adulatoria, aut detractoria accommodantur; cum id non sine magna irreuerentia, & sacrorum contemptu accidat.

Circa hunc gradum expendere oportet, non esse propositiones irreuerentes, aut mixtiuas sacrorum, & profanorum eas, quæ, vel scripturas, vel personas sacras, vel ipsarum gesta applicat, aut coniungit ad personas, aut gesta profana cum reuerentia; vel personas, aut gesta profana ad personas, & gesta sacra. Sic quia reuerenter D. Augustin. lib. 22. contra Faustum incestum Loht, cum filiabus, & Iudæ cum Thamar accommodat charitati Dei, & Christi cum Ecclesia, nullam notam, censuram ve meretur: & idem præstat S. Gregorius 3. moral. cap. 21. firmans eandem thesim exemplo Dauidis, & Betsabee, & S. Hieronymus Epist. 131. docens filias duas Loht, & vxores duas Oseæ vtrumque testamentum adumbrare. Similiter Ecclesia plagas inflictas Prophetæ falso Zachar. 13. in figura assumit, vt Christi Sacrosanctis vulneribus accommodet: Scholiastes Theoduli, & Canisius Dianam Sanctissimæ Virgini conferunt: & passim similia exempla reperiuntur. Propterea ad irrogandum hanc censuram non sat est, si sacra profanis, aut profana sacris immisceantur; sed præterea necesse est, vt irreuerenter, vel ridiculè, vel assentatoriè, vel maledicè, vel indecenter id fiat; aliter enim nihil peccatur, cum sæpe Sancti Patres, & interpretes res, & locutio-

cutiones sacras per res, & locutiones profanas Philosophorum, Poetarum, & Oratorum explanent.

Propositiones non allegantes fideliter verba Scripturæ sacræ, instructio Pontificia Clementis 8. sic declarat, iubens expungi: *Verba sacræ Scripturæ non fideliter prolata, vel ex pravis hæreticorum versionibus deprompta.* Duplex genus propositionum hæc censura continet: aliud est cum dantur, & alleganthr pro verbis Dei ea, quæ non sunt, vel ex additione, vel ex mutilatione, vel ex inversione, vel ex truncatione, in quo est grauissima iniuria contra Scripturam sacram, dum exhibentur verba hominis pro oraculis diuinis: violatur præceptum diuinum euulgatum 4. cap. Deuteronomij: *Non addetis, neque diminuetis.* Aliud genus huius corruptulæ est, cum Scripturarum clausulæ fideliter allegantur in contextura vocum; verùm extrahuntur violenter à propria, & vera significatione, & sensu in extortam, & repugnantem intelligentiam. Ioannes Ludouicus Viualdus in 10. persequutione ait, hæreticum esse eum, qui falsam, & extortam expositionem in Scripturis diuinis ponit, docet, vel prædicat: allegat autem hæc verba Hieronymi: *Quicumque aliter Scripturam sacram intelligit, quã sensus Spiritus Sancti efflagitat, quo conscripta est, licet ab Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest.* Verũ quidquid sit de mente Viualdi, & interpretatione S. Hieronymi, semper vnum, & alterum genus præfati abusus impium est, & iniuriosum verbo Dei, quod non sine graui nota Theologica contingit. Verùm eò maior erit irreuerentia, & impietas, quo maior fuerit malitia significationis, & intelligentiæ, quæ ex prædictis corruptelis intenditur.

Propositiones euersiuæ regnorum, siue propter iniustitiam, siue propter irreligiositatem illæsunt; quæ per acutas speculationes inuehunt doctrinas ad speciem probabiles: verùm quæ corrumpant exercitium iustitiæ distributiuæ, vindicatiuæ, commutatiuæ, & puritatem disciplinæ Christianæ in obseruantia voti, iuramenti, cultus sacri, & aliorum, quæ contra simoniam, & similia vitia militant. Hoc genus propositionum Clemens. 8. in

Pon-

Pontificia instructione videtur cõprehendere in illis, quas appellat, *Bonis moribus, & Christianæ disciplinæ cõtrarias.* Item in illis: *Quæ tyrannicã potẽtiam fouent, vel rationem status ab Euangelica, & Christiana lege abhorrentem.* Exẽpli gratia nõnullas propositiones adducere expedit. Iudex potest determinare, & sententiare per opinionẽ minus probabilem, relicta probabiliori. Item illa: in officijs, & beneficijs, quæ præmissa oppositione, & examine prouidẽtur, potest eligi dignus, relicto digniori. Item illa, quam detestantur Theologi cum Toleto lib. 5. summæ cap. 58. Incarceratus pro furto, aut grauiori alio scelere torqueri potest, vt declaret nõ solùm ea crimina, aut delinquentes, de quibus est accusatio, delatio, indicium, processus, aut corpus delicti; verùm etiam per torturam cogi valet, vt declaret cætera crimina à se patrata, & ipsorum complices, pro quibus nulla est accusatio, delatio, indicium, aut processus, quæ reo manifestentur. Item illa: Iudex potest complices in carcere torquere, & punire, quos manifestauit reus non iuridicè requisitus, circa crimina occultissima, de quibus nulla erat delatio, indicium, aut processus. Hunc abusum Toletus vbi suprà condemnat. Item illa: Iudices supremi vniuersaliter in omnibus casibus iudicare, & sententiare possunt, non attendentes ad probationes, sed ad id, quod ipsis verius, aut æquius existimatur, non productis irrefragrabilibus in contrarium argumentis. Item illa: Confessario, aut viro graui non nocituro possumus reuelare crimen occultum alterius, absque necessitate. Item plures aliæ circa vsuras, contractus, restitutionem famæ, & bonorum, quæ aliquorum Doctorum præsidio munitæ grauem inferunt corruptelam. Hæ, & similes aliæ doctrinæ in materia iustitiæ, & religionis pro voto, iuramento, sacramentis, & alijs ad iustitiam, & religionem pertinentibus, etiamsi à praxi, vel testimonio extrinseco probabilitatem habere viderentur, sunt euersiuæ regnorum. Primò, quia immane ostium aperiunt ad exercendam iniustitiam publicam, aut publicam irreligiositatẽ. Secundò, quia ab illis fit descensus ad alias magis iniquas, & magis irreligiosas sententias. Tertiò, quia plures innocen-

ter maximis periculis de iactura corporis, bonorum, & honoris ex prædictis opinionibus, & alijs similibus exponuntur.

Appellamus euersiuas regnorum relatas propositiones, quod per illas publicè, & authenticè exerceantur periculosæ doctrinæ in materia iustitiæ, ex cuius obseruantia pendet Rerumpublicarum conseruatio. Ad euersionem regnorum maximè pertinent peccata Magistratuum, & Iudicum, quæ auctoritate publica fulti committunt: nam hæc tota Respublica patrare censetur, cuius commissarij, & officiales sunt: & in illis veluti in capite totum corpus politicum videtur consentire, dum non reclamat, dum Principem non admonet. Languor iustitiæ per prædictas, & alias similes opiniones inuectus plura alia parit monstra; nam ex illis aliæ conclusiones magis iniquæ, & iterum ex his aliæ, & sic incessanter pullulant fraudes, & doli, & personarum acceptiones, & audaces animi inspirantur aduocatis, & iudicibus, vt absque rubore tueantur, & iudicent, quidquid velint, atque in omnem licentiam effusi pro sua libidine, tanquam nemini rationē reddituri patrent vniuersa. Certissimæ sunt minæ Ecclesiastici 10. cap. *Execrabilis omnis iniquitas gentium. Regnū à gente in gentem transfertur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos.* In vindictam huius affectatæ obcæcationis protectio diuina substrahitur, & vires diabolo relaxantur, vt possideat Iudices, & Senatores, nè pericula impendētia præuideant, aut ne præuisa, fallaci persuasione decepti curent: præterea, vt ex ipsis emergant proditores, qui pecunia corrupti, aut aliter obtenebrati, vel secreta hostibus manifestent, vel in consultationibus captiosis ratiunculis, & se, & socios Consilij, & Principes euertant; nam sæpè, vel vt amicis Consiliarijs blandiantur, vel ne alijs, quibus cum odia, & inimicitias priuatas exercent, videantur consentire, etiam cum damno publico noxias consultationes roborant. Tandem in vindictam harum fraudum in consulendo, iudicando, & sententiando, bellorum cladibus, fame, incendijs, naufragijs, peste Prouincias exhaurit diuina iustitia. Huius rei apertissima exempla, & documenta ha-

habentur in Sripturis, præsertim in libris Regum Paralipomenon, & Prophetarum. Idem omnino dicendum de peccatis in religionem, etiamsi per speculationes subtilissimas, & grauium quorundam virorum testimonia à non nullis excusentur in materia simoniæ, iuramenti, voti, excommunicationis, collationis beneficiorum, electionis ad gubernacula Ecclesiastica, immunitatis bonorum, & personarum Sacerdotalium. Occurrunt interdum opiniones, quæ si ad praxim populorum, & tribunalium vocarentur, magna immineret à diuino numine vindicta. Duo sunt fulcra regnorum, publica Iustitia, & publica religio: illæ si nutent, necesse est, vt ea pariter corruant, vel labantur.

Propositiones decoloratiuæ Ecclesiæ illæ sunt, quas sub hoc nomine S. Bonauent. in 4. distinct. 19. declarauit. Earum natura in eo sita est, vt doceatur abusus potestatis Ecclesiasticæ, & regalis, exēpli gratia, sententia certissima est posse Romanum Pontificem vti dispensatione circa sacros Canones: at tueri, id absq; vlla causa frequenter esse faciendum, nimis decolorat Ecclesiæ nitorem, quod his verbis monet vbi suprà Bonauent. *In ijs, quæ statum Ecclesiæ decolorant, dispensandum non est; & hoc est quando multis conceditur, quod paucis esset concedendum.* Similiter ad hunc gradum pertinent alij abusus, vel in epijKijs ferendis, vel in principijs generalibus vsurpandis, exempli gratia D. Bonauent. in Opusc. *Quare fratres minores prædicent, & confessiones audiant.* Hæc ait: *Pontificem, vel quemlibet bonum Pastorem animarum huiusmodi esse discretionis, quod potiùs vellet oues Christi per quemquam Catholicum Sacerdotem ad salutem æternam expediri, quàm negligi ab ijs, qui ex officio curam eorum suscipiunt; sed executionem officij circa eos non implent, alioqui si hoc non vellet, indignus esset dignitate Pontificalis officij, qui oues Christi magis perire vellet, quam erui de ore luporum, & talis eius voluntas caret effectu pastoralis potestatis, quæ solum in ædificationem, & non in destructionem animarum data est ab ipso Principe Pastorum.* Multiplex abusus huius principij decolorat Ecclesiæ nitorem, dum per epijKias, vel ra-

tihabitiones, aut absoluunt, aut interpretantur, aut dispensant inferiores Prælati, & Sacerdotes: dum ad libitum docent, in pluribus casibus non potuisse limitari potestatem, nisi cum animarum destructione, & plura alia huius generis.

Propositiones laudantes, aut exornantes gesta, vel personas hæreticorum, his verbis proscribuntur à Clemente 8. in sua instructione: Epitheta honorifica, & omnia in laudem hæreticorum deleantur. Circa illa obseruandū est, omnia elogia, quæ Lutheranum, Caluinistam, aut alia quauis hæresi infectum exornant, veluti iustum, sanctum, conseruātem veram, & legitimam fidem, & religionem, fruentē æterna beatitudine Dei, esse impia, & hæretica: cum non aliud sonent, ac significent, quā sectam Lutheranam, Caluinistā, aut quāuis aliam esse veram, Romanā autem, idest, Catholicam Religionem esse falsam. Ex his epithetis cum nullum sit, quod non comprehendat apertam hæresim, & blasphemiam, nullum in libris, aut scriptis permitti debet. Alia sunt epitheta in laudem hæreticorum, quæ nullam merentur Theologicam censuram, vt si nobilissimi, clarissimi, doctissimi esse dicantur, vt si ab his exornentur virtutibus, quas Philosophis, & Gentilibus non denegamus, quales sunt integritas iustitiæ distributiuæ, & vindicatiuæ, pudicitia, veritas, fidelitas, humanitas, liberalitas, contemptus diuitiarum, pacis studium, & aliæ huius generis. Hæc sanè elogia, quæ non vltra commendationem donorum, & virtutum ordinis naturalis extenduntur, nec pro Gentilibus, nec pro hæreticis, vllā notam Theologicam promerentur: nihilominus Clemens 8. in pœnā eorundē hæreticorum iubet sanctissimè, & æquissimè, vt prædicti honorifici tituli expurgentur, quemadmodum nonnulla alia, etsi à censura Theologica distent, ob prædictam instructionem Pontificiā expurgenda sunt. Quoniam vero in hoc postremo genere elogiorum occurrunt passim emendanda quāplurima; solet interdum iuberi, vt similia epitheta lectores singuli deleant, ne catalogi expurgatorij his minutijs excrescant in maiorem molem. Ideo, Clemens 8. in pœnam effrenatæ impietatis Caroli Molinei, cuilibet lectori permisit, & præ-

præcepit, vt prædicti auctoris nomen, vbicumque inueniretur, expungeret, & deleret. Similiter catalogus expurgatorius supremæ Inquisitionis Hispanæ, editus anno 1632. pag. 761. verbo, *Merlinus Cocayus*, sic præscripsit: *Locos præterea liberiores, qui quomodolibet in rerum sacrarũ contemptum vergere possunt, docti, pijque lectoris arbitrio delendos remittimus.* Index Concilij Tridentini opera Erasmi, & Fabri permittit, dummodo expurgentur ab vniuersitate aliqua Catholica. Exempla huius coloris innumera occurrunt, ex quibus constat, si quando tribunalia fidei, ob vitandam prolixitatem iusserint libros, elogia hæreticorum continentes emendari, id præstãdum esse à pijs, doctisq; lectoribus, vbi inciderint clausulæ exornatiuæ hominũ, qui à fide deuiarunt. Cũ graue contagiũ non timeatur ex lectura eorũ locorum, qui hæreticos ab humanis dotibus exornant, atque expunctio prædictarum rerum præcipuè destinetur in pœnam, & vindictam, possunt licitè tribunalia fidei, non notatis paginis, & clausulis in suis catalogijs prohibitorijs, aut expurgatorijs, lectori pio, & Catholico eam expunctionem delegare.

De censura debita propositionibus acerbè, & satyricè è Pulpito, aduersus Ecclesiasticos, & laicos prædicatis. Cap. XV.

QVæ censura debeatur scriptis detractionibus aduersus Principes seculares, & Ecclesiasticos, aduersus simplices Sacerdotes, & regulares, tam in historijs quã extra illas, satis superque in præmissis declarauimus. Nunc de verbalibus conuitiis quibus in publicis concionibus, & redargutionibus, perstringunt nonnulli ministri verbi Dei Religiosos, aut seculares, determinando familias, congregationes, nationes, cœtus, aut personas, dicendum est.

Suppono Antistites, & Pastores vti posse animaduersione publica in oues à Christo suæ tutelæ cõmissas, dummodo hæc præcedant primò correctiones priuatæ: secundò

dò informationes iuridicæ: tertiò confeſsio rei conuicti, aut euidentia delicti in fieri, & ſemper pendentis in opus: quartò poteſtatis defectus, ob quem non poſsint reum ad terrorem populi caſtigare: quintò pertinax duritіes, & in crimine inueterata conſuetudo: ſextò ſpes conclamata delinquentis poſt hæc omnia peracta; tandem, quòd alia via communi ſcandalo occurri nequeat. His præmiſsis gradibus debitè ſuccedit Epiſcopi, aut Antiſtitis facta publicè e pulpito reprehenſio, ſi conſtat non grauiora fore detrimẽta, quæ ex manifeſta obiurgatione ſequantur.

Deinde ſuppono ex reprehenſionibus Prophetarum non eſſe argumentum deſumendum pro ordinarijs Prædicatoribus diuini Verbi. Primò, quia in illis extraordinaria iuriſdictio inerat, & perſonam ſummi numinis ſingulariter repræſentabant, aut ab illa coacti nominatim ſingula dicebant. Secundò, quia ſpiritus, à quo dirigebãtur Prophetæ, hominum culpas nouerat, & priuatas à publicis diſtinguebat. Tertiò, videbant ex prophetia, quando melius erat illas publice coarguere, & quando melius reticere: quid vtilitatis ex obiurgatione, quid vè mali ex ſilentio ſequeretur. Quæ omnia cum deſint ordinarijs Prædicatoribus, neceſſe eſt, vt plurima præmittant, ſi quando ad ſimiles redargutiones deuenerint. Noſtra igitur controuerſia de illis ſolùm Concionatoribus diſputat, qui ordinario ſpiritu prædicant verbum Dei abſque prophetico dono, & iuriſdictione aliqua Epiſcopali, ſola Magiſtrali, aut Doctorali muniti.

Demum ſuppono exempla Chriſti Domini in publicis redargutionibus, & reprehenſionibus non debere vniuerſaliter aduocari pro idea eorum, quæ præſtare poſſunt, ordinarij Concionatores: quia ſæpe, vt Deus abſcondita crimina reuelabat, ſecundò vt Põtifex, & Iudex cui probationes neceſſariæ non erant, publica iuterdum redarguebat ſcelera. Tertiò, vt excellẽtiſsimus Propheta. Quartò, vt vniuerſalis Magiſter, & Redemptor. Quintò, vt particularis Paterfamilias Apoſtolorum, & diſcipulorum; atque adeò communes Magiſtri, & Prædicatores quibus omnes hi tituli deſunt, non poſſunt hæc exemplaria indiſcrimina-

tim

tim adducere: superest igitur, vt summariè singula declaremus.

Ordinarijs Prædicatoribus Verbi Dei, ne determinatas personas Catholicas, præcipuè Ecclesiasticas, vel status in Ecclesia receptos, aut legitimè toleratos acerbioribus verbis, & obiurgationib⁹ è sacro pulpito vulnerent, aut infament, iubent seuerissimè Concilia, nominatim Senonense, cap. 36. in decretis morum, pag. 167. Coloniense, parte 4. cap. 8. pag. 186. & part. 6. cap. 13. 15. 16. 17. pag. 190. Augustense cap. 13. pag. 214. Treuirense, C. Missi, pag. 270. Mediolanense, 1. pag. 361. iuxta editionem Coloniensem, anno 1618. quibus succurrunt Concilia generalia, Canones religiosorum cœtuum, Theologi, Summistæ, & Iuristæ. Paulus 3. anno 1542. in Bulla quæ incipit: *Apostolici culminis* inquisitoribus iniungit Mediolanensibus, & à iure cæteris iniunctum supponit, ut similes concionatores plectant seuerissimè, si quando propositiones has scandalosas, pietati, & bonis moribus minimè cōformes disseminauerint: & quoniam similes obiurgationes seditiosæ sunt, scandalosæ, & viam ad scismata, & tumultus aperiunt, quemadmodum à temporibus Diocletiani experimento didicimus, qui, cū esset gratissimus fidelibus, propter iurgia Sacerdotum, contempsit, & persecutus est Ecclesiā Dei, authore Eusebio lib. 8. ideò sacer fidei Senatus in Hispania nuper seuerissimis pœnis prædictam concionatorum audatiam iustissimè compescuit. Ioannes Ludouicus Viualdus, ex instituto Prædicatorio, tractatu de duodecim persecutionibus Ecclesiæ, postquam numerauit persecutiones Imperatorum, & hæreticorum, & incantatorum, & Iudæorum, & scismaticorum, & alias, tandem vndecimo loco, & proximiori Antichristo numerat Prædicatores vaniloquos, garrulos, affectantes stylum, allegātes philosophiam, & poesim, mordaces, inflatos rethorica & stylo, dicentes subtilia non vtilia, & obiurgatores Principum, Prælatorum, & Ecclesiasticorum, seu verius detractores; atque id latè probat à fol. 226. vsq; ad 260 edition. Lugdun. ann. 1512. Succurrit ijs Concil. Tolet. ann. 1566. act. 3. cap. 3. vbi:

Du-

Duplex tantum est correctionis genus, ex cõmuni Theologorum iudicio, cum Diu.Thom. 2. 2. quæst. 33. Altera iudicialis est, & hanc solùm exercere possunt gubernationes, idest Principes, & Rectores, præmisso ordine iuridico. Hæc interdicta est ordinarijs concionatoribus, cum nulla iurisdictione muniantur, sed authoritatem habeant solùm Doctoralem. Altera est fraterna, sub qua paterna, tutelaris, & similes aliæ comprehenduntur: hæc etiam inter dicta est ordinarijs concionatoribus è sacro Pulpito: nam ex præscripto Saluatoris omnis fraterna correctio debet esse solitaria inter corripientem, & correptum: non publica in conuentu fidelium. Correctiones aliæ aduersus hæreticos, & Ecclesiæ aduersarios non sunt aduocandæ in exemplar earum, quas ad Catholicos destinari licet. Hæretici proximi sunt, non fratres: Catholici verò, & proximi, & fratres sunt, & nominantur. Idcirco non se muniant Prædicatores Verbi Dei exemplo correctionum Christi aduersus Sadduceos, & Herodianos conclamatos hæreticos, vel aduersus Scribas, & Pharisæos, qui ex Matth. 15. 16. & 23. hæretici erant, & iuxta Hieronymum in 16. Matth. Epiphan. hæresi 16. Iosephum 2. captiu. cap. 12. & alios: hi tamẽ quia è suggesta Cathedræ Mosaycæ non dissеminabant errores, ait Christus, Matth. 23. vt omnia quæcumq; ibidem dicerent, seruarentur, & fierent.

Cum igitur correctio iudicialis ad gubernationes pertineat, fraterna ad opitulationes, quæ ex Paulo 1. Cor. 12. distincta sunt ministeria ab officio Doctorum, similes obiurgationes aduersus determinatas personas, aut status, non emanant à Doctoribus, quatenus Doctores sunt, quorum munus, ex D. Thom ibidem: solum est reuelata in Prophetis, & Ecclesia prædicare. In Euangelistis nulla similis correctio Christi reperitur in sermonibus. Solum tres parabolæ Matth. 21. Ioan. 10. continent reprehensiones, verum illæ dictæ extra concionem in disputatione à Iesu, vt Deo, vt Propheta, vt reo. Cæteræ triginta parabolæ nulla obiurgatione armantur. Nouemdecim sunt disputationes Christi in Euangelijs, si quæ sunt cap. 7. 8. 9. 10. Ioannis, ad quatuor reducas: verum illæ sermones nó sunt,

cum

cum disputare non sit prædicare: in ijs acerbioribus verbis Christus corripiebat hæreticos Scribas, & Pharisæos simul vt Deus, vt reus, vt vindex proprij honoris, vt gubernatio, vt opitulatio. Disputationes nõnullæ Matth. 9. 12. 19. 22. Ioan. 3. 6. 12. nullis armantur reprehensionibus aduersus certas personas.

Dum Christus miracula patrabat, in colloquijs extra conciones, Matth. 8. 12. 13. 14. 15. 19. 21. Luc. 9. 13. Ioan. 4. reprehensiones adhibuit, vt operator virtutum, & defensor operum diuinorum, non vt Doctor. Cum Iesus futura contingentia vt Deus, vel alia futura absoluta, vt Propheta prædixit Matt. 11. 12. 16. 21. 24. Luc. 13. Ioan. 4. 7. 8. 9. 10. non vt Doctor, sed vt Deus, vel Propheta loquebatur. Interdum, vt Pater familias extra concionem reprehendit Petrum, filios Zebedei, consanguineos, discipulos, quemdam Scribam, Matth. 8. 16. 20. 26. Luc. 9. Ioan. 7. Verum hæ obiurgationes à Christo, vt patre familias, non vt Doctore dimanabant. In cõcionibus, quæ nec parabolæ sunt, nec disputationes, nec miracula, nec prophetiæ, nec monita patris familias, nec opitulationes aduersus hæreticos nulla est reprehensio Christi aduersus certas personas, & status, vt pater Matth. 5. 6. 7. 10. Marc. 4. Luc. 6. 10. 11. 12. 16. 19. Ioan. 14. 15. 16. 17. Reprehensio, quæ habetur Luc. 4. accidit finito sermone, & explicatione Isaiæ, & interminata est à Christo, vt operatore virtutum, & proprij honoris vindice. Plura fiunt, & scribuntur à Doctoribus, cum docent, vt respirare, cõtrouersias rerum naturalium proponere, historias humanas referre, quæ non præstantur ab ipsis, vt Doctoribus, quẽadmodum probat Turrecrem. distinct. 9. Ideò etiamsi quis, vt opitulatio obiurgaret è pulpito, nõn id efficeret vt Doctor. Reprehensiones Chrysostomi, & aliorum sanctorum Episcoporum, contra certos status, & personas cum à iurisdictionem habentibus post plures correctiones fraternas emanarent præmissis certis probationibus, non aduocandæ sunt in exemplar, quod imitari queant ordinarij concionatores nullam iurisdictionem habentes.

M Hæ

Hæc ita generatim dicta per singulas conclusiones explicanda sunt. Prima: tunc solum concionatoribus ordinarijs, qui nec iurisdictione Episcopali, aut quasi Episcopali, nec spiritu prophetico præditi sunt, licet obiurgationes publicas contra Catholicos è sacro Pulpito dictare aduersus scandalosa delicta, quando hæc omnia, & singula, quæ sequuntur absque vllo fructu præcesserunt. Primò, monitio priuata delinquentium. Secundò, obstinata eorum perseuerantia in culpa publica scandalum generante. Tertiò monitio, aut delatio, aut accusatio per se, vel per alios proposita Episcopis, aut secularibus Magistratibus de prædicto scandalo. Quartò impossibilitas, aut defectus potestatis in prædictis Episcopis, & Magistratibus ad coercendum iudicialiter, simulque puniendum scandala nuper relata. Quintò, quòd nulla spes supersit de refractario, aut peruicaci illo homine, cœtu, natione, aut familia leuiori medicamento curandis. Sextò, quòd certò sibi persuaserint concionatores, post consultationem grauium & peritorum hominum, maiora commoda ex publica reprehensione obtineri, & grauiora crimina, & scandala euitari, quàm si eadem reprehensio omitteretur. Septimò, vt peccatum, vel peccata, quæ obiurgantur, sint ferè omnibus notoria, & perniciem inferant: nam si occulta sunt, & paucissimis explorata, præsertim sine alicuius contagio nullatenus ea propalare, aut manifestare è sacro pulpito licet. Hæc omnia, si ad sint, & præcedant, possunt ordinarij concionatores post consultationem, & licentiam Episcoporum, aut Antistitum publicis obiurgationibus è suggestu vti: si aliquid ex nuper relatis desit, peccant, si ad publicam reprehensionem determinatæ personæ, aut familiæ se accingãt. Addendum est pro tertia, & quarta conditione, quas nuper præmisimus, quòd si monitio, aut delatio, aut accusatio scandalosi criminis proposita est Principibus Ecclesiasticis, vel secularibus, & ipsi habeant potestatem coercendi, & puniendi; nec tamen suo muneri satisfaciant, tunc acquiescendum est doctrinæ Concilij Coloniensis part. 6. hæc dicentis: *Si Magistratus dissimulent, consultius magis est, vt vltio remittatur ad Deum.* Quæ verba, & alia

 æqui-

æquiualentia Conciliorum, Patrum, & Scholasticorum manifestè supponunt, & decernunt non licere publicas reprehensiones è pulpito contra determinatos cœtus, aut personas Catholicas, inconsultis Episcopis, aut Magistratibus, cui prædicti cœtus, aut personæ, veluti oues, committuntur. Probatio huius conclusionis ex regulis generalibus Theologorum perspicua est, quæ tum ratione charitatis, tum ratione iustitiæ decernunt ea omnia præcedere debere ante publicam reprehensionem e pulpito, ne seditiosè, contumeliosè, præcipitanter, & hostiliter Euangelicum officium exerceatur, vt ex inferiùs dicendis innotescet.

Secunda conclusio: nunquam licet Ecclesiasticos Prælatos Chatholicos, aut Seculares Principes è pulpito singularibus obiurgationibus vulnerare, absque spiritu Prophetico, aut consultatione sanctæ Sedis, licèt omnes ferè conditiones primæ conclusionis præcesserint. Ita expresse determinant Concilium Lateranense sub Leone X. sess. 11. & Clementina, *Religiosi* de priuilegijs, cum Concilio Viennēsi. Ratio, qua hæc duo concilia fundantur, sæpe ingeminata fuit à sancto Francisco Xauerio, & habetur in vltimis regulis exercitiorum S. Ignatij; vndè translata est ad regulas concionatorum ordinis Iesuitici, his verbis: *Cū experientia doceat, & sanctæ memoriæ Pater Ignatius scriptum reliquerit, nihil vtilitatis percipi ex ijs concionibus, in quibus Principes, & Magistratus Reipublicæ, Prælati, & alij Ecclesiastici in particulari reprehēduntur, concionatores nostri ab huiusmodi reprehensionibus abstineant.* Quod si vrgentissimæ causæ adsint, consultanda est sancta Sedes, quā solū, p supra se habent supremi Principes, & Prælati; & si illa dissimulet, vt dicebat Coloniense Concilium, multò consultius est, *Vt vltio remittatur ad Deum.* Quamquam plures aliæ rationes adduci possent ad hanc conclusionem stabiliendam, illa omittenda non est, quæ sumitur ex distinctione quadam nuper allata. Omnis reprehensio, aut est iudicialis, aut fraterna, sed nulla ex his licet contra Prælatos, & Principes è pulpito: ergo nunquam ibi reprehendendi sunt. Maior supra est probata; mi-

nor suadetur, nam iudicialis correctio esse nequit, vbi non est iurisdictio, nempè supra eum, qui superiorem, aut Iudicem non habet, quales sunt supremi Principes, & Prælati. Fraterna correctio aduersus determinatos cœtus, & personas, cum secreta esse debeat, non potest ad publicas conciones extendi: ergo nunquam Principes, aut Prælati, absque Spiritu prophetico, aut commissione Apostolicæ Sedis, è suggestu concionum possunt obiurgare.

Tertia conclusio. Adeò rarum, & insolitum est, vt casus adsit, quo ordinarius concionator licitè pòssit è pulpito determinatas familias, aut personas Ecclesiasticas, vel seculares, etiam priuatas, & infimi ordinis reprehendere, vt propterea Doctores non curantes de raris, absolutè dicant, nullatenus in concionibus has obiurgationes locum habere: & Concilia absolutè absque limitationibus similes reprehensiones interdicunt. De Cōcilijs dictum est sup. superest, vt Doctores allegemus ex Ordine Prædicatorū, S. Antonin. 3. par. tit. 18. cap. 4. Caietan. 3. par. q. 42 art. 2. Bañez 22. q. 33. art. 4. Siluester verbo *Prædicator*, q. 6. Sotus de tegendo secreto memb. 2. q. 3. cōclu. 4. Canus lib. 12. cap. 11. Ferdinand. Castello lib. 2. histor. Prædicatorū cap. 48. 49. Ex familia Minorū S. Bonau. in apologetic. editionis Romanæ pag. 375. Cordub. lib. 1. q. 17. Castro lib. 1. de iusta hæreticorum punitione cap. 3. Ricard. in 4. dist. 19. art. 2. q. 3. Aluarus Pelagius lib. 2. de plāctu Ecclesiæ art. 10. & alij eiusdem gremij. Ex alij vero Abulens. in cap. 15. Matt. q. 28. Nauarr. in manuali cap. 51. Aragó. 22. q. 11. art. 2. & plures alij. Idcirco omnes sacrorum ordinum regulæ has obiurgationes cōtra determinatas personas, aut familias seuerissimè prohibet. De cōstitutionibus fratrum Prædicatorū tradidit suprà S. Antoninus. S. Bonauentura, & regula Minorum eādem legem exprimunt. Familia Augustinensis similiter indixit suis prædicatoribus. Societas Iesu idem præscripsit, ad hanc obseruantiam edocta à S. Ignatio de Loyola, & Francisco Xauerio. Probatur hæc conclusio adstruens rarissimum, & valdè insolitū esse, vt concurrant omnia necessaria ad dictandas è pulpito prædictas reprehensiones: nam proculdubio septem illi gradus,

aut conditiones in prima conclusione assignatæ coniungi debent, vt similes obiurgationes locum habeant; & prætereà, vt concionator sit grauissimus, doctissimus, & magnæ authoritatis, & opinionis in populo, sed prædicta connexio graduum, & conditionum rarissimè potest contingere, quemadmodum perspicuum est, & probationes sunt superfluæ: ergò prudenter loquuntur Doctores absolutè negantes, præfatum reprehensionum genus ordinarijs concionatoribus licere, propter rarissimos casus, in quibus cum debitis circumstantijs impleri licitè queat. Sic etiã absolutè dicitur, nulli priuatæ personæ fas esse aliũ occidere, quãquam sint casus iustæ defensionis, in quibus licitum sit alios de medio tollere.

Quarta conclusio. Si iam emendata scandala sunt, aut breui corrigenda, vel punienda credantur à legitimis Magistratibus: si spes aliqua affulgeat, vt sceleratus ad meliorem frugem redeat, à seculari, vel Ecclesiastico Iudice admonitus, aut si constat reum esse cõprehensum, speretur que, pro meritis castigatũ iri, populo, regnoque, faciendo satis, nulla potest fieri publicis in concionibus reprehensio. Sic expressè Coloniense Cõcilium par. 6. cap. 7. vbi apertè negat quempiam è pulpito reprehendendum, quin antecesserit Antistitum, & superiorum Magistratuum animaduersio: *Expectanda prouisio Prælatorũ, ac maiorũ Magistratuũ est.* Ergo ante illorũ prouisioné prædictæ reprehensiones nõ licent; post prouisionem supplicij omnino sunt noxiæ, & superfluæ. Ratio naturalis hanc cõclusionem dictat: nam publicè redarguere damnatum ad verbera, triremes, exilium, aut necem, insigne est iniustitiæ, & crudelitatis argumentum: satis est reo, quod exulet, verberetur, aut suspendatur: satis est Reipub. quòd iuxta legum dispositionem scandala sint punita. Eadem ratio est, si supplicium breui inferẽdum expectetur contra vinctum, & comprehensum: & ex parte multò esset deterius, si antequam de facto liqueat, eademque iudicialis vindicta expectetur, præmissa probatione coram populo, & Ecclesia grauiter reprehendatur, qui reus est.

Quinta cõclusio. Illicita est omnis reprehensio publica, è suggestu contra determinatas personas, aut familias,

aut

aut nationes, quæ se esse Catholicas profitentur: si infamentur de hæresi, apostasia, aut simulata religione. Tenentur fidei tribunalia prædictos concionatores compescere, eosque ad iudicium vocare: nam si absque fundamento manifestæ veritatis hæc prædicant in Deum, in proximum, in iudices, grauissimè peccant. Quod si certò nouerunt prædictas personas, aut gentes in hæresim, vel apostasiam incidisse, etiam grauissimè delinquunt non deferendo crimina ad legitimos iudices: Quod si detulerunt immane scelus perpetrant, cum non expectent id, quod ex iure naturali expectandum dictauit Concilium Coloniense, part. 6. dicens: *Expectanda prouisio Prælatorum, ac maiorum Magistratuum est.* Præterea hi præcipites Prædicatores temerariè decernun in Iudices, aut Inquisitores, eosque infamāt, perinde ac si suo muneri non essent satisfacturi, nec partes suas obituri. Accedit, quòd concionum reprehensio est postremus quidam agēdi modus, quo in rebus desperatis ordo sacer vtitur, cùm nihil possunt superiores Magistratus secūdum instituta legum, nihil possunt censuræ Ecclesiasticæ, nihil efficit multa patientia, neque aliæ viæ, quibus datus est locus, tunc ad hæc media publicæ reprehensionis, veluti ad vltima remedia conuolandum est. At inchoare opus tam graue, cum tam immani discrimine alienæ famę, in materia odiosissima religionis, per extremum omnium remedium violata authoritate iustitię, simulando nullas esse vires in Episcopis, & Inquisitoribus, nullumque animum ad hæreticos, aut apostatas coercendos, lethale peccatum est, eoque grauius, quo plura in eo inuoluuntur delicta. Primùm in aliena iurisdictione vsurpāda. Secundò in non præmittendo omnes illos gradus, quos in prima conclusione pręscripsimus. Tertiò in sugillādo Pręlatos circa fidei causas, minusque de eorum zelo, & pietate fidendo. Quartò in excitādo seditiones, & tumultus. Quintò in proclamādo Catholicos viros, aut eos, qui Catholicos se esse declarant, veluti conclamatos, & desperatos hæreticos.

Sexta cōclusio omnes, & singuli Prędicatores, qui vniuersos, aut singulos excessus ex commemoratis in hoc capite

pite audent perpetrare, debent à sancta Inquisitione puniri. Primò ex litteris Pauli 3. committentis Apostolicis Inquisitoribus cognitionem eorum concionatorum, qui propositiones scandalosas, seditiosas, pietati, & bonis moribus minimè conformes disseminauerint; at prædictæ culpabiles reprehensiones è pulpito, sunt manifestè scandalosæ, & seditiosæ: ergo disseminatores earum ab Inquisitoribus plectendi sunt. Secundò speciali titulo prædicatores infamantes è pulpito personas, familias, aut cœtus Ecclesiasticos regularium, aut non regularium, puniuntur ab Inquisitoribus, tum ex iis, quæ dicta sunt singulari capite huius tractationis, tum ex decreto supremæ Inquisitionis Hispanæ contra eos, qui scripto publico, aut verbo è sacro suggestu personas Ecclesiasticas infamant, ita vt ignominia in cœtum, aut religionem refundatur. Tertiò adhuc vrgentioribus fundamentis sunt puniendi ab Inquisitoribus ij, qui quascumque seculares, aut Ecclesiasticas, siue personas, siue familias, siue nationes profitentes se esse Catholicas, è pulpito impugnant veluti apostasia, aut hæresi infectas, propter eas rationes, & causas, quas in quinta conclusione produximus. Quartò, nam semper hæ reprehensiones fiunt abutendo scripturis: propterea iuxta Decretum Concilij Tridentini, sess. 4. transgressores sunt grauiter puniendi.

Septima conclusio. Similes temerariæ reprehensiones sunt euersiuæ prouinciarum, vt valde seditiosæ. Historia Henrici 3. refert, ex præcipiti, & effrenata prædicatione cuiusdam Archidiaconi Astigitani ortum fuisse, vt nobilissimæ Hispaniæ vrbes tumultus excitauerint, Iosephus Siguëza in Chronicis sancti Hieronymi to. 1. cap. 18. & sequentibus graues cuiusdam cōcionatoris abusus in reprehendendo narrat, & media, quibus Henricus 4. impendenti damno succurrerit. Regnante Carolo 5. communes seditiones, & excitauerunt, & promouerunt cōcionatores, quibus propterea, etiamsi alijs indultum sit, ipsis tamen nulla data est venia. Legantur Hieronymus Conestagius in vnione Lusitaniæ, & Castellæ, & liber Sorbonæ, cuius titulus, *De iusta abdicatione Henrici 3.* Ibique frequen-

quenter occurrent grauissima discrimina, quæ Hispania sustinuit ex temerarijs cōcionatorum reprehensionibus, Castro de iusta hæreticorum punitione, & Alfonsus Spina hoc experimentum pluribus, & varijs exemplis confirmarunt; Damianus Goes in historia Manuelis Regis Lusitaniæ memorat, ex stulta cuiusdam cōcionatoris obiurgatione factum esse, vt auditores è tēplo prodeuntes, supra quatuor millia hominum baptizatorum interfecerint. Longum esset omnia huius generis in vnum fascem colligere. Nominatim sunt periculosissimæ illæ inuectiuæ, quæ fiunt è pulpito, cōtra eos, qui ab hæreticis, Mauris, aut Iudæis prognati Christianam fidem susceperunt, vel ab ipsis originem ducunt, perinde ac si verè Catholici nō essent, atque eorum bona opera suspecta habenda sint: quemadmodum expēdimus agentes de propositionibus aduersis à fide, & ingressu Ecclesiæ, vel cōtristatiuis eorum, qui religionem Christianam amplexi sunt. Hispana, & Lusitana Inquisitio, vt ibidem expēdimus, objurgationes, aut infamationes scriptas aduersus cōuersos è Iudaismo, vel ab illis originem ducētes prohibet; verùm, quia similes detractiones sunt libelli famosi in causa fidei, etiam personæ incarcerandæ, & puniendæ sunt. Similiter propter ea, quæ ibidem à nobis dicta, & quæ in hoc capite notata sunt, qui è pulpito has reprehensiones in hos homines dissemināt, carceribus, exilijs, & grauioribus alijs pœnis coercentur.

Vltima conclusio. Omnes cōcionatores, qui sermonibus dictatis ad populum, vel prælo mandatis familias, cœtus, nationes, aut personas infamāt aliquo ex modis, quos in superioribus cōclusionibus adnotauimus, varijs pœnis afficiēdi sunt, iuxta præscripta iuris Ciuilis, & Canonici. Primùm per dispositiones iuris Ciuilis, qui verbo, aut scripto iniurias, aut opprobria in alios dictāt pœna corporali afficiēdi sunt: ex l. finali, ff. de iniurijs: & notat Bajardus ad Iulium Clarum in §. iniuria, numer. 97. Incurrunt præterea infamiam. l. Diuus Seuerus, ff. de iniurijs vbi glos. Bernardus Diaz in practica cap. 60. rubrica de maledicis num. 6. & ibi additio Farinacij in praxi 3. to. q. 105.

num.

numer. 61. Per dispensationes iuris Canonici prædicti concionatores, vtpote iniurij, & maledici pœnam habent indictam suspensionis, & priuationis officij, vt probant Baldus in cap. *Cum te*, de re iudic. vbi Abbas num. 24. Felinus num 9. Bocius in pract. titul. de iniurijs, numer. 30. Hæc injuria, quæ resultat ex sermone publico, aut scripto euulgato reducitur ad iniuriam libelli famosi iuxta diffinitionem Farinacij, dicta quæst. 105. num. 421. Neque in hac re dubium esse potest, si quidem, vt induat aliqua iniuria rationem libelli famosi, sat est, vt versus vnicus, vel cantilena publicè cantetur, quemadmodum expendit Farinacius suprà num. 467. Grauius, acerbius, & vniuersalius damnum ex concione publica iniurias effundente contrahitur. Eadem iniuria secundum rigorem Ciuilis iuris pœna capitali mulctatur. l. lex Cornelia, §. si quis librum, ff. de iniurijs, l. 1. C. de famosis libellis. Interpretatio communis est, vt vindicta hæc iudicialis fiat per mortem naturalem, ex Farinacio dicta quæst. 105. numer. 423. Ius Canonicum prædictum iniuriantem flagellari iubet ex textu, in cap. 1. Quinta quæst. 1. vbi Turrecremata in versiculo, *Secundum Canones*. Ad hæc pœna depositionis annectitur, ex Farinacio suprà num. 431. Præter obligationem restituendi famam, damnum, & æstimationem iniuriæ, de quibus tractant Nauarrus in cap. *Sacerdos*, num 60. de pœnit. distin. 6. Farinacius suprà numer. 71. 78. & num. 436. cum sequentibus, habet pœnam infamis, & in testabilis adiunctam, D. lex. lex Cornelia, §. si quis librum, ff. de iniurijs, cap. ob carmen. 4. quæst. 3.

Nec dubium est, quin prædicti concionatores, sub pœnis Concilij Tridentini sess. 4. in fine comprehendantur, vbi agitur de corruptoribus, aut vitiatoribus sacræ Scripturæ, idest, ea abutentibus ad detractiones: nam certum est è pulpito allegari loca scripturæ Diuinæ ad detrahendum, & infamandū, quod formaliter est delictum detractionis. His pœnæ iuris, & arbitrariæ à Concilio Tridentino imponūtur. Per pœnas iuris intelligit Cōcilium flagellationem, &

depositionem cap.1. Quinta quæst. 1. de quibus Doctores suprà relati differunt. Per arbitrariam pœnam idem Concilium refert se ad resolutionem communem circa crimen iniuriæ, & libelli famosi: nam & præter peculiaria supplicia, & pœnas remittit se ad arbitrarias pœnas ex Hostiensi in summa titul. de maledicis; & aliàs. De quibus Farinacius suprà quæst. 105. à num. 56.

De probationibus, & contestationibus ex iure naturali, & diuino requisitis ad iudicium faciendum circa propositiones verbales censura dignas in concionibus, aut publicis congressibus dicta: & de retractatione facienda, si dicta sunt, & de alijs requisitis. Cap. XVI.

ANtequam præcipuã thesim excutiamus supponendum est, cum Ioanne Rojas in assertionibus analyticis assert. 24. eum, qui hæresim à se prolatam in continenti corrigit, & reuocat non esse aliqua pœna damnandum, quod probat ex pluribus Doctoribus, & suadere posset innumeris fundamentis: sit vnum pro multis, quia similes lapsus habendi sunt pro nõ voluntarijs, & in illis protinus adnexa reuocatio palàm conuincit, aut ab homine sui non compote, vel alia longè diuersa considerante prædicta verba inuoluntariè effluxisse. Si quod autem emersit scandalum per succedentem retractationem cessat omnino, atque idem dicendum est, si quis admonitus ab audientibus de prolato errore vlla sine tergiuersatione, aut mora impiam doctrinã retractat; nã & illum creditur nolentem, vel non attendentem illam pronunciasse, & nulla relinquitur præsentibus occasio scandali, sed exemplum debiti obsequij erga fidem, & Ecclesiam.

Deindè cum Albertino de Catholicis assert. quæst. 34. suponendum est, quòd si assertio propositionum hæreticalium, aut aliter damnabilium facta dicatur publicè in cõcione,

cione, aut magno cōuentu fidelium debet probatio singularum propositionum fieri ex contestatione plurium cum ex natura illius facti complures testes haberi queant, vt ex pluribus capitibus iuris efficaciter suadet. Quod addit quæst.35. num.8. ex Abbate Butrio, & alijs, quos refert, & sequitur testes, scilicet in lite de probandis verbis formalibus alicuius propositionis per easdem voces formales, & non per æquipollentes testificari debere; neque aliter illos probare, videtur in praxi minus probabile; vt merito refutat Rojas part.2.assert.5.num.129.

In ijs, pro quibus plures, & graues testes vniformiter conueniunt hæreticaliter, erroneè, aut scandalosè, aut temerariè fuisse prolata, examinandi sunt, an illa obiter, & in transcursu dixerit magister, vel cōcionator, an incidenter protulerit; an vero exprofesso tractauerit, & allegationibus, atque rationibus muniuerit, & cogendi sunt, vt deponant in singulari, quæ testimonia, quæ item alia fundamenta adhibuerit. Nam si obiter, aut incidenter error vel hæresis proferantur, cum magister, aut concionator non est suspectus, credendum est, aut lapsu linguæ, aut mentis vagatione, aut deceptione audientium, quod sæpe accidit, eam propositionem de pronunciata hæresi, aut errore ab auditoribus fuisse conceptam, quod si exprofesso damnabilis propositio testimonijs, rationibus, exemplis, & coniecturis fuerit munita, inexcusabilis est Magister, aut Doctor, & manifestè conuincitur esse reus.

Superest nunc declarare quot testes, aut contestes integri, & omni exceptione maiores, necessarij sunt ad probationem hæresis, aut erroris, aut propositionis damnabilis in magno auditorum concursu prolatæ: in quo casu minus integri testes non admittuntur, vt notat Albertinus de agnoscendis Catholicis assertionibus, quæst.34. Cū vero ex capite de libellis distinct.20. cæteri iudices, ac tribunalia debeant in iudicando sectari praxim, & exemplar Conciliorum generalium, & nationalum, & Romanorum Pontificum, dicam quid in Synodo Chalcedonensi, & Beritensi decretum sit, & exemplo, atque sententia firma-

 tum

tum pro similibus cõtrouersijs circa propositiones dãnabiles in plurium auditorum concursu prolatas, vt inde innotescat quid cæteri iudices præstare debeant.

In magna auditorum frequentia graues errores prædicasse olim dicebatur Ibas: pro qua causa ex Cõcilio Beritēsi probata fuit forma iudicij in Concilio Chalcedonensi Act. 9. & 10. iuxta nouissimam editionem Colouiensem anni 1618. industria Seuerini Binij. Act. 9. memorantur quatuor accusatores, & testes, Samuel, Cyrus, Mara, & Eulogius, hi contestantur de erroribus prædicatis ab Iba. Act. 10. pagin. 279. eiusdem Chalcedonensis Concilij producuntur quatuor alij, Theophilus Diaconus, Euphrasius, Abrahamius, & Antiochus: pagin. 281. adduntur quinque alij, Clerici etiam, & Monachi contra Ibam, Ablauius, Ioannes, Anatolius, Cainma, & Abibus: pagin. 287. considerata multitudine eorum, qui audierant Ibam, ait Concilium, necessarium esse pene omnes interrogari, qui audierant Ibam docentem, aut prædicantem, pag. 288. addit: *Quoniam dictum est collectam Reuerendissimorum Clericorum multitudinem, quando hæc Religiosissimus Ibas docuit, non suscipimus trium testium, qui à vobis deducti sunt, voces.* Docet Synodus in re adeò publica tres contestes nihil probare, si non totius fere auditorij cõsensus adsit. Pagin. 292. leguntur litteræ Cleri, qui Ibam audiuerat: in eis dicitur: *Neque ab eo, neque ab alio vllo tale dictum audiuimus, neque in aures nostras ingressum est.* In eadem actione Epistola Ibæ ad Marim Persam proponitur, in qua opposita doctrina continetur illi, quæ ipsi imponebatur. Pagin. 295. 296. 297. tres Legati Sedis Apostolicæ, & magna Episcoporum multitudo Ibam absoluunt propter Epistolam ab ipso scriptam ad Marim Persam errores illos condemnantem, & declarat Concilium septendecim illos Clericos, & Monachos accusatores, & testes nihil probasse cõtra Ibam: tantum valuit vnius manuscripti authentici veritas in defensionem Ibæ apud Concilium. Hoc exemplar obligat omnes Iudices, & Tribunalia, vt ad probationem facti de erroribus, aut propositionibus damnabilibus in magna hominum multitudine

dictis plures exigant testes, qui sine discrepantia contestentur; nam valde periculosum est ab exemplaribus Conciliorum generalium in iudicando discedere.

Tandem omissis alijs probationibus addere oportet aliam ex Concilio Constantiensi, pag. 899. col. 1. edit. Colon. nam pro articulis publicæ prædicationis Ioãnis Hus quamquam probati essent nonnulli per quinq, aut sex cõtestes, veluti articulus 18. 19. 21. 22. noluit tamen ab ipso abiurari, quia negabat â se prædictos articulos prædicatos: quo iudicio monstrauit Concilium ea, quæ in publicis conuentibus dicta sunt, totius fere auditorij contestationẽ desiderare, & simul statuit non semper esse sufficientẽ numerum senarium contestium, adhuc contra Doctorem vehementer suspectum qualis fuerat Ioannes Hus, vt probatio conueniens existimetur.

Quoniam veró accidere potest, vt nonnulli conspirato animo ad audiendum Magistrum aliquem, vel diuini Verbi prædicatorem conueniant, & mutuo se, & alios prouocent ad falso contestandum, oportet, vt Iudices præuia informatione de ijs, qui adstiterũt, illos testes interrogent, qui à nemine fuerint citati, aut nominati; quod si hi ab alijs dissentiant, superest examinare, an accúsatores, vel delatores mutuo se coniurauerint in perniciem Magistri, vel Doctoris.

Circa retractationẽ eius, quod publicẽ dictum est si illud fuit hæreticum, erroneum, blasphemum, aut suspectum de fide, aut superstitiosum, legibus Canonicis, & stylo sancti Officij cautum est, qua solemnitate abiurationes fieri debeãt, verùm si propositiones dumtaxat sint scandalosæ, aut temerariæ, aut similis alterius censuræ ex inferioribus, solùm retractandæ sunt, nã raro eius conditionis existunt, vt abiuratio illis adnectatur, nisi specialibus litteris Apostolis ita decernatur.

Pro alijs casibus, in quibus de fabulis, aut assertis improbabilibus è pulpito prædicatis scandalum oritur Angelicus Doctor opusculo duodecimo ad Lectorẽ Bisuntinum scripsit, quando & qua forma fieri debeat retractatio. Variæ sunt propositæ D. Thomæ quæstiones, & assertiones à concio-

cio-

de ijs, quæ sensu corporeo ipse cognoscit, Baldus in capit. fi. ij de hæreticis, Farinacius de testibus, quæst. 68. à numer. 63. & consequenter non valet testificari auditor, an clausula à Doctore, aut prædicatore prolata sit hæretica, aut erronea, cum id pendeat ab actu intellectus, qui ad testem non pertinet, sed ad iudicem, qui ex formalitate verbi, de qua testis deponit, format conceptum intelligentiæ, an scilicet verbum sit hæreticale. Præterea testis, quatenus talis solum deponit de formalitate verbi, aut facti à se visu, vel auditu cogniti, cum id solùm sensu corporeo possit cognosci, vt tradit Baldus in dict. cap. Filij de hæreticis, Albertinus de assertionibus Catholicis, quæst. 34. num. 47. Consequenter Doctorum communis sensus est, ad hæresem comprobandam, non sufficere, vt testes deponãt reum esse hæreticum, apostatam, Iudæum, aut Mahometanum, cum id corporeo sensu nõ percipiatur, sed necesse est de facto, aut verbo formali deponere, ex cuius cognitione possit specifice formari conceptus de hæresi, aut apostasia, quæ imputatur ex Menochio consil. 82. numer. 162. lib. 1. Id circo, nullatenus probat testis deponens se, aut vidisse, aut audiuisse nõnulla ex quibus alter se hæreticum, mahometanum, aut iudæum declarauerit, eo quòd non specificet actus, aut formalia verba, per quæ iudex concept generet de apostasia, vel hæresi de alterius. Nõ enim munus testis est, neque ad eum pertinet iudicare, an factum, aut verbum sit declaratorium hæresis, aut apostasiæ, quia idest actus intellectus: ad testificantem vero solum spectar deponere de ijs, quæ perceptibilia sunt sensu corporeo, vt in simili contra testes in causa hæresis excedentes officium testium, & non deponentes de verbis; sed de effectu tradit Oldradus consil. 201. num. 6. quẽ refert, & sequitur Menochi consil. 82. num. 161.

Secundò in prædictis casibus in quibus, necesse est, vt testes deponant de formalitate verborum requiritur, vt omnes testes contestentur vnanimiter de eadem formalitate verborum, vt decernit Antonius de Butrio in cap. Nihil de verborum significatione, & ibi Abbas, & alij, quam sententiam approbaut, Gabriel consil. 42. à num. 3. De-

cia-

Quintò, si verba in concione, aut actu publico enunţientur, exactior probatio desideratur, & maior numerus testiũ omni exceptione maiorum. Primò, quia licèt Doctores in causa hęresis decernãt sufficere artificialẽ probationem ex coniecturis, & suspicionibus secundũ Mascardum conclusione 861. & admittendos esse testes inhabiles cap. in fidei fauorem de hæreticis lib. 6. & Mascard. conclus. 857. Verùm istud contingit, quia crimen occultum sit, & clandestine patrari soleat, atque adeò pro manifestatione necessarius sit fauor, quo probationes facilius constari queant. At si crimen publicum sit, & actus coram multitudine patratus, cessat hæc ratio, & permanere debet regula ordinaria, & solennis stylus, vt ad delicti probationem adsint argumenta luce meridiana clariora ex ijs, quæ Doctores adstruunt in l. fin. C. de probationibus, Mascard. conclus. 26. num. 4. & conclus. 408. numer. 12. Deinde, quia si actus est publicus, & popularis, illum velle probare duorum, aut trium testimonio, præsumptionem calumniæ importat, namsi verè contigisset, non tam exiguus numerus testium adhiberetur, cum per plures probari potuisset, vt in simili considerant citati à Deciano consilio 83. à numer. 24. lib. 3. Atque in hoc casu hæc ratio vrgentiùs concludit: nam verba in sermone, aut conuentu publico prolata, si hæreticalia fuissent, singuli auditores obligabantur ea deferre ad Tribunal sanctæ Inquisitionis, & cum tanta, & tam copiosa fuerit audientium multitudo, quorum singuli Catholici erant, vehemens oritur præsumptio de odio, aut sinistro affectu delatorum, & de falsitate testimonij ipsorum, quæ fuit potissima ratio Concilij Calcedonensis, & Beritensis, ne admitterent accusationes aduersus Ibam. Nam cum ab ipso prædicata publicè, dicta fuerint in conuentu Clericorum, & fidelium, si hæreticam notam mererentur, plures alij delatores exstitissent, cum omnes, & figuli ad deferendum tenerentur. Tertiò, quia cum necessaria sit ad contestationem formalitas verborum, vt suprà diximus, debet

plures interrogari, nam si discordantia interueniat cuiuscunque formalitatis, etiã accidentalis, non conflatur probatio, perinde ac si essent testes contrarij, vt docet Farinac. de testibus quæst. 64. num. 70. & quæst. 65. num 28. Quartò nam si duo, aut tres testes dicant se quædam verba in concione audiuisse, & alij asserant se illa nõ audiuisse, hæc negatiua affirmatiuæ æquiualet. Nam in materia de auditu proprio æque probat testis in affirmatiua de auditu, atque in negatiua, supposito, quod fuerit præsens, & non audierit, vt tradit Decianus consil. 83. numer. 24. lib. 3. Farinacius de testibus quæst. 69. num. 152.

De natis propositionum, & doctrinarum, quæ censuram Theologicam non merentur. Cap. XVII.

Solent nonnulli doctrinas aliquas traducere, & infamare ex titulis nouitatis, non necessitatis, inutilitatis, improbabilitatis, & similibus absolutè cum censuris Theologicis prædictas qualitates numerantes: idcirco quid in hac re dicendum sit, breuiter expediemus.

Prima assertio. Sola nouitas non inducit censuram, id est, si doctrinæ Scripturis, Decretalibus, Cõcilijs, aut vnanimi Patrum, & Scholasticorum iudicio non opponantur, illarum nouitas nullam censuram Theologicam continet, nec gradum propositionis damnabilis: idcirco extra rem sunt, quæcunque extrahuntur à Concilijs, & Patribus dicta contra nouitates hæreticas, erroneas, & temerarias in fide, cum applicantur aduersus nouitates, quæ Ecclesiæ, & receptæ doctrinæ non aduersantur. In rebus Theologicis nouitas vitanda, vt firmat Radulphus libro de Canonum obseruantia, proposit 6. verum non illa, quæ antiquitati, non aduersatur. Debet Scriba doctus iuxta consilium Christi proferre de thesauro suo noua, & vetera. Has nouitates, quæ sine præiudicio fidei, & religionis quotidie emergunt, laudant Phil. lib. 1. de Moyse. August. tract. 97.

in Ioān. & 20 de Ciuit. cap.20. Basil. lib. de Spiritusancto, Isidorus Pelusiota lib.2. Epist.46. Nicephorus Patriarcha in librum Synesij de insomnijs, Ricardus de Sancto Victore tractat. 1. de tabernaculo fœderis. Ideò Ecclesia magis illustratur indies, quasi aurora consurgens iuxta Hieron. procem. in Euāgel. Diu. Thom. quodlib. 12. Caiet. 22. quæst. 1. artic. 7. Cordub. lib. 1. quæst. 44. Pereir. lib. 3. in Genes. quæst. 5. & lib. 7. ad calcem. nō igitur improbandæ sententiæ, quia nouæ, vt expendunt Simancas de Cathol. instit. cap. 50. Gerson. de vita spirituali, coroll. 8. Carthus. lib. 2. sent. in protestatione ad Prælatum. Plures alij ex Philosophis, & Oratoribus idem attestantur, Gal. 2. de cōpos. medicam. c. 8. Seneca de vita beata, Plutarchus lib. de audienda poesi. Plinius in præfat. lib. 3, historiæ, alter Plin. lib. 1. epist. ad Tacitum, Themistius orat. 5. & 10. Socrates in Charmide, Tullius 3. de officijs, & reliqui. Secundò probatur idem intentum, quia propter validas rationes licet interdum antiquorum opinionem in controuersijs extra fidem positis non sectari, vt conueniunt ex ordine Prædicatorum Durandus in præfatione suorum operum, Caiet. prohæm. in 1. part. Canus relectione de pœnit. part. 4. & lib. 7. de locis c. 3. lib. 8 cap. 4. & 5. lib. 9. cap. 7. lib. 10. cap. 5. lib. 12. in procem. & cap. 4. Bañez 1. part. quæst. 1. art. 8. Turrecrem. distin. 9. & 15. Catharinus lib. 2. de concept. Vielmius orat. Apol. aduersus obtrectatores Theologiæ. Dominicus Soto cap. de quantitate, Paulus Grisaldus in decis. fidei Cathol. verbo. authoritas. Innumeri alij: ex ordine Minorum, idem statuunt OKā tract. de corpore Christi cap. 36. Castro 1. aduersus hæreses cap. 7. Ioānes Rada epist. ad Lectorem præfixa controuersijs, Hugo Magnesius in Apologia pro Scoto, Dermitius Thadeus in defensione Seraphicæ Religionis, Cordub. lib. 1. quæst. 17. & 37. & lib. 4. quęst. 1. & 2. Vbi refert Gersonem, & Abulensem. Ex alijs ordinibus, aut professionibus, Henricus artic. 16. summæ quæst. 8. Gerson. tom. 1. epist. ad Fratrem Barthol. Carthus. Maior. in 4. distinct 10. quæst. 3. & innumeri alij. Similia in suo gradu ex Philosophis scripsere Plato in Phædro

dro. Gal.2.de compos. medicam. cap.8. Cornel.lib.2.de remedijs cap.14. Tullius lib.de Oratore, & 3.de officijs; & lib. 2. 3. 4. Tuscul. Seneca epist. 52.& lib. de vita Beata cap. 15. Tacitus lib.3. Annal. Quintilian. lib.10.institut. cap.25.& lib.12.cap. 2. Themistius orat. 4.& 15. Vellerius Paterculus lib.2. & alij fere omnes gentiles Philosophi, & Oratores : ergo ex communi Doctorum sensu sunt casus non pauci, in quibus licet nouam opinionem fundare contra antiquorum sententiam in rebus fidem, & religionem non tangentibus. Quoniam in præmissis scriptoribus plures sunt probationes huius intenti, non expedit eas hic replicare. Ex quibus fit, solam nouitatem opinionum nullatenus esse censuram Theologicam. A fortiori dicendum est cum Puente Hurtado disput.81. de fide sect. 7. cùm recens est quæstio, & ab antiquis proximè, vel remotè non tractata, necesse esse, vt vtraq; opinio sit noua, & consequenter sine præiudicio damnationis possit doceri.

Secunda: non inducit censuram Theologicam tractatio, & decisio quæstionum, quæ ad fidem, & religionem non sunt necessariæ, quemadmodum his verbis docuit Melchior Canus lib.12. de locis capit. 5. *Plena est Diui Thomæ summa talium quæstionum ; non enim Theologus semper de necessarijs differit, sed quandoque etiam de ijs, sine quibus salus, religioque constat.* Latè in eo capite, & sequenti differit, & explanat regulas, quibus dignosci possint, & discerni quæstiones, quæ ad fidem, & Religionem non sunt necessariæ, ab illis, sine quibus fides, & religio non subsistit. Eamdem doctrinam sæpe scribit, & transcribit Grabrina tom. 3 præscript. part. 1. controuers. 1. quæst. 1. præcipuè pag. 20. vbi aduertit esse innumeras quæstiones in Patribus, & Scholasticis non pertinentes ad fidem; illæ vt discernantur, octo consignat regulas. Pagin. 38. 39. iterum expendit, qua ratione Patres sæpissimè arbitrabantur nonnullas emergentes quæstiones ad fidem non pertinere. Similiter Bellarmin. tom. 1. edit. Lugdun. anni 1603. colum. 998. lib. de Conciliorum autoritate, ait Thomistas, & Scotistas dissentire

in

in rebus ad fidem non pertinentibus, ac proinde, nec ad salutem necessarijs, quemadmodum Augustinus scripsit de dissensionibus Doctorum sui temporis lib. 1.contra Iulianum. Hæc assertio notissima est, & extra controuersiam esse debet, licèt nonnulli huius seculi homines ad dam nandas aliquas doctrinas, hunc prætextum adhibere voluerint.

Tertia,non inducit Theologicam censuram inutilitas, aut superfluitas, aut futilitas,aut nimia subtilitas tractationum, & quæstionum: quod vitium maius est, quàm secundo loco relatum, cum plurima sint, non necessaria volumina, quæ tamen sunt vtilissima; itaque longè aliud est quæstionem non esse necessariam, & quæstionem non esse vtilem, sed superfluam, futilem, & nimis subtilem. Hæc assertio est etiam aduersus illos, quos in secunda nomine suppresso consignauimus. Vt igitur constet nullam censuram Theologicam, vel gradum propositionis damnabilis continere prædictas inutiles, & superfluas tractationes grauissima testimonia producimus. Primùm, ex Diu. Thoma initio suæ summæ, vbi de plurimis monumentis Scholasticorum sui temporis statuit miscere multitudinem inutilium quæstionum, articulorum, & argumentorum: nec propterea damnat eos in fide, aut Religione Opusculo 9. 10. 11. plures inutiles, & inauditas Petri de Tarantasia, & aliorum propositiones à censura excusat, atque eas tolerabiles arbitratur. Similiter succedentes Scholastici maximè, qui nostro seculo floruerunt, concedunt hæreticis, plura inutilia tractari in Theologica Schola, simulque docent, non ex eo Theologiam Scholasticam impugnandam esse. Salmeron proleg. 18. *Abusus* (inquit) *quorumdam Theologorum in quæstionibus inutilibus, frigidis distinctionibus non refunduntur in scientiæ legitimæ damnationē.* Valentia in 1.p.disp.1.q.1.punct.2. *Nōnullæ propositiones superuacaneæ, & ineptæ tractātur à Theologis aliquibus.* Vazquez tom.1.in 1.part. disp.7.cap.5. postquam dixerat Theologiam, quatenus in opinionibus versatur, vel à principijs solùm probabilibus, vel per consequentias solū probabiles argu-

argumentatur non esse eumdem habitum cum Theologia, neque eādem scientiam cum illa, cum nō habeat idem genus principiorum, aut argumentorum: addit, negari nō posse multa ab Scholasticis disputari, quæ ad Theologiā, nō pertinēt. Hic est vnanimis sensus Scholasticorum, quem expedit verbis Melchioris Cani declarare, lib. 9. de locis, cap. 7. vbi, vt probet sapiētius esse quædam nescire, quàm scire; sic ait: *Alterum est vitium, quod quidam nimis magnum studium, multamque operam in res obscuras, & difficiles conferunt, easdemque non necessarias; quo in genere multos etiam è nostris peccasse video, vt eas quoque quæstiones latissimè persequerentur, quibus Porphirius abstinuit homo impius, sed in hac re prudens tamen, vt Platonis, Aristotelisque discipulum posis agnoscere: nostri autem Theologi importunis vel locis, longa de ijs oratione disserunt, quæ nec iuuenes portare possunt, nec senes ferre: quis enim ferre posit disputationes illas de vniuersalibus, de nominum analogia; de primo cognito, de principio indiuiduationis? sic enim scribunt: de distinctione quantitatis à re quanta, de maximo, & minimo, de infinito, de intensione, & remissione, de proportionibus, & gradibus, deque alijs huiusmodi sexcentis, quæ ego etiam cum nec essem ingenio nimis tardo, nec his intelligendis parum temporis, & diligentiæ adhibuissem, animo, vel informare non poteram, puderet me dicere non intelligere si ipsi intelligerent, qui hæc tractarunt. Quid verò illas nunc quæstiones referamus, num Deus materiam posit facere sine forma? num plures Angelos eiusdē speciei cōdere? num continuum in omnes suas partes diuidere? num relationem à subiecto separare? aliasque multo vaniores, quas scribere hic, nec libet, nec decet, ne qui in hunc forte locum inciderint, ex quorundam ingenio omnes Scholæ authores æstiment.* Sic plures alij loquuntur, quorum dicta ideò proponenda fuere, vt constet quàm extra cōtrouersiam sit, solam inutilitatem, futilitatem, & nimiam subtilitatem longè abesse à censura Theologica, ne innumeros authores, & scriptores sub ea passim comprehendamus. Cōtingit sæpe, vt quæstiones, quæ nōnullis videntur grauissimæ, & valde necessariæ, ab alijs existimentur super-

fluæ

fluæ, & vanæ. Exempli gratia, disputatur ab Scholasticis verum in hac vita posit explicari modus diuinæ præsciētiæ, cuius certitudo seruet illæsam libertatem futurorum; dicūt plures hāc disputationē esse impertinētē, tū quòd veritas constat ex scriptura, & sicut in alijs mysterijs fidei sola reuelatione Dei cōtenti esse debemus, nostram profitentes ignorātiam circa declarationem difficultatum; tum quòd post tot secula nullus fuerit, qui hāc cōtrouersiam cum satisfactione explanare potuerit: sic opinatur Nominalium Schola cum OKamo in 1. distinct. 38. quæst. vnica Gabriel. quæst. vnica, artic. 2. Gregorius eadem distinct. 38. quæst. 2. artic. 1. Adamus lib. 3. sent. distinct. 14. quæst. 2. Mars. in 1. quæst. 4. & q. 41. artic. 2. Caiet. 1. part. q. 22. Paludan. tractās de libertate, & merito Christi in 3. distinct. 18. quæst. 2. artic. 2. & alij innumeri Scholastici huius temporis. Nihilominus, quia alijs etiam eruditissimis hæc quæstio videtur esse vtilis, & captū nostrū non superare, nō est superfluum lōgiores de illa disputationes instituere. Similiter arbitrātur per obsequium fidei acceptandam, & nō indubium per disputationes ventilādam Phisicam prædeterminationem. Bañez 1. part. quæst. 22. art. 4. & quæst. 23. artic. 3. dub. 3. Aluarez tota disput. 118. Ledesma de auxilijs artic. 10. & 11. Blasius Verdun. in relectione cōtra scientiam conditionalem, & plures alij eiusdem opinionis authores; nihilominus nō est inutile de ea thesi disputare. Tractāt præterea Theologi, an posit explicari libera volitio Dei, & cōciliari cū ipsius simplicitate, & immutabilitate: arbitrātur graues Doctores cum Gabriele Vazquez, & Martino Albiz. in 1. part. c. 19. esse inexplicabilem eam difficultatem, neque ingenio humano superari posse: idem iam olim indicarunt grauissimi Scholastici cum Henrico Gādauensi in summa artic. 39. decernentē plures quæstiones de scientia, & voluntate esse superfluas, & vanas. Nihilominus, quia alij graues etiam Doctores prædictas cōtrouersias ediscerunt, & fusioribus tractationibus illustrāt, & per subtiliores inuestigationes distinctionum virtualium explanare conātur, nō est eorum studium cōtemnendum, neq; similis opera inter superfluas

inuti-

inutiles, & vanas cōnumeranda. Innumera sunt huius generis, quæ licèt probabile est ex authoritate plurium esse inutilia, omittenda non sunt, quia alijs vtilia videntur ad explicanda fidei mysteria. Quæ diximus hactenus de Theologia, similiter reperiūtur in alijs facultatibus, nominatim in iuris Canonici, & iuris ciuilis professoribus. De ipso decrēto Gratiani plura possent produci, verùm sufficiet breuiter insinuare, quàm multa in eo capita reperiantur, quæ futilia instar paleæ existimentur à plurimis.

Nomen *paleæ* pluribus capitibus Decreti præfigi solet. Prologus editionis Romanæ anni 1584. huius tituli causam his verbis expendit: *Multi ea capita, in quibus res inanes, ac leues continentur hoc nomine appellari censuerunt.* Idcirco ex multorum opinione plura sunt capita in Decreto certa res hoc tēpore leues, inanes, & superfluas. Distinct. 5.6.9.18.25.27.31.32.34.37.38.42.44.50.54.56.61.63.64.75.78.81.88.91.95.96.100. sunt quadraginta nouem capita sub præfata inscriptione, *palea*, causa: 1.2.3.4.5.6.8.9.10.11.12,13.14.16.17,20.21.23.24.27.30.31.34.35. reperiuntur alia quadraginta nouem capita sub eodem, *Palea*, titulo. Hæc sufficiant pro eximēda à censura inutilitate tractationum, aut quæstionum.

Quarta assertio: sola improbabilitas opinionis non inducit censuram Theologicam, si non alia qualitas propositionis damnabilis illi coniungatur. Puente Hurtado disput. 81. de fide. sect. 7. illam ait esse opinionem improbabilem, quæ, cum non habeat pro se, nec contra se auctores aliquos, dicitur omnino sine fundamento. Latè de nota improbabilitatis differit Turrianus in Selectis, disput. 30. pagin. 1?7. Suadetur assertio, quia non liceèt addere gradus propositionis damnablis sine autoritate Conciliorum, Patrum, & Scholasticorum; at neque Concilia, neque Patres; neque Scholastici inter gradus censuræ Theologicæ collocarunt improbabilitatem opinionis seiunctam ab alijs qualitatibus hæresis, erroris, scandali, temeritatis, & similium: ergo improbabilitas sola non inducit censuram Theologicam.

In controuersijs de rebus naturalibus, aut purè Philosophicis, aut extra fidem, & bonos mores positis, nullus consensus Doctorum propositiones damnabiles reddere potest.

Cap. XVIII.

IN ijs quæstionibus nullum est probabile periculum, vel inconueniens si vniuersi fideles, & Patres, & Scholastici veritatem ignorarent, aut aliter quàm res sunt, opinarentur, vt probant Canus lib. 7. de locis cap. 3. Grabrina; tom. 3. præscript. p. 1. pag. 13. 14. 16. 19. Turrianus in Selectis disp. 1. dub. 7. Bañez 1. part. quæst. 1. art. 8. & cômuniter Theologi ex D. Thom. opuscul. 10. Paucis verbis D. Ambros. in Psal. 118. ad illum versic. *Fundasti terram* huius à Iecti fundamentû côsignat: *Non* (inquit) *est cura sanctis axem cæli, & elementorum spatia philosophico more, numerisque describere, quid enim prodest hoc saluti? quia sancti spiritualibus semper intenti.* Cû igitur nec arcana naturæ vtpote ad salutê nô necessaria Sancti, & fideles nô scrutentur, nec per oracula Scripturarum illa côtinent, nullum est incômodum, si vniuersæ Ecclesiæ Dei occultêtur. Nam iuxta cômunem doctrinâ Theologorum Christus Deus mortuus nô est, vt homines philosopharentur, aut Medicinâ, vel Methaphysicâ, aut scientias alias humanas ediscerêt. Sic Augu. lib. 1. ad Simplicianû q. 2. & lib. 2. de spiritu, & littera, capit. 7. D. Thom. 12. q. 109. art. 1. vt expendunt Suar. 1. de gratia c. 1. Vazquez 12. disp. 188. Torres disp. 1. de gratia, & reliqui.

Propositam veritatem vno, aut altero exemplo côfirmabimus. Ioânes Vvicleph. sententiâ Epicureorum de côpositione côtinui ex punctis, & instantibus paulo ante Côcilium Côstâtiense pertinaciter defendit. Anno Christi 1415 multi articuli Vviclephi hæreseos cum alijs lenioribus censuris sunt côdemnati. At præter quadraginta quinq; articulos principales, qui ses. 8. dânantur, alij 260. extra prin êtes ab eadem Synodo reprobâtur. Postea ses. 15. leguntur quinquaginta sex articuli, & residuos habuit pro lectis sen-

ctia Synodus, horum quinquagesimus: *est linea aliqua mathematica componitur ex duobus, tribus, vel quatuor punctis immediatis, aut solùm ex punctis simpliciter finitis, vel tempus est, fuit, vel erit compositum ex instantibus immediatis. Item non est possibile, quin tempus, & linea, si sint taliter, componantur*, & subditur proximè censura. *Prima pars est error in philosophia, sed vltima errat circa diuinam potentiam.* Hos omnes articulos, & eorum quemlibet Cócilium generale, tûc acephalû sine legitimo capite reprobat, & condemnat post vnanimem censuram Academiarum, & Prælatorû. Nihilominus Martinus 5. ses. 41. solû quadraginta quinq; articulos principales aduersus Vviclephû códemnat, & non alios 260. sessionis decimæ quintæ memorat. illos dûtaxat quadraginta quinq; articulos Episcopis dat pro fidei directione; cæteros extra pendentes non affert in mediû: & quâquam ipse Martinus Cardinalis cû esset S. Georgij ad vellus aureum solêniter dânauisset cum celeberrimo mille circiter Patrum Cócilio articulos alios 260. verùm, vt euectus est ad Pôtificatum, & e Cathedra loqui coactus lõgè aliter decernit, abstinens se â censura pluriû articulorum Vviclephi, eorum præsertim, qui ad philosophicâ speculatiuam pertinebant, qualis est ille de côpositione continui permanentis, & successiui ex punctis, & instantibus. Afflatus à Deo nouit philosophicas côtrouersias speculatiuas nullatenus ad iudiciû Ecclesiæ pertinere. Quo loco scripturæ, aut Conciliorum, aut Decretalium, aut qua traditione Apostolica innixus poterat Martinus 5. compositionem côtinui ex partibus, & indiuisibilibus definire? aut qua ratione huius côtrouersiæ decisio ad Christianâ Religionem, vel morum doctrinâ pertinebat? ex quibus omnibus fit, vt quéadmodum tot nationes, tot Academiæ, tot Prælati vnanimiter aberrarunt in Synodo Côstanciensi affigendo grauem notam, & censuram Theologicâ propositionibus philosophicis speculatiuis, sic & in alijs potest côtingere sine dispendio Catholici nominis, & Ecclesiæ. Expedit aliud simile exêplum annectere. Zacharias Romanus Pôtifex dânauit Virgilium Saleburgésem Episcopum, quòd Antipodas defenderet côtrarijs nobiscum pedibus terram calcâtes

tes: nam Bonifacius Episcopus Moguntinus prædictum Virgilium apud Zachariam accusauerat ob eius doctrinam, vt aiunt Ioannes Auentinus, & Keplerus, & Lansbergius. Cómēdauerat causam hāc prædictus Romanus Pōtifex Bonifacio iubens, vt Virgilium si Sacerdos esset à Templo, & Ecclesia depelleret, Sacerdotio in Cōcilio abdicato. Velserus lib. 5. Boicarū Virgiliū ab omni culpa liberat. Illud est certum Pōtificem nihil è Cathedra definijsse, sed iudicialiter tātū, & veluti in quæstione de facto processisse. Fortaßis Zacharias cū D. August. & Lactātio existimauit nullos esse Antipodas, & ideo vindicauit in Virgiliū, sub illa Pōtificiæ dignitate veterē hominē retinuit, neq; omnes opiniones falsas, quæ ei in studijs vitæ antecedentis adhæserant, refutauit. Nihil tamen, vt Pōtifex Catholica fide credendū Ecclesiæ lata lege proposuit, imò statim euocauit Virgiliū ad Romanā Curiam, vt subtili indagatione requisitus si erroneus fuisset inuentus, Canonicis Decretis cōdēnaretur. Errores iudiciales, & interlocutorios ante supremā, & postremā, è Cathedra definitionē Pōtificijs sententijs adhærere posse nō negamus: eos ab illorū è Cathedra declaratione abesse necessario cū cæteris Catholicis profitemur. Certè, vt credamus, solū iudicialiter, non definitiue se gesßisse Zachariā, probatur: nam quòd ait Gregorius de Valentia lib. 8. Analysis cap. 4. nō nisi priùs magna facta cōquisitione in Ecclesia controuersiæ decernuntur, sed, quia vt ait Lyrinensis, nō noua fidei dogmata cōstituuntur, sed eruuntur, ex Patribus, scilicet, & scripturis, atq; id fieri nequit sine magna antiquorum voluminum inuestigatione.

Succurrit hactenus dictis cōmunis Theologorum sensus, quem illis verbis expreßit Gregorius de Valentia lib. 8. Analysis fidei cap. 3. pag. 90. edit. Paris. anno 1610. *Pontifici non est tributa auctoritas ad decernendum res Mathematicas, & philosophicas, sed ad eas solū, quæ pietati, & religioni pro salute animarum sunt annexa.* Idem exprimit Canus lib. 5. cap. 5. & cum ijs vniuersa Prædicatorum, & Iesuitarū familia. Idcirco vehementer cauendū est, ne similes cōtrouersiæ à Theologis, seu Canonistis aduocentur in censurā Theologicā, cum manifeste illius capaces non sint.

Prin-

Principia seu regulæ nonnulla ad instituendum iustam censuram. Cap. XIX.

POstquam in genere de gradibus propositionum, quæ notam Theologicam merentur, dictum est, oportet, vt nonnullis principijs, & regulis hanc thesim illustremus.

Primùm est, si propositio in publica luce sit evulgata, vel prælo commissa, Doctor illius est in legitima possessione publici vsus ipsius. Idcirco in dubio, pro illo est iud. candam text. in l. circa, §. si quis liberum, ff. de probat. Mascardus de probat. vol. n. 3. conclus. 1206 & vt cōtra prædictum Doctorem iudicetur, & ab statu possidendi deturbetur, requiruntur probationes concludentes de hæresi, errore, temeritate, aut alijs gradibus, & qualitatibus supra positis: at cum Doctor publicè non docuit, aut prælo mandauit doctrinam, necdum possidet, & tunc facilior causa sufficiet, vt impediatur ab ea docenda, & euulganda, sicut ad impediendum matrimonium ne cōtrahatur, semiplena probatio impedimenti sat est, cap. super eo, el 2. de testibus, Sanctius lib. 1. de matrimonio disp. 71.

Secundùm est, in dubijs an doctrina aliqua mereatur censuram, benigniorem sententiam ferendam esse, nec licere pœnam certam pro culpa parum certa irrogare, ex capite Pastoralis de causa possessionis: & cum graue onus sit, aut expurgari, aut prohiberi librum Catholici Doctoris, aut eum ad retractationem obligari, necesse est, vt euidentem censuram Theologicam illius propositiones incurrerint; sicut nemo pro dubio latrocinio fustibus cædi, aut pro dubio homicidio suspendi potest: ita nec pro doctrina, de qua dubium est, an sit damnabilis debent autores, vel expurgari, vel ad retractationem cogi. Sic omnes Doctores, cum Sos. lib. 2. aphorism, cap. 36. & cum Regulas singular. 47.

Tertiùm est, si sint plures, & graues Doctores, qui vnam propositionem damnent, & plures etiam doctrina, & gra-

nitate pollentes, qui eam à censura absoluant, talis propositio est probabilis, & nō potest expurgari, aut prohiberi sine cōsultatione Sedis Apostolicæ. Suadet hanc mentem Bellarmin. lib. 3. de interpret. Verbi Dei cap. 7. ex Damaso, Innocencio, Leone, Iulio, Gelasio, & varijs Concilijs statuentibus, quod causæ grauiores fidei ad iudicium Sedis Apostolicæ deferendæ sunt. Expendit autem bene Gerson de examine doctrinarum cōsiderat. 3. has esse causas grandes, nō tam ratione materiæ, quàm ambiguæ difficultatis. Probatur, quia vnus auctor boni nominis reddit opinionem probabilem ex Angelo, & Syluestro. verbo opinio. Nauarro in summa Latina cap. 27. num. 188. Azor tom. 1. cap. 7. quæst. 6. Valentia 1. 2. disput. 2. quæst. 12. punct. 4. Vazquez 12. disput. 62. cap. 4. Sanccio lib. 1. summ. capit 9. Torres de fide disput. 55. dub. 3. & alijs Doctoribus: ergo quādo plures Doctores vni opinioni subscribunt, eam indubitate reddunt probabilem; sed quod probabile est, neque damnari, nec expurgari, nec improbabile fieri potest, sine iudicio authentico Sedis Apostolicæ: ergo nec poterit aliter damnari. Hoc principiū, vt multi btatum tradit Albertinus de agnoscendis assertionibus Catholicis quæst. 8. dicens, similem propositionem de qua quidā Doctores aiunt esse Catholicam, alij hæreticam, nō posse per alium, quàm Summum Pontificem cōdemnari, etiam si per subtiles cōsiderationes hæretica existimetur: citat Gersonem; & caput. Quoties 24. quæst. 1. & cap. Maiores de baptismo. idem tenet Paramus lib. 3. quæst. 5. Vazquez 1. 2. disput. 61. cap. 3. Torres de fide disput. 55. dub. 3. Azeued. in l. 1. num. 59. lib. 8. recop. Ex hoc principio manifestum est, non sufficere ad condemnandum aliquam propositionem, eamvè expungendam, si per opinionem probabilem constet illam esse hæreticam, erroneam, suspectam, temerariam, aut alterius qualitatis damnabilis, si non sit extra opinionem, & dubium illam manifestè, & certò mereri grauem aliquam censuram ex memoratis. Reus furti à iudice potest secundum opiniō. ē probabilem, ad triremes, aut patibulum, aut exilium cōdemnari: in hoc casu nulla est dubitatio circa factū, an sit, vel nō sit crimen, & delictum: si ali-

qua probabilis opinio, aut difficultas in dubiũ verteret an factũ esset culpabile, nulla pœna posset affici auctor eiusdẽ facti, donec exploratum, & certum esset delictũ, vt expedit Bellarm. lib. de laicis c. 15. Ea certitudine præmissa iudex, vel fustibus tundere potest reũ, vel triremibus addicere, vel ad palũ religare, vel laqueo suspendere iuxta varias opiniones: similiter si in doctrinis dubijs cõstare nequit, an habeãt, vel nõ habeãt censurã Theologicã annexã, nõ possunt proscribi, aut dãnari, donec extra cõtrouersiam, & dubium sit, aliquam grauem notam ex dictis cõtraxisse. Postquam id cõstiterit expurganda, aut retractanda est propositio, & auctori secundum opinionem probabilem, quæ magis arriserit iudici, imponenda est pœna ex circunstantijs.

Quartum principium, quando propositio est dubia, licèt nõ possit nisi à Sede Apostolica reprobari, verũ si adeò sit tenuis ratio dubitãdi, vt vix maneat eius malitia anceps, tunc ab alijs tribunalibus fidei poterit cõdemnari, vt probat Simancas tit. 48. cum Gersone, Adriano, & Castro ibidem allegatis, & ratio huius principij est efficax, nã in prædicto casu fundamenta, quæ occurrunt in fauorem prædictæ doctrinæ, adeò sunt debilia, vt absolutè nõ possint eam reddere dubiam, neque probabilem, ac proinde, nec tutam, & saltem cõuincitur ex oppositis argumentis, eam esse periculosam, & scandalosam; sed quando aliqua doctrina periculum, & scandalum continet, indubitate pertinet ad iudicium Inquisitorum: ergo illi poterunt similes doctrinas reprobare, & autores pœnis iuridicis afficere.

Quintùm principium, si plures sunt Doctores, qui aliquam doctrinam damnãt, & pauciores, qui eam absoluunt, non potest alius, quàm Romanus Pontifex ipsam iudicialiter authenticè condẽnare. Hæc assertio in tertio principio comprehenditur, sed quia nõnihil superaddit, seorsim est probanda; nam solet sæpissimè probabilior esse opinio, quæ pauciores habet sectatores, & maior probabilitas ex multitudine autorum, non est iudicanda vt patet, ex l. 1. vulgari Iustiniani, C. de vetere iure enucl. dicente: *Cum possit vnius forsitan, & deterioris sententiæ, & multos, & maiores aliqua in parte superare.* Idem tenent communiter Iurisperiti, & Theologi, cum Azor tom. 1. capit. 7. quæst.

quæst.6. Vazquez 1.2. disput. 62. capit. 4. Torres de fide disput. 55. dub. 3. Sherloquio anteloquio 1. ex Cano, Martinez, Pererio, & alijs; itē anteloquio 4. num. 89. & 112. idem ex cōmuni Thomistarum sensu scripsit Ioānes Gōzal. Albelda. 1. p. q. 1. art. 8. ergo temerarium esset opinionem alioqui probabilē, & fortassis cū minori autorum numero multo probabiliorem condemnare, sine nouo decreto sanctæ Sedis, è Cathedra veritatem declarante. Deinde si Concilia trecentorum, & interdum quingentorum Episcoporum iam olim errarunt, vt constat de Antiocheno, Mediolanensis, Ariminensi, Ephesino secundo, Constantinopolitano sub Leone Isauro, altero Cōstantinopolitano, sub Copronymo; si errarunt iam olim non raro grauissimæ orbis Academiæ, & doctissimorum virorum cœtus, cum theses publicè, & in aliorum luce discuterent, haud mirum si viginti, aut triginta Doctores, vel censores dispersi, quorum vnusquisque sine publica disputatione, & collatione sententiam fert, longè aberrent ab scopo veritatis, & solum duo, vel tres illam attingant. Ex quibus fit iniquum esse illorum iudicium, qui multorum tantùm opinionem attendunt, in ferenda censura cōtra illud præceptum Domini, Exod. 23. *Non in iudicio plurimorum acquiescas sententiæ.* Ideò Pius 2. Epist. 387. hæc scribit: *Nō bene se res habet, vbi suffragia numerātur, nisi pōderentur.* Clement. 3. cap. Capellanus, de ferijs, opinionē quandam pauciorū authorum præsidio fultam præfert quia *meliori, & subtiliori nititur rationi.* Tandem probatur idem principium: nam si quod probabiliter est hæreticum, erroneum, aut temerarium non est absolutè hæreticum, erroneum, aut temerarium: ergo multo minus, quod cū paucioribus Doctoribus est probabile absolutè, & fortassis per principia intrinseca probabilius, ac proinde, nec expurgari potest, nec pro illo auctor, aut reus molestia affici; siquidē pauciores Doctores, illiq; graues, qui aliquā doctrinā tuentur eā probabilē cōstituunt, quāuis plures oppositā sequantur, & probabiliter eam credant esse de fide. Hoc principiū veluti indubitatum supponunt Doctores cū Paramo lib. 3. quæst. 15. Cano lib. 12. de locis cap. 10. illud firsè illustrat Gerson. tom. 1. de examine doctrinarum consider. 3.

Sextum principium, contingere potest aliquam propositionem Theologicam olim fuisse probabilem, & magnorum Doctorum testimonio munitam, quæ nihilominus temporum decursu antiquetur, & non solum improbabilis fiat, verùm etiam graui censura digna. Hæc diuersitas status nō aliter accidet, nisi quod appareat denuo ratio aliqua efficacissima ferè indissolubilis, vel aliquis locus scripturæ, aut Concilij generalis, aut Decreti Pōtificij, qui priores Doctores latuerit; non enim potest opinio olim probabilis aliter antiquari, nisi vel per supervenientem Ecclesiæ cōdemnationem, aut euidentem fere notitiam falsitatis, vel quia illius Doctores ignorauerint antiquiorem canonem, aut declarationem eiusdem Ecclesiæ, vel apertam intelligentiam alicuius loci scripturæ. Idcirco qui pro sua doctrina allegauerit magnos Doctores antiquos, & simul aliquos modernos, euidenter cōuincet non esse antiquatam. Hoc principium illustratur, & probatur à Vazquez 1.2. disp. 62. Sanccio lib. 1. summ. cap. 9. Sairo in claui regia lib. 1. capit. 5. Quod scripsit Bañez 1. part. quæst. 1. artic. 8. dub. 3. posse cōtingere aliquod dogma vno tempore esse cōmune omnibus, & deinde tempore succedente patefacta veritate, à iunioribus oppositum absque temeritate sustineri, nō intelligendum de cōtrouersijs ad fidem pertinentibus; cōmune interdum vno vel alio seculo iudicatur, quod reuera, non in vniuersa Ecclesia; sed in vno aliquo celebri loco cōmune fuit. Sic cum olim Academia Parisiensis neminem permitteret in publicis lecturis immaculatam Virginis cōceptum Scholasticè defendere, propter mandatum Mauritij Episcopi anno 1175. vt expendit Antisiodorensis 3. summæ tractat. 1. cap. 3. Vincent. de Castronouo capit. 20. duobus fere seculis mādatum Episcopale ita viguit, vt quotquot ex vniuersa Ecclesia ad illam Academiam cōfluxere, eam sectarentur opinionem, quæ Mariam grauat peccato hæreditario. Verùm ea Mauritij sententia, & lex solùm pro Academicis lecturis obligabat; extra illas sæpe iidem Doctores negatiuam opinionem tuebantur: & hæc est causa, quare Diuus Thomas S. Bonauentura, Albertus, Paludanus, Herueus, & alij Doctores Parisienses variè, & cōtra-

riè

riè de hac thesi scripserint. Aliter pro actibus Academicis Parisiensibus, vt mandato Mauritij satisfacerent; aliter extra illos, in alijs Academijs legētes, & docentes, vt propriam opinionem evulgarent. Quòd fieri absque culpa potuisse, constat ex Aponte. in 1. Sap. digres. 2.

Septimum principium in veritatibus fidei, quæ fide explicita credere non tenemur, ille, quem vir doctus seduxit, liber est ab hæresi, & pœnis hæreticorum, cap. Apostolos 24. quæst. 3. Penna. in addit. ad Eimericum, in direct. part. 2. quæst. 7. comm. 22. Farinac. de hæresi. quæst. 179. §. 3. Si ignorantia inuincibilis est, iuxta Simācas, Penna, & alios â Farinacio suprà allegatos, & laudatos nulla pœna est reus coercendus. Similiter illi puniendi non sunt, qui bona fide veritaté quærentes in rebus difficillimis errauerunt. Plures Doctores cum Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 8. & 9. Suarez disputat. 19. de fide. sect. 3. Ægidio Chonin. disput. 18. dub. 7. Aragon. 22. quæst. 11. artic. 1. Bañez ibidem, art. 2. & alijs à Farinac. suprà relatis existimant quālibet ignorantiam etiam affectatam, quæ causa sit erroris excusare à peccato hæresis, cui excommunicatio, aliæque Ecclesiasticæ pœnæ imponuntur. Hanc sententiā pro ignorantia affectata non admittunt Sanchez lib. 2. cap. 27. Torres de Trinitate, quæst. 32. Cano. lib. 12. de locis cap. 9.

Octauum principium: hæreticus est, aut grauiter de hæresi suspectus, qui impugnat, aut infamat priuilegia à Sede Apostolica indulta. Habetur cap. omnes distinct. 22. his verbis: *Qui Romanæ Ecclesiæ priuilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum, auferre conatur, hic proculdubio in hæresim labitur*, & paulo post: *Fidem quippe violat, qui aduersus illam agit, quæ est fidei mater.* Sanctus Thom. opuscul. 19. cap. 3. ex hoc textu probat hæreticos, aut de hæresi suspectos fuisse Doctores illos Parisienses, qui detrahebant priuilegio à sancta Sede indulto, ordini Prædicatorum, vt illius Religiosi gradus Doctorum acciperent, & vnum corpus efficerent cum Academia Parisiensi, & addit Sanctus Doctor: *In ijs in quibus Apostolicæ potestati derogant, non solum falsitatis, sed etiam hæresis crimen incurrunt.* Et ratio huius est aperta, nam detra-

here, aut impugnare similia priuilegia, vel ideo contingit, quia ad illa concedenda potestas Pontifici denegetur, & id sine manifesta hæresi authoritatem Pontificiam à Christo datam abnegante dici non potest: vel talis detractio, aut impugnatio priuilegiorum ideo contingit, quòd illis bonitas, & sanctitas nõ insit, & in hoc casu alia hæresis inuoluitur, asserens vitiosos actus velut honestos à Sede Apostolica commendari. Ex hac regula infertur, quàm iuste in catalogis expurgatorijs, aut deleantur, aut prohibeãtur plures libri, qui similes impugnationes indultorum, aut priuilegiorum comprehendunt.

Nonum principium, est hæreticus, aut vehementer suspectus de hæresi qui detrahit, aut impugnat regulas, & instituta viuendi, quæ approbationem habent à Sede Apostolica, præcipuè si de illis affirmet esse scandalosa, nociua, personarum acceptatiua, & malam doctrinam continentia: primò propter fundamẽta in prima regula producta, quæ à fortiori suadent, & confirmant hanc secundo loco positam regulam. Deinde, quia impugnans similes constitutiones, & instituta à Romano Pontifice approbata, virtualiter docet, non esse obediendum Sedi Apostolicæ, neque fidendum illis generibus viuendi, quæ ipsa velut sancta & secura proponit fidelibus vniuersis. Propterea Diu. Thom. suprà postquam ad huius veritatis cõfirmationem allegauerat Sanctum Cyrillum addit. *Vnde patet, quod quicunque dicit non esse obediendum ijs, quæ per Papam statuũtur, in hæresim labitur.* At qui detrahit, & impugnat regulas, cõstitutiones, & instituta viuendi a Pontifice approbata, dicens esse iniqua, aut illicita, aut scandalosa, aut innitencia parum securæ doctrinæ, eo ipso dicit non esse executioni mandanda, neque obediendum Pontifici in eorum praxi, aut executione: ergo proculdubio in hæresim labitur. Tertiò idem stabilitur ab experimento, nam Sedes Apostolica, viuente Diu. Thoma incendio tradidit veluti hæreticos libros quorumdam Parisiensium, impugnantes statuta, & regulas ordinis Prædicatorum, & ordinis Minorũ, & authores veluti Hæreticos proscripsit; ergo similis impugnatio, aut hæretica est, aut vehementer de hæ-

resi suspecta. Quartò, hanc veritatem commẽdāt graues Theologi. Bañez 2.2.quæst. 1. artic. 10, dub. 8. his verbis: *Summus Pontifex*, nullatenus errare potest in confirmanda aliqua religione speciali, quantum ad hoc quòd pertinet ad veritatem doctrinæ, & instituti, & constitutionum, quæ sibi ab aliquo proponuntur, vt *confirmentur*. Et Paulo post, *dico* igitur in conclusione, quòd summus Pontifex nullatenus errare potest in confirmanda aliqua Religione quantum, ad ea quæ sic proponuntur verbo,& scripto, quæ pertinent ad veritatem doctrinæ, imo sane, quòd tales constitutiones approbatæ â Pōtifice nihil contineant Euangelio, aut rectæ fidei, rationive naturali contrarium, & in hoc sensu tam certa est conclusio, vt oppositum non dubitem, *esse hæreticum*. Huic Doctori consentiunt Syluester verbo *Fides*, num. 10. Granados 22. controuers. 1. tractat. 7. disput. 2. sect. 2. Tannerus tom. 3. disputat. 1. quæst. 4. dub. 7. Turrianus disputat. 16. de fide dub. 4. Suares de fide disput. 8. sect. 18. num. 9. & tom. 3. de Relig. lib. 2. cap. 17. num. 18. Valētia 2.2. disput. 3. quæst. 10. punct. 5. Belarm. lib. 4. de Roman. Pontif. cap. 5. Aragon. 2.2. quæst. 1. artic. 10. & cæteri Doctores. Hæretici dũtaxat relati â Gretf. in defensione prædicti capitis Bellarminij huic doctrinæ aduersantur, quibus nullus Doctor Catholicus adhæret; licèt enim aliqui cum Melchiore Cano lib. 5. capit. 5. scripserint, posse in praxi aliquem defectum prudentiæ reperiri, instituendo ordines Religiosos, aut non necessarios, aut inutiles; verum nullus vnquã scripsit, aut docuit, approbari posse â sancta Sede regulam, aut constitutionem, aut malis moribus, aut prauæ doctrinæ innitentem. Tandem ex alia regula inferiùs stabilienda aliud argumentum desumitur, nam ex dictis constat, temerarios præsumptuosos, & pœna dignos esse, qui doctrinas probabiles grauium authorum condemnant, veluti habentes grauem notam censuræ alicuius Theologicæ: ergo â fortiori idem est dicendum de ijs, qui propositiones, doctrinas, aut regulas â Pontifice approbatas eadem nota afficiunt.

Decimum principium, est hæreticus, aut vehementer suspe-

ſuſpectus de fide, qui abſoluit, & liberat à cenſura Theologica propoſitiones, quæ à Sede Apoſtolica damnatæ ſunt, veluti falſæ, & temerariæ, aut qui falſas, & temerarias nominat doctrinas à ſancta Sede approbatas. Hæc regula ijſdem fundamentis ſuadetur, quibus prima, & ſecunda, & præterea pro ea ſunt, vel ipſi Doctores Pariſienſes, qui docuerunt Papam ſine Concilio errare poſſe in definitionibus, nam non obſtante hac ſua opinione addunt obſeruandam eſſe Pontificis ſententiam damnantem aliquas doctrinas, & eſſe temerarium, ſeditioſum, ſciſmaticum, ſuſpectum de fide eum, qui poſt talem authenticam declarationem Papæ non illi obedierit, & ſilendo, & non contradicendo, licèt iuſte & ſancte poſsit fundamenta contraria ſanctæ Sedi exponere, aut in Concilio generali illa repręſentare. Sic Gerſon tractatu dę examine doctrinarum, & in alio de poteſtate Eccleſiæ, & in alio an liceat appellare à Papa. Idem docet proceſſus Academiæ Pariſienſis ad finem Magiſtri ſententiarum.

Vndecimum principium: illa opuſcula, tractatus, & libri ſunt ſcandaloſi, ſeditioſi, ſciſmatici, piarum aurum offenſiui, in quibus culpæ, aut Pontificum, aut Cardinalium, aut Epiſcoporum, aut Regularium, aut Eccleſiaſticorum, ſiue vere, ſiue falſe referuntur, de quibus plura diximus ſuprà integro capite: propterea iubet Clemens. 8. §. de correctione librorum in litteris præfixis indici expurgatorio Concilij Tridentini, vt ſimiles clauſulæ, & carthæ, aut prohibeantur, aut expurgentur. Ideo octaua Synodus ſcripta quædam maledica aduerſus Patriarcham Ignatium ſeueris legibus vetuit, & preſcripſit. Canus lib. 12. de locis, cap. 11. hanc veritatem his verbis explanauit: *Propoſitiones ſcandaloſæ ſunt illæ, ſiue commentitiæ fabulæ, ſeu narrationes etiam veræ, quibus Monachorum occulta vitia, vel finguntur, vel deteguntur, id quòd ſine dubio, ſine imbecillium offendiculo fieri non poteſt: non enim hic ſcandalum more vulgi vſurpamus pro eo quod aures offendit, quod vt fidelis populus horret, ſed pro eo quod infirmis ruinæ cauſam præſtat, & quod ante fidelium pedes poſitum eos facit in illud incurrere, irruere, offendere.* Propterea in Catalo-

talogo expurgatorio plures relationes similes expunguntur lib.4. mensæ philosophicæ Michaelis Scoti capit. 34. 35. 38. 39. 40. 41. & sæpe alias, ex Georgio Vvicelio feruentissimo viro, & rei Catholicæ zelatore plura expunguntur, quæ acriter sunt scripta contra Ecclesiasticos, & Religiosos viros. Cardinalis Bellarminus lib. de scriptoribus Eccles. anno 460. ait pari feruore scribentem Saluianum Masiliensem aduersus Ecclesiasticos excusari non posse. Idem iudicium ferunt docti viri de quibusdam Epistolis Petri Damiani, vt lib. 1. Epist. 2. 3. 10. 13. 15. lil. 2. Epist. 1. 3. 10. 13. & sæpe aliàs, si non authorem à culpa liberaret clam, & confidenter, & ad Principes dumtaxat Ecclesiasticos eas litteras misisse. Similia delentur in operibus Polidorij Virgilij, & aliorum authorum aliàs Catholicorum. Ex libris Hæreticorum passim huius coloris clausulæ delentur. Vt constat ex libris Hieronymi Vvolfij, Theodori Zuingeri, Munsteri, Langi, & aliorum, si conferantur cum indice expurgatorio anni 1612. Quæ omnia apertè ostendunt quã merito Canus hãc postremam regulam adstruxerit, cuius authoritas in ijs, quæ ad inferendam censuram Theologicam pertinent, & in ijs, quæ robuste conuincunt ex testimonio Pontificum, Conciliorum, traditionum, Patrum, & Theologorum inde constat, & lucet, quòd D. Ferdinandus Valdes Inquisitor Generalis triennio post mortem authoris opus excudi, & euulgari iusserit post approbationem, & examen illustrissimi Ordinis Prædicatorum, & singulariter Collegij Salmanticensis; deinde quia vniuersus ordo prædictus, vt prima principia suspexit, & coluit Canones, & regulas præscriptas à Melchiore Cano, eas, aut supponens, vt certas, aut probans, vt patet ex Bañez, Seraphino, Razzio, Albelda, Nazario, Ripa, & alijs in quæst. 1. art. 8. primæ partis.

Qui-

Quibus, & quando, & sub quibus conditionibus committi debeant examinanda doctrina. *Cap. XX.*

PRæmittendum est cum Bellarminio lib. 3. de interpretatione Verbi Dei capit. 20. colum. 146. edit. Lug. ann. 1603. aliud esse interpretari legem more Doctoris; aliud more iudicis. Doctor non proponit sententiam suam, vt necessario sequendam, sed solùm quatenus ratio suadet: at iudex proponit, vt sequendam necessario. Patres, Scholastici, & Censores funguntur officio Doctorum; at Pontifices, Cõcilia, Episcopi, & Tribunalia fidei funguntur officio iudicum. Consequens est quod addit lib. 1. de Concilijs cap. 6. colum. 849. eiusdem editionis. Iudicium inquit publicum doctrinæ fit à indice publico, cũ authoritate, vt teneantur cæteri acquiescere: iudicium priuatum quale est iñ disputationibus Theologorũ, neminem obligat. Est igitur duplex examen doctrinæ vnum Magistrale, aut Doctorale, alterum authenticum, & iudiciale, vt doctores omnes profitentur: examen Doctorale, seu Magistrale, seu consultiuum iure diuino pertinet ad Episcopos, & eruditissimos viros, & authoritate Apostolica ad Academias Catholicas; ita expresse docent processus Parisiensis Scholæ ad finem Magistri sententiarum appositus. Turrecremat. distinct. 15. Gerson. de examine doctrinarũ, in quinque considerationibus primis. Almainus de authoritate Ecclesiæ, & alij innumeri. Aliacensis de authoritate Ecclesiæ part. 1. cap. 4. ex Isidoro, & Damaso probat singulos Doctos audiendos in prædicto examine, & neminem respuendum, qui audiri postulauerit, atque id esse sanctum, & licitum, constat ex Concilio Trident. ses. 18. pollicente se præstiturum benignam audientiam in causis librorum ijs, qui eam postulauerint.

Examen authenticum, aut iudiciale illud est, quo præmisso Doctorali, aut Magestrali Iudices causarum fidei, & morum decernunt doctrinas aliquas, aut esse obnoxias cen

suræ,

furæ, aut ab illa liberas, indicta lege prohibente, ne quis similes propositiones, aut tueatur, aut damnet, sub pœnis ad arbitrium iudicum appositis, aut apponendis. Hoc verò iudicium duplex est, vt nuper relatus processus, & Doctores animaduertunt, alterum non vltimum, & merè iudiciale, aut quasi interlocutorium, quale est, quòd fit ab Episcopis, vel Tribunalibus Episcopales vices habētibus, vel Cōcilijs Prouincialibus, aut nationalibus, vel Romano Pōtifice nolēte è Cathedra definire, sed solùm iudicialiter, & veluti in quæstione de facto decernere; alterum iudicium est vltimum, & authenticum finaliter, quale spectat ad solam sanctam Sedem cum Cōcilio generali, aut sine illo volentem è Cathedra determinare. Vtrumque iudicium præmittit ex necessitate examen doctrinale, siue magistrale, pro quo obseruandæ sunt conclusiones succedentes.

Prima: à iudicibus doctrinarum necesse est, vt cōsulan periti in vnaquaque arte, aut facultate, iuxta exigentiam materiæ, V. g. Si dubitatur an propositio examinanda sit illusoria iurisdictionis Ecclesiasticæ, vel de thesi pertinente ad sacramēta, censuras, beneficia Ecclesiastica, census, aut similes tractationes, præcipuè sunt cōsulendi iuris Canonici professores, cum vt plurimum qui Scholasticam, & pugnacem Theologiam docent, his disputationibus non ex professo incumbāt. Si verò de intelligentia alicuius sacri Textus dissidium est, principaliter consulendi sunt interpretes sacræ paginæ, qui etiam Scholasticam Thelogicam cum laude didicerint: sunt enim plures graues, & celebres Scholastici, qui sacras paginas, & sanctorū interpretationes penitus ignorent. Si de materia morali, quæ ex Philosophia naturali pendeat, lis sit, in primis consuli necesse est eos, qui singulariter huic philosophiæ incubuerunt; nam & sæpe accidit peritissimis Metaphysicæ, Theologiæ, aut ad hanc partem moralem leuissimam operam applicuisse, aut ingenium habere pro quæstionibus realibus, & sensibilibus minus accōmodatum, imò vt expendit Vazquez 1. part. disput. 7. scientia moralis nō pertinet ad Theologiam, sed est distinctus habitus, & scientia ab illa: si de propositionibus iniuriosis, seditiosis, scismati-

maticis, scandalosis ambigitur, cum pro his nulla sint principia Theologica, viri prudentes, & experti magis sunt consulendi, quàm Theologiæ Scholasticæ professores, cum illi ex regiminis experimento, ex multorum conuictu, ex naturali prudentia melius, & tutius ducant ad cognitionem eius, quòd iniuriosum sit, vel seditiosum, vel scismaticum, vel scandalosum. Si de proprietate vocum, & legitimo sensu earum lis est, ad cognoscendum an propositio suspecta sit, aut æquiuoca præcipuè sunt consulendi periti sermonis Latini, & Græci, & idiomatum vtriusque linguæ, aut alterius vnde oritur difficultas. Si de controuersijs fidei nostro tempore excitatis litigetur, ij aptiorem operam, & subsidium impendere possunt, qui singulariter ad hanc partem applicuerunt animum, quæ valde distat â Theologia Scholastica. Si controuersia sit de materia Ecclesiastica, cuius principia ex medicina fluant, vel ex alia, facultate naturali, periti in his artibus necessario consuli debent. Semper præoculis indicum stet vetus illa parœmia, vt peritis in arte fides adhibeatur. Sic Arist. 2. top. 2. & l. 1. ff. de ventre inspiciendo, §. *quod autem* in authentic. de non alienandis, Farinac. de testibus lib. 1. 3. quæst. 65. n. 187. & 240. Sanchez lib. 6. matrim. disput. 41. lib. 7. disp. 113 & lib. 8. disput. 6. Simancas de Catholicis institut. capit. 41. numer. 13. Antonius Gabriel ex Viuio opin. 249. Syluester, verbo Doctor §. 2. Nauarr. cap. 27. num. 287. cum Panormitano capit. proposuisti de probat. Conrad. de contract. quæst. vltim. Palac. de contractibus in proœmio. Cordub. lib. 2. quæst. 3. Pinel. 3. part. lib. 2. de rescind. cap. 4. Martinez lib. 9. reg. 40. lib. 10. reg. 23. & communiter omnes. Theologia vniuersaliter sumpta comprehendit totam sacram paginam, vniuersum fere ius Canonicum, omnia Concilia, & Decretales Pontificum, omnes Sanctos Patres, & Doctores, omnem Philosophiam moralem, plura de legibus, & iure Ciuili, plura de philosophia naturali. Sæpe inuenies Magistros peritissimos, qui plures annos detriuerint in Theologia Scholastica, seu Metaphisica tractante de visione, scientia, voluntate, prædestinatione, Trinitate, Angelis, bonitate, & malitia, peccatis

catis, gratia, fide qui nihil nouerint de iure Canonico, Decretalibus, Concilijs, Patribus, Philosophia morali, sacra pagina, & alijs, quæ maiorem partem Theologiæ complent vniuersaliter sumptæ. Alios inuenies, qui totam curam impenderint circa res morales, & tractationes de cōscientia, legibus, virtutibus in generali, & particulari, quæ elucidantur 2. 2. Sacramentis, censuris, & alijs similibus, qui tamen parum curauerint de Theologia Scholastica post quam prima illa sua studia absoluerunt. Alios videbis in sacra pagina exercitatos solùm quoad sensus mysticos, & tropologicos, quos appellare non licèt sacræ paginæ inpretes, nec Doctores Bibliæ, cum nihil circa sensum litteralem, & legitimam intelligentiam sacri Textus insudauerint: atque hos consuli non oportet in controuersijs scripturæ; benè tamen illos, qui exactè illas examinare cōsueuerunt per laboriosam inuestigationem linguarum, & per attentam considerationem interpretum, præcipuè Sanctorum Patrum, & Conciliorum; maximè si benè calleant principia Scholasticorum. Alios noscimus nominatim in ijs regionibus, quas hæresis magna ex parte deuastauit, qui Theologiam de controuersijs fidei nostro seculo exortis apprimè callent, qui nihil fere de Scholastica scientia didicerint; sicut plures sunt, & grauissimi Theologi Scholastici, qui parum, aut nihil sciuerint ex professo de prædictis controuersijs hæreticorum. Quæ omnia sigillatim expendi debent, vt fiat debitus à iudicibus delectus circa personas, quibus doctrinale examen committant.

Secunda: postquam præmissum est examen doctorale, aut magistrale, aut consultiuum iudices causarum fidei nō possunt cæco assensu subscribere paucorum Theologorum vnanimi iudicio, vel etiam plurimorum cum discrepantia pauciorum doctrina, & grauitate præstantium, si non ipsi iudices, præuio proprio examine, & certa scientia, cui moraliter fraus subesse nequeat, nouerint propositiones controuersas esse dignas graui censura Theologica. Ex omnibus gradibus damnabilium doctrinarum, illæ, quæ sunt blasphemæ, male sonantes, scandalosæ, seditiosæ, schismaticæ

R

ticæ, iniuriosæ, illusoriæ iurisdictionis Ecclesiæ, simplicium mentiũ seductiuę, denigratiuæ puritatis fidei, superstitiosę, auersiuæ ab Ecclesia, & fidelibus, cum notissimæ sint, & nihil fere ab Scholastica Theologia dependeant, facile à quibuscunque iudicibus causarum fidei cognoscuntur, & penetrantur; in cæteris gradibus propositionum damnabilium vix ex centum doctrinis, quæ adducuntur in controuersiam iudicij occurrunt tres, de quarum intelligentia non possint iudices non Theologi præuijs informationibus esse plene instructi: tanta debet esse certitudo de prauitate doctrinæ ante sententiam condemnationis, quanta est in iudice condemnante latronem, vel homicidã de malitia furti, & homicidij. Idcirco si obscurissima aliqua controuersia. V. g. de prædestinatione, gratia, auxilijs, fide, aut simili thesi nõ omnino penetrari possit à iudicibus, qui Scholasticam Theologiam non sunt professi, tot debent consuli, & interrogari de qualitate doctrinæ in difsitis locis, vt ex vnanimi plurium sententia idem iudicantium sine conspiratione euidens argumentum emergat de qualitate assertionis accusatæ. Hæc conclusio habet plures, & efficaces probationes, quæ sparsim per capita varia producuntur in hoc tractatu. Et ratio est euidens, quia iure naturali, & diuino eam debent iudices diligentiã impendere in rebus summi momenti, quæ sufficiat moraliter, vt non contingat error grauis, sed in iudicio cõdemnationis doctrinarum nullus potest esse error, qui non sit grauissimus: ergo omnem moralẽ, & prudentem diligentiã, eamque sufficientẽ debent adhibere iudices, ne eorum sententia condemnatoria aduersus aliquas propositiones sit fallax; cum igitur paucorum iudicium doctorale, magistrale, aut consultiuum, etiamsi concors sit, & vnanime, vel plurimorum, cum discrepantia pauciorum doctrina, & sanctitate illustriũ sit valde incerta regula, & quæ in Concilijs generalibus, nationalibus, & prouincialibus non admittitur, vt integro capite huius opusculi irrefragabilibus testimonijs suademus, superest prædictam regulam à iudicibus causarum fidei non esse habendam pro sufficienti fundamento damnandarum propositionum. Vna limitatio, aut exceptio

appo-

apponenda superest: si pauci Theologi censores, vel vnus solus, tot, & tam euidentia fundamenta ab authoritate, & ratione producant, vt manifestè conuincant doctrinam esse damnabilem, tunc opus non est, ad grauiores, aut plures consultationes procedere.

Tertia, in dubijs doctrinalibus consultatio, aut qualificatio Doctorum, vel seniorum viuentium tunc solùm habet locum, quando eius generis quæstiones sunt, vt neque ex scripturis, neque ex decretalibus, neque ex vnanimi consensu Patrum, aut Scholasticorum, neque ex antiquis Catholicorum monumentis, nec ex Sanctorum historijs, aut exemplis, aut veritas, aut probabilitas doctrinæ innotescit, vt constat ex Innocent. Papa distinct. 20. cap. *De quibus orta controuersia.* Et expendunt Archidiaconus, Turrecrem. & alij in prædictum caput. S. Antoninus titul. 17. de lege Canonica §. 18. Quando in fauorem alicuius doctrinæ veniunt aliqui antiqui Patres, aut celebres Doctores Catholici, eas ipso facto eximunt ab omni consultatione, aut qualificatione, iudices vero causarum fidei præter Romanum Pontificem, & generale Concilium non possunt similes doctrinas condemnare, nec eas alio fine Theologis censoribus committere, nisi vt examinent an allegationes sint legitimæ, & casu; quo sint vere, & fideliter allegatæ, videant, & expendant, vtrùm aduersus illas fuerit aliqua Apostolica è Cathedra definitio, vel euidens argumentum, vndè sint antiquatæ, & obsoletæ. Roboratur hæc assertio: primò ex Leone epistol. 90. ad Rusticum Narbonensem, ijs verbis: *In ijs quæ vel dubia fuerint, vel obscura id nouerimus sequendũ, quòd nec præceptis Euangelicis contrarium, nec Decretis Sanctorum Patrum videatur aduersum.* Secundò probatur, exemplo Benedict. 2. qui cum Iuliano Archiepiscopo Toletano iussisset, vt retractaret quatuor propositiones, vbi monstrauit primam esse Augustini, secundam Cyrilli, & Augustini, tertiam Ambrosij, quartam Fulgentij, reuocauit mandatum de retractando, quia decisio Pontificia erat iudicialis, & quasi defacto, non definitiua è Cathedra. Similiter Eugenius 4. edito diplomate non-

nullas

nullas propositiones Abulensis condemnauit, vt narrat Mariana ad finem lib. 21. cap. 18. Verùm quia damnatio fuit iudicialis, & quasi defacto, non diffinitiua è Cathedra, vbi ostendit Abulensis fundamenta doctrinarum, quas defenderat, reuocatum est diploma. Causa Abulensis quoad hanc partem habetur in defensorio ipsius Cum ex antiquorum monumentis veritas non elucet manifeste, tunc maxima est authoritas Doctorum viuentium: sicut iurisdictio, & authoritas Episcoporũ, & Pontificum qui nunc viuunt quoad regimen æqualis est cum iurisdictione primorum Pōtificum, & Episcoporum post Apostolos; sic & authoribus Doctorum præsentium cum directione eorũdem pro examinandis, & docendis veritatibus Ecclesiæ necessarijs nondum certa fide exploratis impar non est *illi*, quàm primi Doctores habuere, etsi merito, & sanctitate inferiores sint, vt docent Canus lib. 8. de locis cap. 4. Abulensis in 24. Matth. quæst. 170. & prol. in Matth. quæst. 5. Caiet. 12. quæst. 1. artic. 7. Bañez ibid. Catharin. lib. 2. de concept. & lib. 1. contra Caiet. pro hæc propositione suprà quadraginta auctores retulit Sherloquius anteloquio 4 in Cantic. sect. 12. & 13. & plures alios author de placitis philosophorum in prologo.

Quarta; decisiones voluntariæ, aut vota irrationalia, quæ nec ratione, nec authoritate vallantur, & muniuntur sunt nullius fere ponderis pro examine, siue doctorali, siue iudiciali, etiam in Concilijs generalibus, vt docet Aliacensis de authoritate Ecclesiæ 1. part. cap. 4. qui præsens adfuit Concilio Constantiensi. Salmeron tom. 12. in Acta tractat. 79. Damasum ait contempsisse magnum numerum Patrum Concilij Ariminensis, & illis vnum Vincentium, & alios paucos opposuisse qui ibidē repugnarant, quod ideo fuit, quia vota plurium, nec ratione, nec authoritate muniebantur; vota verò paucorum à testimonio, & grauibus argumentis fidem habebant. Idem Salmeron qui interfuit Concilio Tridentino, ait in eodem tom. 12. tractat. 44. pag. 378. edit. Matritensis, & ideo existimat, non esse solidum, quòd in generalibus Concilijs deciditur circa controuersias doctrinales à maiori numero, nisi vniuersi,

aut

aut fere vniuersi Patres consentiant, quia possunt pauciores efficacius probare, & verius decernere; & qui plures numero sunt vota habere voluntaria, vlla sine ratione, & testimonio vallata.

Ad condemnationem doctrinarum, tam ad Theologiam, quàm ad mores, & ius Canonicum pertinentium, non sufficit maior pars suffragiorum, etiam in Concilijs generalibus, si non omnes, vel fere omnes Patres, aut Iudices doctrina, sanctitate, & grauitate præstantes vnanimiter consentiant.

Caput. XXI.

VT quæ superiori capite dicta sunt magis innotescant, & iudicia, atque examina doctrinarum sine errore cōtingant, expedit hoc caput annectere. Suppono primo ad condendas leges spectantes ad reformationem, aut ad publicandum, exequendumque sententias circa facta, quæ sine controuersia sunt delicta, sufficere maiorem partē suffragiorum, aut vnius tantum suffragij victoriam tā in Cōcilijs generalibus, quàm in Episcopalibus, aut eorum vicem tenentibus. Pro hac doctrina nulla est lis, & cōtrouersia, omnes in eandem mentem conspirant; omnes plurimas afferunt rationes, & ab authoritate probationes.

Suppono secundo, ad definitionem, aut censuram magistralem, vel consultiuam tantum doctrinarum, cui possint inniti ad iudicialem condemnationē sine propria scientia, & examine iudices fidei, necessarium esse, omnes, aut fere omnes sapientissimos Doctores, & Magistros, qui factiosi non sint, & tumultuarij in eandem sententiam conuenire. Hæc pars ex superioribus capitibus irrefragabilem habet probationem, nam sæpe contingit vt pauciores Patres, vel Doctores plenius, & illustrius cognoscant veri-

 tatem

tatem: prætereà etiam, quòd à paucis sapientissimis, & grauissimis dicitur asseueranter est probabile, aut saltem dubium est, an probabilitatem habeat; sed in his aut dubijs, aut probabilibus sola Apostolica Sedes è Cathedra decernens potest condemnare, vt in superioribus capitibus latius dicebatur: ergo in hoc casu non possunt iudices fidei inniti censuræ magistrali, vel consultiuæ multorum, paucis doctissimis,& grauissimis repugnantibus.

Duæ sunt propositiones, quæ in hoc capite ex professo sunt probandæ, ex quibus duæ proximè suppositæ magis innotescunt. Prima est,ad definitionem dogmaticam, vel condẽnationem aliquarum propositionum in Cõcilijs generalibus non sufficit maior pars Patrum, aut suffragiorum si nõ omnes,aut fere omnes iudices vnanimiter consentiant. Secunda est,ad cõdemnationem,vel definitionem iudicialẽ in Cõcilijs nationalibus,aut Prouincialibus, aut Episcopalibus,vel eorum,qui similes vices tenent,non sufficit maior pars suffragiorum,si non omnes,aut fere omnes iudices vnanimiter cõsentiant in eandem censurã. Quæ in his propositionibus cõprehenduntur veluti certa, & indubitata tradit Pater Alfonsus Salmeron tom. 12. qui est in acta Apostolorum tract.44 pag.378.editionis Matritensis, vt qui earum veritatẽ in Concilio Tridentino quotidianis experimentis didicisset: *Tunc solidum* (inquit) *est quod in Concilio dicitur,si vniuersi Patres in vnum sensum in fidei dogmate definiendo cõueniant,aut fere vniuersi, & nil refert, si pauci dissentiant; at vero vbi Patres fere sunt æquales, aut multi numero, & sanctitate vitæ, & doctrina dissentiunt, certum fidei dogma quomodo condi possit,penitus ignoro, etiamsi ad Canones ad reformationẽ spectantes decernẽdos satis esse possit vnius,aut alterius suffragij victoria.* Huic menti succurrit,quod eodẽ tom.scribit tract.79.pag.715.cum ait: *Damasum contẽpsisse magnum numerum Patrum Cõcilij Ariminensis, & illis vnum Vincentium, & alios paucos opposuisse qui in Concilio repugnarunt.* Probat eandem sententiam tract.84.pag.779. dicens non esse incõueniens,quòd maior pars Ecclesiæ erret: eadem ferè doctrina, licèt alijs quidẽ verbis,traditur à Bellarmino tom.1.cõtrouersiarum, iuxta

iuxta editionem Lugdunensem anni 1603. præsetim lib. 2. de Christo colum. 280. *Nos sequimur Patres, quando simul aliquid docent, non quando proprias, aut singulares sententias alijs contradicentibus defendunt.* lib. 2. de Conciliorum authoritate cap. 3. colum. 870. *Saltem omnes Episcopi præsertim in nomine Domini congregati, quando vno ore nos docent, errare non poterunt.* Et cap. 10. *Concilia Prouincialia possunt de hæresi censere, quando res est facilis, & in qua fere omnes Doctores conueniunt.* Et cap. 11. colum. 895. refert Canum dicentem: *Concilium non posse errare in ijs, in quibus omnes de Concilio conueniunt.* Supponit Canus, & sæpe exprimit maiorem Concilij partẽ errare posse. Suarius disput. 5. de fide sect. 7. n. 11. tractans, vtrum quando Pontifex solùm adest in Concilio per Legatos sine instructione particulari, possit errare totum Concilium cum Legatis definiens, notanter, & diligenter ait, controuersiam esse de toto Concilio, & ait sibi probabilissimum videri, non permissurum Deum, vt erret, quod scilicet totam Ecclesiam representet: nam de maiori parte certissimum est errare posse, nec habere infallibilem assistentiam Spiritusfancti sibi promissam. Quemadmodum etiamsi antiqui Patres Primitiuam Ecclesiam repræsentent, non dicitur esse totius Ecclesiæ sensus, & dogma, quòd maior, aut maxima illorum pars tradit, sed quod omnes, aut fere omnes vnanimi consensu tradiderunt. Idcirco idem Suarius num. 10. probatio. 1. ait ex cõmuni Catholicorum sentẽtia diffinitionem Cõcilij generalis habentis instructionẽ à Papa per legatos de rebus in particulari definiẽdis nulla spectata Põtificis cõfirmatione esse regulã fidei, quia illa definitio habet iam consensum totius Concilij, & Papæ; quod si non totum Conciliũ, sed maior solũ illius pars instructioni Põtificis cõsentiret, manifestum est nouam confirmationem, & declarationẽ Sedis Apostolicæ fore necessariam. In eandem sententiam facit quod refert Gregorius de Valentia in Analysi fidei lib. 8. cap. 7. ex Cano: scilicet Concilium vniuersale sine Pontifice errare non posse, si omnes simul vsque ad vnum in eandẽ mentem conspirent; posse vero maiorem partẽ Ecclesiæ errare.

Idem:

Idem docet Bañez allegatus à Ioãne Azor p. 1. institutionum lib. 5. c. 4. pag. 343. editionis Romanæ dicẽs, omnes simul Patres congregatos in Concilio generali legitimo etiam ante confirmationem Pontificis non posse errare; eorum verò maiorem partem errare posse. Eiusdem sententiæ est Ferdinandus Salazar tom. de conceptione cap. 43. pagin. 448. allegans, & laudans Belarminum lib. 3. de Ecclesia cap. 16. Valentiam 2. 2. disput. 1. quæst. 1. punct. 7. §. 17. docentes omnes Episcopos, & Pastores Ecclesiæ etiã extra Concilium non posse erroneam aliquam doctrinam amplecti: similiter omnium Doctorum Catholicorum pro quolibet tempore viuentium concordem sententiam, etiam extra Concilium, esse infallibilem regulam fidei. Pagina 449. *Ideo* (ait Salazar) *omnes Episcopi in Concilio legitimo generali aberrare nequeunt, non quia in vno locò cõgregati; sed quia totius Ecclesiæ vocem portant.* Aduertenter scribit non solum maiorem partem Episcoporum in Cõcilio, sed longè maiorem pronunciare debere eundem sensum, vt firmam efficiat regulã fidei. Deinde §. 5. pag. 452. subdit, in Concilio rite, & legitime congregato secundum datam sibi à Pontifice instructionem procedente, neq: omnes Patres, neque maximam eorum partem ante confirmationem Sedis Apostolicæ errare posse: & ait rationem esse, quia multo maior Episcoporum pars multo maioris Ecclesiæ partis sensũ exprimit; quapropter monet à Theologis doceri, Põtificẽ sine aliqua alia diligentia per solã approbationem definire posse, quòd multo maior pars Concilij legitimis suffragijs affirmauit. Dicit multo maiorem partem Patrum, idest, omnes ferè Patres, quia si pauci discrepent non vallantes votum authoritate, & ratione eorum non est habenda cura, quemadmodum aduertitur in Concilio Calcedonens. Act. 16. ex regula Sexta Concilij Niceni his verbis: *Si communi omnium consensui rationabiliter probato, & secundum Ecclesiasticam regulam statuto duo aliqui, vel tres per contentionem suam contradicunt, definitio obtineat plurimorum.* Ex plurimis alijs Doctoribus prædictorum scriptorum mens, & sensus stabilitur. Ex Frãcisco Turriano tribus libris de authoritate Põti-

tifi-

tificis, ex Dionysio Carthusiano tribus libris de Cōcilijs, Iacobatio, & Cochleo in libris de Cōcilijs, & alijs innumeris; verū quæ hactenus sunt allegata testimonia, & quæ exēpla, & rationes in decursu producuntur, indubitatā faciunt probationem huius veritatis, quæ proportione seruata efficaciorem vim habere debent in determinationibus iudicialibus Cōciliorum Nationaliū, aut Prouincialium, aut eorum vices gerentiū circa controuersias doctrinales, nā vt expendit Suarius supra num. 16. quæ dicūtur de generalibus Synodis possunt accōmodari ad Concilia Prouincialia, & ad minores cōgregationes iuxta capacitatem cuiusq; & exigentiā causæ & negotij; ea tamen est diuersitas, quod Cōcilia Generalia legitima ex promissione Christi infallibilem habent Spiritus sancti assistentiam, cæteræ verò Synodi non habent, & ideò ad harum sententiam iudicialem proferendam circa controuersias doctrinarum, multo maior debet esse consensus suffragiorum tam doctoralium, quàm iudicialium.

Sanctus Vicentius Lyrinensis, qui floruit tempore Cōcilij Ephesini, horum Doctorum mentē, vt indubitatā expressit in Bibliotheca veterum Patrum iuxta editionem Parisiensem anni 1624. capit. 3. commonitorij col. 57. *Consensionem tenebimus veterum Patrum, si in ipsa vetustate omnium, vel certe pene omnium Sacerdotū pariter, & magistrorum definitiones, sententiasque sectemur.* Ibidem cap. 4. *Quidquid non vnus, aut duo tantum, sed omnes pariter vno eodemque consensu aperte, frequenter, perseueranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognouerit, id sibi quoque intelligat absque vlla dubitatione credendum.* Eadem expressius adhuc, & constantius exprimit. cap. 39. col. 78. & capit. penultim. col. 80.

Ex dictis hactenus fluunt hæ probationes. Prima, vt aliqua propositio sit erronea, & graui censura digna debet esse contra communem sensum totius Ecclesiæ in Concilio, vel extra Concilium; sed quod est contra maiorem numerum Patrum, & Doctorum in Concilio, vel extra Concilium alijs paucioribus Patribus repugnantibus, non est contra communem sensum Ecclesiæ: ergo propositio, quæ

habet nonnullos Doctores pro se, etiamsi alij plures numero in contrarium opinentur, nullam meretur censuram. Quod si in multo minori numero Patrum extra Concilium generale manet propositio probabilis, multo efficacius idem dicendum est, quando intra Concilium generale, vel extra, pauciora sunt suffragia ratione, & authoritate vallata, aut pauciores Patres, & Doctores, aut pauciores iudices, & censores, qui defendant aliquam propositionem nullam censuram mereri. Secunda probatio est, quia ex communi Theologorum sensu in tractatu de conscientia, cum Vazquez 1. 2. disput. 62. Azor. tom. 1. institut. moralium lib. 2. cap. 17. Thoma Sanchez lib. 1. in decalog. c. 9. & alijs potest esse multo verior, & multo probabilior sententia, quae longe pauciores habet pro se Doctores, si illi controuersiam diligentius examinauerunt, & melioribus rationibus innituntur: ergo qui doctrinam pauciorum Doctorum, aut suffragiorum, aut censorum, aut Patrum, aut Iudicum condemnaret veluti censura dignam, aut erroneam, temerarie procederet, & iniuste cum doctrinam manifeste probabilem, & fortalsis cum paucioribus Doctoribus, & suffragijs multo probabiliorem, vt temerariam, erroneam, & censura dignam repelleret. Tertia probatio est, quia praeter Sedem Apostolicam e Cathedra decernentem, aut vnanimem Patrum consensum in Concilio generali definientium nullum Tribunal Ecclesiasticum, etiamsi sit Synodus Patriarchalis, aut nationalis potest propositionem probabilem, aut dubiam in re graui condemnare, vel graui censura notare, vt in superioribus capitibus dictum est, sed doctrina, quae pro se habet pauciores Doctores, aut Patres, aut Iudices, aut censores non voluntarie, sed cum aliquo verisimili fundamento loquentes, & scribentes, est euidenter probabilis, aut saltem dubia in re graui: ergo ratione maioris numeri suffragiorum, aut Iudicum, aut Patrum nullatenus potest condemnari. Ex his probationibus aliae multae eruuntur, sed illae sufficiunt ad veritatis intelligentiam.

At quando delictum est manifeste inexcusabile circa doctrinam, sufficit vnius suffragij victoria ad taxandam poe-

nam erranti, & ad fanciendum an fint legitimæ probationes de perpetratione criminis, atque idem iudicium eſt pro condendis legibus, aut euulgandis alijs ſententijs iudicialibus; in cauſis vero doctrinalibus, vbi tractatur de qualitate alicuius propoſitionis, aut doctrinæ, longè eſt diuerſa ratio, quia vt condemnari poſsit, & debeat, neceſſe eſt, vt non ſit probabilis: & præterea, vt grauem mereatur cenſuram Theologicam, quàm tamen mereri non poteſt cum pauciori numero Patrum, aut Doctorum, aut ſuffragiorum. Hæc, quæ hactenus dicta ſunt firmat praxis omnium Conciliorum, nam in controuerſis dogmaticis vnanimi omnium Patrum, aut fere omnium conſenſu, & non ex maiori parte ſuffragiorum propoſitiones doctrinales fuiſſe damnatas, aut diffinitas, conſtat ex omnibus Concilijs generalibus, & nationalibus, in quibus omnes, aut fere omnes ſubſcripſiſſe in eandem mentem, liquet ex Conciliorum editione Colonienſi anni 1618. induſtria Seuerini Binij. tom. 1. part. 1. pagin. 281. ad finem Concilij Niceni omnes ſubſcribunt Patres nemine diſcrepante, vt patet ex Epiſtola eiuſdem Synodi ad Syluestrum pagin. 284. & altera ad Eccleſiam Alexandrinam pagin. 285. 286. In Concilio Sardicenſi eadem fuit ſuffragiorum concordia, vt conſtat ex pag. 443. eadem concordia viſa eſt in primo Concilio Conſtantinopolitano aduerſus hæreſes Macedonij, & aliorum pag. 536. 537. Similiter in Concilio Mileuitano contra Pelagiū, & Celeſtium, vt conſtat ex pagin. 706. & Epiſtola Conclij ad Innocent. Papam. Par. 2. eiuſdem tomi in Concilio Epheſino idem habetur ſæpe vnanimis conſenſus, act. 1. & 7. & ſæpe alibi, quem expendit Lyrinenſis cap. penultim. commonitorij, illis verbis: *Omnes Epiſcopi acclamauerunt: hæ omnium voces ſunt; hoc omnium votum eſt.* Concilium Calcedonenſe eandem ſuffragiorum cōcordiam obſeruauit actione 1. 2. 3. 4. 5. 6. 16. & alijs, ſingulariter actione 2. proponitur ea conditio, vt *Si omnes conſenſerint, ſoluatur omnis ambiguitas.* Similiter act. 4. pag. 235. 248. actione 5. pag. 254. actione 6. pagin. 259. vſque ad 269. In quinta Synodo generali ideſt Conſtantinopolitana ſecunda legitur idem conſenſus vnanimis

nimis Patrum eodem tomo, parte 2. collat. 8. pag. 112. 116. 121. & sæpe alibi. In Concilio Lateranensi sub Martino 1. consultat. 5. pagin. 475. eadem concordia legitur, & similem facile est in reliquis Concilijs innenire,

Si aliqui Patres discreparunt, explanatur eorum dissensus in Concilijs Act. 4. Concilij Chalcedonensis pag. 235. cum decem Episcopi Ægypti nollent subscribere Epistolę S. Leonis, donec subscriberet Alexādrinus Patriarcha, dixerunt legati Apostolici: *Non possunt decem homines præiudicium facere Synodo sexcentorum Episcoporum.* Similiter Act. 16. eiusdem Synodi pag. 341. refertur ex Concilio Niceno regula illa, quam nuper produximus, vbi duorum, vel trium contradictio in Concilio præsertim ex cōtentione pro nulla habetur: quæ omnia, & alia innumera similis roboris, quæ omittimus demonstrant in Cōcilijs pro doctrinarum cōdemnatione non sufficere maiorē partē suffragiorū nisi fere omnes vnanimiter cōsentiāt.

Quæ audientia sit debita Doctoribus, Ecclesiasticis in causis librorum prohibendorum, aut expurgandorum. Cap. XXII.

LOquor in hoc capite dumtaxat de Catholicis Doctoribus in Theologia, & vtroq; iure, nam cæteri scriptores vt Grāmatici, Poetæ Historici, Medici, Mathematici, Satyrici, Libellarij, & similiū rerum professores, licèt Catholici sint; non sunt tamen Doctores Ecclesiastici: ac pro pterea cum vltra, aut extra suos fines vagantur, aut ea scribentes, aut euulgantes de materijs Religionis, & doctrinæ Christianæ, quæ censurā Theologicā mereri videantur, non est illis audientia præstāda, nec ante, nec post librorum expurgationē, cum omnino sint inepti ad tuendum à se dicta, & scripta circa facultates sacras, quibus nunquā operā, & studium adhibuerunt: atq; hoc genus librorum occupat ex quadraginta partibus autorū secundæ classis, & tertiæ, triginta & nouem partes, ita vt vix quadragesima pars sit pro

Docto-

Doctoribus Ecclesiasticis. Pro legitimis authoribus Ecclesiasticis varij sunt modi, quibus hactenus audientia præstari consueuit; eos suppono antequam præcipuam conclusionem exponam.

Primò si volumina cõtinent plura, quæ expungi debeãt cõmittũtur alicui Academiæ Catholicæ, vt iuxta illius cẽsuram libere possint legi audito, vel autore ipso, vel autoris aliquo vindice, & defensore. Sic cũ opera Ioãnis Feri integre fuissent prohibita ab Inquisitione Hispana, & Michael de Medina eiusdẽ ordinis pro autore ea defendẽda suscepisset, iussit prędictus supremus Inquisitorũ Senatus, vt Salmãticẽsis Academia audito Michaele de Medina censurã adhiberet, & ea præposita ad initiũ ijdẽ cõmentarij Ioãnis Feri publicæ luci cõmitterentur; quæ omnia constant ex testimonio dato ab Alfonso Doriga à secretis supremi Senatus Inquisitionis, & apposito ad initium prædictorũ cõmentariorũ. Exẽplar huius decreti magna ex parte quãquã in dissimili casu habetur in indice prohibitorio Cõcilij Tridẽtini, vbi in littera. D. sic scribitur: *Adagia, quæ iã edita sunt Erasmi Roterodami expunctis locis suspectis iudicio alicuius facultatis Theologicæ Vniuersitatis Catholicæ, vel Inquisitionis alicuius generalis permittantur.* Id videtur intendisse Sixtus V. litteris Apostolicis anni 1587. in quibus erigẽs sacrã cõgregationem de indice ipsi cõmendat his verbis similẽ curã: *Vt vniuersitatũ, Parisiẽsis, Bononiensis, Salmãticensis, aliarumq; probatarũ studia ad librorũ expurgationem, & correctionem excitent, earumq; diligentiã, & industriã requirãt.* Et quãquam ipse prædictæ cõgregationis fuerit erector, iã olim librorũ de hæresi suspectorum examen reuisio, & expurgatio Cardinalibus cõmitti solebat, vt liquet ex cõstitut. 8. Alexandri IV. tom. 1. Bul. pag. 86. edit. Romanæ.

Secundò, quando volumina Doctorum Catholicorũ expurgantur notatis clausulis, & folijs satis superque exhibentur ipsis propositiones, quæ damnantur, facile est ipsis in iudicio defensiones allegare, testimonia, & rationes producendo, aut veram sensus propij intelligentiam explanando, vt Academiæ, & viri docti consulantur, atq; ipsis consul-

conſultis prima expurgationis decreta reuocentur. Difficultas eſt cū totum opus integre prohibetur, in quo caſu ſi autores ſint viri docti, aut ſi eorum Ordines, vel Academiæ, vel Prouinciæ audientiam poſtulent, nunquam capita accuſationis denegantur: atque id ſemper experti ſumus, & quotidie experimur obſeruatum à ſuprema Inquiſitione Hiſpaniarum: id ita faciendum eſſe dictat Concilium Tridentinum, ſecundum editionem Coloniēſem anni 1618. tom. 4. Conciliorum part. 2 pag. 319. ſeſ. 17. his verbis. Propoſitio facta, vt examinentur libri poſt exortas hæreſes, vt videantur variæ cenſuræ: *Ad hæc rite diiudicanda, vt vocentur omnes ex decreto ſanctæ Synodi conſentaneum fore exiſtimauimus ad quos iſtarum rerum aliqua pertinere quoque modo poteſt, ne deinceps inauditos ſe eſſe condemnatos cenſeri poſsint.* Hæc verba propoſitionis, & mentis totius Synodi in cōgregatione generali in nōnullis editionibus ideo omiſſa ſunt, quòd ex ſeſ. 18. iuxta omnes editiones idem ſenſus conſtabat, vt liquet ex pagin. 320. in qua hæ ſunt clauſulæ: *Hæc autem omnia ad notitiam quorumcunque deducta eſſe vult, prout etiam præſenti decreto deducit; vt ſi quis ad ſe pertinere aliquomodo putauerit, quæ vel de hoc librorum, & cenſurarum negotio, vel de alijs, quæ in hoc generali Concilio tractanda prædixit, non dubitet à ſancta Synodo ſe benigne auditum iri.* Quibus verbis ſtatuit Cōcilium benignam audientiam præſtandam in cauſis librorum, non ſolùm Doctoribus Catholicis, ſed etiam omnibus illis, ad quos eorū prohibitio, aut expurgatio quoquomodo pertinuerit; expendātur ea verba: *Si quis ad ſe pertinere aliquomodo putauerit.* Secundò notare oportet vniuerſale Conciliū reputaſſe magnum incōmodum, ſi Doctores Catholici, aut ipſis coniuncti ſe inauditos eſſe cōquerantur. Quantus vir S. Cyprianus, & quia exiſtimauit Romæ fundamenta quibus ipſe innitebatur ad quandam ſententiam, audita, & expēſa non fuiſſe, in ſubſcriptione Synodi, octogintaquatuor Epiſcoporum ſic ait: *Nec quiſquam noſtrum tyrānico terrore ad obſequendi neceſsitatem collegas ſuos adigit.* S. Baſilius Epiſt. 77. grauiſsime conqueſtus eſt de negata ſibi audien-

dientia à quibusdam Iudicibus in causa doctrinæ: litteras querimoniæ ad Damasum Pontificem, & plures Episcopos remisit. Abulensis in præfatione primæ partis defensorij ob eãdem causam nõ libros solùm, sed orbem clamoribus impleuit, quòd sibi denegaretur audientia, etiamsi tunc iuuenis esset. Tertiò, iustissime se gerit Inquisitio Hispana, cũ Ecclesiasticis Doctoribus capita accusationũ exhibet, nam cum ex capite *De quibus*, ab Innocentio I. & capit. *de libellis*, à Leone IV. grauissimè præcipiatur omnibus Iudicibus, & Tribunalibus, ne ab exemplis Cõciliorum generalium in iudicãdo discedant, necesse est, eam audientiam ipsis præstare: quòd si interdum non exhibentur capita notata librorum, qui integre prohibentur, ideo est, quia auctores sunt Grammatici, vel Poetæ, vel Mathematici, vel Medici, aut aliarum artium professores, qui cum omnino se tueri nequeant per Theologiæ, aut iuris principia, quæ ignorant, esset inutilis, & supernacaneus labor; maximè cum hi Doctores Ecclesiastici non sint, de quibus, & pro quibus Cõcilium Tridentinum loquitur, nullum verò detrimentum est, si Grammatici, aut Poetæ, aut Mathematici cõquerantur se non audiri circa ea, quæ professi non sunt, & absque peritia Theologiæ, & iuris tractauerunt: quòd si in Epistolis Synodalibus Concilij Basilensis in responsione, quæ incipit: *Cogitanti huic sacræ Synodo*, ait, *nimium esse periculosum denegare audientiam*. in negotijs doctrinæ, maximè, cum partes vbique locorum diuulgant, eam sibi denegari, intelligendum est de Patribus, aut Doctoribus in Theologia, aut iure exercitatis, non de illis, qui supra captum suum mera instructi Grammatica, Philosophia, Poësi, vel Mathematica, de rebus Theologicis, aut sacra obiter, vel ex professo tractant.

Tandem ante conclusionem supponendum est, cum iudicium librorum integre pendeat ex aliorũ relatione, præcipuè cum multæ sunt propsitiones censura Theologica notatæ, nonnullas fraudes intercedere posse. Primò, si cursim legant examinatores; & mentem auctoris non calleant, aut eius phrasim non percipiãt. Secundò, si examinatores viri docti videantur, nec tamen sint, aut in quibusdam

bussam rebus excellant; vndè gloriam nominis acquisierunt, & aliâs sibi traditas prorsus ignorent. Tertiò, si cõspirent, & ex odio paciscantur. Quartò, si ex defectu partis, & patroni, aut eleuata, aut deprauata narratio proponatur iudicibus. Quintò, si ingenium habeant atrox, & indolem crudelem, de quibus sæpe conqueritur S. Hieronymus nominatim præfatione in Esdram, & Nehemiam, taxans hoc genus obtrectatorum, suæ doctrinæ. Tandem si alijs modis tenebræ offundantur, quos Hostiensis in prohæmio summæ cõpilauit, illos ad nouem capita reducens: propterea ait Pontifex cap. si quando de sententia excommunicationis esse in excusabilia errata iudicia: *Cum per ignorantiam, vel negligentiam, aut occupationem nimiam, vel etiam persubreptionem contingat huiusmodi litteras impetrari.*

His præmissis dico verba Concilij Tridentini, & omnium Doctorum determinantium esse debitam audientiam in causis librorum non esse intelligenda de autoribus, qui Theologi, aut Iuristæ non sunt, si de rebus Theologicis, aut iuridicis tractauerunt, sed solùm de autoribus, qui vere sunt Doctores Ecclesiastici in Theologia, aut iure, quando consideratis circunstantijs, aut probabilitas, aut dubium, aut timor, aut suspicio esse potest de iniusta censura, aut ex ignorantia humana, aut ex fraude, aut ex alijs titulis, quos Hostiensis suprà, & Doctores alij communiter obseruant. Probatur hæc assertio, quoad primam partem, quia cessante fine legis positiuè, cessat lex positiuè ex communi Doctorum opinione in tractatu de legibus; sed pro autoribus, qui non possunt tueri sua scripta propter ignorantiam Theologiæ, & iuris, etiamsi illis audientia præbeatur, cessat positiuè finis legis, vt ex superioribus notum est: ergo, & ipsa lex tunc non obligat; quemadmodum ex suppositionibus innotescit.

Secunda pars manifeste probatur. Primò ex generalibus principijs iuris de audientia præstanda ijs, qui se grauatos arbitrantur. Secundò, ex mente Conciliorum præsertim Tridentini, & Basilensis nuper allegatorum, & ex communi sensu Doctorum præcipuè. S. Cypriani, S. Basi-

lij,

iij, & Abulensis, & aliorũ pluriũ, quos pro re manifesta, non expedit allegare. Tertiò, ex praxi perpetua Ecclesiæ Dei, quam inuiolatè vniuersa Hispania obseruauit; præsertim post erectionem supremæ Inquisitionis, quæ licèt nulli authori tribuat censuras qualificatorum, & earũ fundamenta, si non sit reus cum fulminatione processus, attribuit seorsim positas propositiones, quæ à censoribus condemnatæ sunt, vt eas tueatur. Quarto ex iure naturali, & diuino cum prædictis circunstantijs debita est audientia, quòd non leuis, sed grauis sit infamia, quæ ex prohibitione, aut expurgatione librorum emergit in Authores, Ordines, Academias, Prouincias naturales; non leues etiam sunt impensæ, quæ fiunt in impressione librorum; necesse igitur est, vt indubitatè sint opera inexcusabilia, vt pro culpa certa, pœna certa adhibeatur. Quintò, quia disciplina Christiana grauissimè læditur, si propositiones probabiles condemnentur, vt singulari capite differimus, & omnis censura iniusta grauissimam notam meretur, vt ibidem, ex Pontificibus, & Concilijs manifeste probauimus.

Quam partem habeant seculares in examine consultiuo magistrali, & scholastico, non iudiciali. Cap. XXIII.

EXpedit pro doctrinæ complemento hanc thesim discutere, & varijs assertionibus illam illustrare: nam quæ confuse, & indistinctè circa illam dicta sunt, plura monstra pepererunt. Sic constabit, quo titulo Principes Catholici nonnullos Catalogos expurgatorios euulgari iussserint, & nullus in Hispania euulgetur non consulto Rege Catholico.

Prima est, nulli seculares viri, etiam Principes, & magistratus habent iudicialem aliquam authoritatem in causis fidei, aut doctrinæ. Hæc veritas est indubitata in Ecclesia Dei apud veros Catholicos, quam latissimè probat Bellarminius libris de Concilijs, & Grabrina tom. 4. præscri-

ptionum parte 2. & innumeri ab illis allegati, probantes ex Scriptura, Concilijs, Decretalibus, & Patribus suffragiũ, aut votum iudiciale, & decisiuum nunquam secularibus communire potuisse.

Secunda, seculares Principes, & Magistratus ab initio Ecclesię pro his causis doctrinarum solùm habuere votum, & suffragium consultiuum: id solùm persuadent innumera testimonia ab hæreticis producta ex Concilijs, & Patribus; vndè probare contendunt seculares viros, & Principes esse doctrinarum iudices; quæ tamen solùm euincunt, à Concilijs fuisse admissos ad consulendum, aut proponendum, non ad decernendum, & iudicandum. Hoc votum cõsultiuum, etiã in Concilijs nostrorum tẽporum perseuerat. Anno 1512. & sequentibus Concilium Lateranense, sub Iulio 2. & Leone 10. celebratum est, adstantibus innumeris secularibus oratoribus, & cõsiliarijs, vt patet ex tom. Concil. part. 2. edit. Colon. anno 1618. sess. 1. pag. 11. assistunt septem Domini temporales, & tres oratores Principum, sess. 2. pag. 23. refertur mandatum procuratorium Ferdinãdi Regis Hieronymo Viche commissum: *Ad interessendum, consentiendum, dissentiendum, protestandum, ac fieri requirendum, & ad in eodem sacro Concilio Lateranensi dicendum, proponendum, tractandum, votandumque*. Hoc mandatum procuratorium à Concilio admissum, si de causis doctrinalibus sermo fit, solùm ad consensum, dissensum, propositionem, & votum doctorale solum, & consultiuum, non authenticum, & iudiciale. Idem dicendum de mandato procuratorio Maximiliani Imperatoris, sess. 3. pag. 30. & de alijs mandatis procuratorijs dominij Lucensis, & Florentini, & Regis Poloniæ, & Ducis Mediolanensis, & Brandenburgensis, & Regis Lusitaniæ, & aliorum, sess. 5. & 9. 10 & 11. pag. 44. 52. 53. 61. 62. 71. 80. 96. 110. 111. in quibus exprimitur vices datas oratoribus secularibus solum esse ad consulendum, agendum, differendum, proponendum, tractandum. Apostoli anno Christi 51. quo fuit nonus Claudij cõuenerunt Hierosolymis pro ea cõtrouersia, an Christiani ad circuncisionẽ, & alias quæ ceremoniales leges Iudæorum obseruandas obligarentur;

tur: & de hoc Cõcilio dicitur Actor. 15. *Conueneruntque Apostoli, & seniores videre de verbo hoc: cum autem magna conquisitio fieret, &c. Tunc placuit Apostolis, & senioribus cum omni Ecclesia.* Cæteri Pontifices, & Concilia hoc Apostolorum exemplar ad hanc vsque diem imitantur pro conquisitione facienda, idest, pro examine magistrali, consultiuo, disputatiuo, tractatiuo, seu propositiuo: & similiter pro voto, & suffragio consulenti dumtaxat, non pro authentico iudiciali, seu decisiuo. Vt cum satisfactione Ecclesiarum decisiones causarum doctrinalium euulgentur, poscitur consultatio Principum, qui examine magistrali præmisso Prouinciarum suæ Iurisdictionis iudiciũ ex eo nascens consultiue exponant Sedi Apostolicæ sine Concilio, aut cum illo determinare volenti ambiguam veritatem. In nouissima, seu postrema generali Synodo Tridentina eadem praxis obseruata fuit, tom. 4. part. 2. Conciliorum, edit. Coloniensis prædictæ sess. 10. pag. 302. repetitur mandatum procuratorium Caroli 5. pro tribus oratoribus suis, quibus committit his verbis suam authoritatem; *Nostrum locum, vt oratores, & mandatarij nostri habere, res, & negotia Religionis, & fidei, & alia quæcumque in prædicto Concilio tractandi vnà cum alijs ibidẽ stantibus Republicæ Christianæ Principibus, eorum vè legatis, oratoribus, mandatarijs consultare, agere, & tractare, illisque omnibus, & per omnia adesse, consilium, votum, & decretum nostro nomine dare, impertiri atque interponere.* Quæ verba solum pro voto consultiuo vim habere queunt. Hac expositione cognoscitur quo iure in octauo Concilio Toletano præsidente S. Eugenio quatuor seculares Palatini: & in decimo Cõcilio Toletano præsidente S. Iuliano quindecim seculares Palatini: & in decimotertio Cõcilio Toletano sub eodem S. Iuliano præsidente viginti sex seculares Palatini: & in decimoquinto Concilio Toletano, sub eodem S. Iuliano, septendecim seculares Palatini: & in decimosexto Concilio Toletano, præsidente Felice, sexdecim seculares Palatini. Innumera sunt huius generis; illa tamen omnia solùm persuadent, non excendi à Concilijs seculares Principes, & Magistratus, veluti consulentes, vt probat

probat Alaba 1.part. de Cõcilijs,cap. 3. & communiter Doctores: qui tamen non ideo admittuntur vt iudices.

Tertia, licèt verũ sit,& indubitatũ, quod scripsere Azor par. 1.lib. 5. cap. 14. quæst. vltim. Bonacina de legibus disput. 10.q.2. punct. 1. & tom. 3.disp. 1 q. 16.sect. 1. Petrantius de immunitate Eccle. disp. 21. & alij graues Doctores, non licere Principibus secularibus conuocare Episcopos suarũ Prouinciarũ iurisdictionaliter, & coactiuè, licet tamen ipsis veluti Patribus extraordinarijs secularium, & Ecclesiasticorum, & veluti protectoribus Ecclesiæ, tam Episcopos, quã quosvis alios exẽptos conuocare, si necessitas, & vtilitas cõsultationis pro cõmodis regnorum, & Ecclesiarum ita postulet: probatur ex Concilio Calcedonensi act. 1. pag. 43. iuxta editionẽ Coloniensem, tom. 2. part. 1. vbi refertur epistola Theodosij Imperatoris ad Patriarcã Alexandrinũ, ei extra iudicialiter autoritate paterna iubens, vt cõuentum faciat Episcoporum viginti pro examinandis quibusdã veritatibus. Hanc curam solũ consultiuã, & examinatiuã sui muneris esse ait Theodosius his verbis: *Curæ vt examinetur veritas, vt vniuersa quidẽ talis vana dubitatio subtili proposita inquisitione soluatur.* Quoniam vero arbitrabatur Theodosius ea ratione qua presbyteri debent naturalibus parẽtibus extraiurisdictionalem obedientiam in rebus honestis; sic etiam illã sibi, vt patri cõmuni, & extraordinario debere Episcopos, addit: ***Si quis vero tã necessariam, & Deo amicam Synodum prætermiserit, & non omni virtute secundum prædictum tempus ad prædefinitum locum peruenerit, nullam excusationem, neque apud Deũ, neq; apud nostrã inueniet pietatẽ.*** Refertur in Synodo prædicta epistol. In actis Cõcilij Ephesini aliæ quoque litteræ Theodosij iunioris leguntur, in quibus dicit Imperator: *Nec eam quoq; doctrinã indiscussam manere patiemur.* Quãm tamẽ clausulã, nec S. Cyrillus, nec Patres Concilij improbauerunt; nam cura examinatiua, & consultiua circa causas fidei pertinet ad Principes, vt protectores Ecclesiæ, & Patres extraordinarios; ea tamen cõditione, vt non iudicialiter procedãt: & vt prædictã cõsultationem, & examen ab ijs poscãt, ad quos iure naturali diuino, vel humano

pertinet,

pertinet, quales sunt Episcopi, & sapientissimi viri, & Academiæ Catholicæ; & præterea cum animo vero repræsentādi suppliciter Apostolicæ Sedi sensum cōmunem suarū Prouinciarum: nec aliud intendit Imperator ille, qui in quinta Synodo collat. 1. dixit: *Datum Imperatoribus surgentes hæreses amputare per congregationem religiosissimorū Episcoporum, & rectā fidē sincere prædicatā in pace sanctā Ecclesiam Dei custodire.* Datum, id est Principibus iure naturali diuino, & humano pro examine doctrinali, seu magistrali, seu cōsultiuo faciendo. Quòd si ex eo manifestè cōstiterit veritas ab Apostolica Sede iam olim definita, debent impedire, & amputare falsitatem contrariam veluti protectores Ecclesiæ, & executores sacrorum Canonum: at si non explorata sit certa, & firma sententia, satisfaciunt suo muneri, repræsentantes sanctæ Sedi examen consultiuum in Prouincijs suis ab Episcopis, & Academijs peractum circa eas cōtrouersias de fide, aut religione. Hæc assertio innumeros pro se autores habet, in quibus est Thomas Vvaldēsis allegatus, & laudatus à Dominico Grabrina to. 4. præscrip. part. 1. cōtrouers. 7. art. 1. Vterq; ait duplex esse testimonium; aliud ab autoritate iudiciali, quæ propria est Pastorū Ecclesiæ, aliud est testimonium vnitatis in eadem fide, & generali confessione eorūdem dogmatum, vel illorum approbatione, quòd est consultiuum, & extraiudiciale, atq; id cōmune est secularibus eruditis. Illustrat eamdem mentem Gerson de examine doctrinarum in primis quinque considerationibus: Turrecrem. distinct. 15. Aliacēsis de autorit. Eccles. par. 1. cap. 4. Almaynus opuscul. de autoritate Papæ, & processus Academiæ Parisiensis ad finem Magistri sententiarum appositus. Ex hac doctrina fluit efficax argumentum, nam de facto certum est omnes Academias habere autoritatem Apostolicam determinandi doctrinaliter, & scholasticè circa ea, quæ sunt fidei; Episcopos vero ex iure diuino authoritatem tenere inferiorem, & subordinatam Pontifici Romano iudicialiter definiendi circa ea, quæ sunt fidei, vt latè probat Academia Parisiensis, in processu relato ad finem Magistri, cum communi Doctorum, & Scholasticorum.

Prin-

Principes igitur extraiudicialiter intimantes, tanquam Patres, & protectores, vt Episcopi,& Academiæ controuersias examinent,nihil disponunt,de quo non sit potestas, & authoritas Apostolica penes eos, quibus eam consulta-tionem,aut iudicium committunt. Ergo Principes examē doctrinale,aut magistrale controuersiarum Episcopis, Academijs,& viris doctis demandantes, nihil omnino faciunt, nisi paternaliter iubere,veluti protectores,& extraordinarij Patres,vt ij,qui authoritatem naturalem diuinam,& humanam habent,eam exerceant consultiuè,disputatiuè,examinatiuè,doctrinaliter,& scholasticè.

Quarta assertio vnum supponit, & alterum decernit. Supponit,nullum examen consultiuum, aut doctrinale, aut iudiciale, de quo in superioribus assertionibus dictum est, esse licitum pro doctrinis receptis, & definitis è cathedra Apostolica in Concilio,aut extra Concilium,nisi ad approbationem, laudem, aut confessionem earum doctrinarum, quæ indubitatè sunt definitæ; nā quidquid aliter fieret,secum per annexam haberet dubitationem,vel declarationem animi dubij circa controuersias iam ab Ecclesia determinatas; quod sine iniuria Religionis Catholicæ fieri non posset, vt obseruant omnes Doctores in tractatu de fide. Pro alijs doctrinis,quæ à Pontifice non authenticè,& in suprema,ac postrema instantia definiuntur; sed solùm opinatiuè,aut iudicialiter, aut obiter sine definitione è cathedra, aut non ex firma sententia,aut tanquam à Doctore particulari in litteris Apostolicis proponuntur,est alia longè ratio: nam licet interdum Principibus vrgere,vt examina fiant doctrinalia, & consultiua per Episcopos, Academias, & viros eruditos, vsque ad explorationem veritatis. Fundamenta huius assertionis producamus. Primum est: nam in hoc examine consultiuo, & magistrali nulla exercetur iurisdictio; sed solùm authoritate doctorali,& scholastica veritas examinatur per eos,qui vel à iure diuino, & naturali, vel à sancta Sede eam potestatem accepere,vt constat ex formula, qua laurea Licentiati, vel Doctoris tribuitur Theologis, & Iuristis, in Academijs Catholicis. Ergo Princeps, qui paternaliter vrget,vt Episcopi, & Doctores id examinent, quod iure suo possunt,

possunt, nihil omnino peccat. Secundò probatur: quia in litteris Apostolicis, & Concilijs plura sunt, quæ non intenduntur definiri è cathedra, sed solùm in transcursu, vel tanquam præmissæ, vel tanquam rationes, vel tanquam verisimiles coniecturæ proponuntur, vel obiter miscentur; atque in his ex communi Theologorum, & Iurisprudentium opinione esse potest error: ergo circa hæc examen magistrale, & scholasticum fiet, sine vllo præiudicio, vt nuper dicebamus. Tertiò: ex litteris Apostolicis circa doctrinas, quædam possunt esse iudiciales dumtaxat, absque definitione è cathedra, quemadmodum Episcopi, prouinciales Synodi, & Tribunalia fidei iudicialiter solùm se gerunt in suis decisionibus: Aliæ vero sunt litteræ, in quibus Pontifices definitiuè, & authenticè supremum, & postremum iudicium exercentes procedunt. In prioribus datur locus emendationi, & nouo exanimi Scholastico, & Magistrali. Sic Benedictus 2. retractauit condemnationem iudicialem à se factam contra propositiones quatuor sancti Iuliani, vt patet ex Cócilio 15. Toletano, & ex historia Roderici. Sic Ioannes 22. declarauit se in litteris editis ad sanciendum iustorum animas non visuras Deum vsque ad finem seculorum, non intendisse è Cathedra decernere, sed iudicialiter solùm, & veluti in quæstionibus de facto eam doctrinam determinasse. Sic Eugenius 4. quando edito diplomate nonnullas propositiones Abulensis condemnauit, iudicialiter dumtaxat se gessit non definitiuè è Cathedra; ac propterea idem Abulensis impetrauit reuocationem dictæ bullæ, & hodie tanquam probabiles leguntur, & permittuntur propositiones prædictæ, vt constat ex prima, & secunda parte defensorij; & huius generis occurrunt alia exempla. Quæ verò definitiuè, & è cathedra dicuntur, nunquam possunt ad examen consultiuum, & scholasticum trahi, nisi solùm disputationis gratia, vt in Academijs contingit.

Dices, vnde possit discerni an iudicialiter, vel authenticè definitiuè procedat summus Pontifex. Respondeo, ex plurimis capitibus id innotescere. Primò, si ita exprimat Pontifex in suis litteris expressè, aut virtualiter, vt sæpe accidit. Secundò, si quod in eisdem litteris scribitur, aut

ex varijs Doctoribus collegimus: facile est si quæ sunt alia signa, & capita ad præcedentia reuocare. At quotiescumque Pontifex alijs in consultis determinauerit, & Ecclesia vniuersalis consenserit, indubitatum est illam determinationem authenticam esse, & definitiuam è Cathedra. Hinc fit quàm grauiter errent, qui contendunt Pôtificem definitiuè decernẽtem è Cathedra in causa fidei, & morum errare posse, & quam immanis sit eorum deceptio, cum ex erroribus iudicialibus, aut opinatiue scriptis in Decretalibus intentum probant.

Quinta assertio, cum Principes sint protectores fidei, & executores sacrorum Canonum, & extraordinarij Patres Ecclesiæ: vbi iustæ causæ suppetunt, decernere possunt, vt Iudices doctrinarum in suis Regnis commorantes iudicialiter determinent, cum subordinatione ad sanctam Sedem causas doctrinarum. Probatur primo exemplis Conciliorum, & Imperatorum in tertia assertione productis. Secundò probatur authoritate Regum, & Regnorum Hispaniæ. Carol. V. anno 1546. Indicem prohibitorium, & expurgatorium fieri iubet à Louaniensi Academia examine Magistrali, Consultiuo, & Scholastico tantum: & iussit id, quòd authoritate Apostolica possunt Academiæ Catholicæ: deinde commendat Imperator domino Ferdinãdo Valdes Generali Inquisitori Hispaniarum, vt prædictam censuram Academiæ Louaniensis iudicialiter muniat, si legitima videatur, adiunctis pœnis, & censuris Ecclesiasticis contra eos, qui censuram illam magistralem, & scholasticam non obseruauerint. Imprimitur Louaniensis index bis, Toleti, & Vallisoleti anno 1551. semel Granatæ anno 1552. & ab Inquisitoribus Hispaniæ publicatur. In prima pagina dicitur eum Cathalogum editum Cæsareæ Maiestatis constituto. Anno 1554. sacrorum Bibliorum volumina ab immixtis erroribus repurgantur consulto Philippo II. qui eam curam pro examine doctrinali, & scholastico Academijs, & pro iudiciali decreto inquisitoribus commendauerat, non iurisdictionali titulo, sed protectorio, & paterno. Idem omnino accidit pro alio Cathalogo prohibitorio, & expurgatorio, qué anno 1559.

Hispana Inquisitio euulgauit. Anno 1571. idem Philippus Rex iussu suo, & Albani Ducis consilio alium euulgari facit in Belgio indicem prohibitorium, & expurgatorium, paterne, & protectoriè iubens viris doctis, & Academijs, vt examen Scholasticum, & Magistrale circa libros in eis Prouincijs grassantes serio suscipiāt, & deinde Episcopis cōmittit, vt censuram illam Scholasticam, & Magistralem Ecclesiasticis pœnis iudicialiter tueātur. Sic optimam, & sanam intelligentiam habent, quæ scribuntur lib. 1. recopilationis titul. 7. leg. 24. de potestate Regum Hispaniæ circa conflandos Indices, & Cathalogos expurgatorios. Ea lex anno 1558. primum euulgata est: in ea commendatur Inquisitoribus, vt Cathalogos librorum prohibendorum, aut expurgandorum typis edant. Cæteri Catalogi qui ad hanc vsque diem in Hispanijs euulgati sunt, propterea, non sine consultatione Regum publicantur. Tertiò eadem probatur assertio, quia Christianissimi Principes ab initio Ecclesiæ, non vt Indices, sed veluti extraordinarij protectores, & parentes rectæ fidei, & doctrinarum, quæ in Catholicis Doctoribus reperiuntur, nulla probabilia dogmata indiscussa supprimi patiebantur. Sic Leo Imperator Anatolium præfectum coegit, vt Epicoporum sensum de controuersia exorta diligenter exquirat. Idem vtriusque factionis libellos, & consultationes ad Romanum Pontificem supplex mittit. Tandem post Calcedonense Concilium de emergentibus dubijs præuio examine magistrali, & consultiuo percontatur. Vterque Theodosius Cælestinum, Martianus Leonem, Iustinianus Vigilium, Flauius Constantinus Agathonem, & alij Ortodoxi Principes Romanos alios Pontifices in dubijs præuia censura magistrali, & examinatiua non iudiciali consuluere; at pro ijs, quæ certo, & iudicialiter Episcopi definita iam esse statuebāt Christiani Principes eorum sententiam iuditialem executioni mandabāt. Quæ omnia, & singula ex generalibus Concilijs, & eorum actis innotescunt: nec aliter prudenter se gerere poterant in exercitio protectorum, & Patrum fidei pro consulenda sancta Sede, si non ea examina, & consultationes præmitterent. Ex gloriosissimis

mis Hispaniarum Regibus Amalaricus, Theodomirus, Adephõsus, Recaredus, Sisenãdus, Chintila, Chindasuindus Recesuintus, Vvãba, & Eruigius in vrbibus Toletana, Brãcharensi, Cæsaraugustana, Lucensi, & Emeritẽsi varios Cõuentus, & Antistitum Synodos colligi præceperunt, vt iudicialiter tã doctrinaliã, quã moralia ad iurisdictionẽ Episcoporum pertinentia decernerentur. Vnus Flauius Egicanes Rex tria Cõcilia Toletana indixit, ex quibus decimũ quintum pro examinãdis assertionibus quatuor Iuliani presulis, & dignoscenda earum doctrina cõgregatum est; ille cõuentus sexagintaduorũ Episcoporum iudicialiter, cum sub ordinatione ad sanctam Sedem veritatẽ decernebat. Alia exempla Regum Hispaniæ pro examine cõsultiuo, & scholastico doctrinarum, saltem iuuãt ad persuadendum eorum muneris esse, vt curent apud sanctam Sedem de controuersijs decidendis. Sic Henricus III. & Ioãnes II. pro examinãdis cõclusionibus accusatis coram sancta Sede aduersus Tostatum solicitã operã præstitere. Petrus Aragoniæ Rex, vt ait Nitela Frãciscana Dermitij Thadei pag. 490. secundum editionẽ Lugdunensem pro scriptis Raymundi Lullij Barchinone excutiẽdis, pariter curauit. Philippus III. pijssimus Rex in celebri quadã controuersia omnium Episcoporum, Academiarum, & sacrorum Ordinum cõsultiuas, & Magistrales sententias perscrutatus est. Profecto; quia nõnulla ex his adeò erant dubia, vt sine Apostolicæ Sedis cõsultatione determinari non possent, ideo prædicti Reges solum de examine scholastico, & magistrali, nõn de iudicio, & sententia ferenda curam susceperunt.

Sexta assertio, si aliquãdo Romanus Pontifex iudicialiter, vel opinatiue, vel obiter loquens in Decretalibus aliquã doctrinam scripserit, nihil definiens è Cathedra, & illã, aut contrariã veritati, aut difficilem ex oppositis testimonijs aliquæ Prouinciæ Catholicæ propter magna, & vrgentia fundamenta iudicauerint, non possunt Episcopi, vel Tribunalia fidei quidquã aduersus illam iudicialiter definire, nec Principes seculares fungi officio Patrum, aut Protectorum, nisi dumtaxat ad examen cõsultiuum, & Magistrale, vt sententiam, & decisionem scholasticam earum Prouinciarum

De numero propositionum damnabilium. *Cap. XXIIII.*

PLures gradus propositionum damnabilium à nobis sunt obseruati in præcedentibus, quos ad certum numerum redigere, non est ita facile. Illud obseruãdum est, innumeras fieri posse combinationes, ex quibus plures alij gradus resultent; exempli gratia ex propositione maiori de fide, & minori ita certa, vt opposita sit temeraria, cõsequens manifeste illatum, non est erroneum, & tamen est graui censura dignum. Similiter ex maiori propositione de fide, & minori, cuius opposita sit suspecta de fide, consequens euidenter illatum notã Theologicam meretur, quã tamen inter asserta erronea numerare non possumus. Præterea ex duabus propositionibus maiori, & minori aperte & absque controuersia temerarijs, infertur consequens necessario connexum censura dignum, quod tamen absolute temerariũ dici non potest. Ex duabus propositionibus scãdalosis; aut vna scãdalosa, & altera erronea, consequens necessario illatum censuram Theologicam habet, quam nullo ex præmissis nominibus in hoc tractatu nominare possumus. Similiter ex maiori erronea, & minori temeraria, vel ex minori suspecta, & minori piarum aurium offensiua, vel ex maiori denigratiua fidei, & minori sapiente hæresim inferuntur necessario connexæ propositiones, aut conclusiones, quibus Theologica nota debeat inuri: nec tamen ideo nomen aliquod ex præfatis gradibus ad amusim ipsis aptari potest, sanè vt dantur plures contractus innominati, sic & gradus propositionum damnabilium; verùm ex prædominanti malitia reducuntur ad vnum aliquem ex prædictis per diuersa capita. Certe cum debiliorem partem sequatur conclusio, & ipsa quodãmodo languescat, necesse est, vt ex multiplici combinatione maioris, & minoris propositionis, resultent multiplices gradus damnabilium conclusionum, quorum nomina, nec

nec dum reperta sunt, & per ea, quæ hactenus inuenta fuere, declarantur, & nominantur.

Qui gradus hactenus sunt expositi, quasi in cumulo cōgesti, numerantur summariè. 1. hæretica doctrina. 2. erronea. 3. sapiens hæresim. 4. suspecta de hæresi. 5. male sonās. 6. scandalosa. 6. seditiosa. 7. scismatica. 8. iniuriosa, maledica, seu contumeliosa. 9. historicè acerba, seu infamatoria. 10. impia contra Principes seculares, & personas Ecclesiasticas. 11. illusoria iurisdictionis Ecclesiasticæ. 12. insana. 13. simplicium mentium seductiua. 14. puritatis fidei denigratiua, aut subsannatiua. 15. apocrypha. 16. ducēs ad viam latam. 17. auersiua à suscipienda fide, & religione. 18. scrupulosa, seu anxia. 19. difficilis, & obscura in thesi graui. 20. irrationalis. 21. periculosa in fide. 22. superstitiosa. 23. temeraria. 24. periculosa in moribus. 25. irreuerens, & miscens sacra prophanis. 26. non allegans fideliter verba scripturæ. 27. euersiua regnorum propter iniustitiam, aut irreligiositatem. 28. decoloratiua Ecclesiæ. 29. laudans personas, aut gesta hæreticorum. 30. satyrice, & acerbe è pulpito prædicata contra Ecclesiasticos, aut laicos.

Propositiones merentes innominatā censuram ad hos gradus facile reuocantur, V. g. proxima errori, proxima sapienti hæresim, proxima temerariæ, proxima illusoriæ iurisdictionis Ecclesiasticæ, proxima ducenti ad viam latam, & sic in alijs. Similiter, quæ ex varijs combinationibus maioris propositionis, & minoris merentium censuram inferuntur, vt necessario connexæ, semper aliquid sequū important, quòd ab Ecclesia debe[illegible] exterminari: sæpissimè sub scrupulosa, seu anxia, seu periculosa doctrina continentur.

Hi gradus, vt monuimus alias, sæpe accidentaliter differunt, aut mutuo se includunt, aut simul coniunguntur; interdum ex alijs sunt compositi, quales sunt doctrinæ insanæ, aut irrationales, aut scrupulosæ, & anxiæ, Si per subtiles argumentationes inuestiganda esset differētia horum graduum ad amusim, superuacaneus esset, & inutilis labor,

nec

nec probabile, sed coniecturale duntaxat, aut congruens, pari facilitate affirmandum, & negandum. Coniecturæ, & congruentiæ ad vtramvis partem stylo sophistarum, & aliorum facere consueuerunt.

In præmissis gradibus nonnullæ interdum propositiones cōprehenduntur, quæ licet Theologicam censuram nō mereantur, nihilominus ex dispositione Ecclesiæ delendæ sunt, quales decernit Clemens 8. in instructione, illas esse quæ lacerant nomen cuiuscunque Catholici, siue Ecclesiasticus sit, siue laicus. Cætera quæ in hoc tractatu desiderari possent in alio nostro opere de opinione probabili reperientur: libet pro coronide ex instructione prædicta Clementis sequentes clausulas producere.

Qui negotium susceperit corrigendi, atque expurgandi, circumspicere omnia, & attentè notare debet, non solùm, quæ in cursu operis manifestè se offerunt, sed, si quæ in scholijs, in summarijs, in marginibus, in indicibus librorum, in præfationibus, aut epistolis dedicatorijs, tanquam in insidijs delitescunt. Quæ autem correctione, atque expurgatione indigent, fere hæc sunt, quæ sequuntur. Propositiones hæreticæ, erroneæ, hæresim sapiētes, scādalosæ, piarum aurium offensiuæ, temerariæ, & schismaticæ, seditiosæ, blasphemæ, quæ contra sacramentorum ritus, & ceremonias, contraque receptum vsum, & consuetudinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ nouitatem aliquam inducunt: profanæ etiam nouitates vocum ab hæreticis excogitatæ ad fallendum introductæ: verba dubia, & ambigua, quæ legentium animos à recto, Catholicoque sensu ad nefarias opiniones adducere possunt: verba sacræ scripturæ, non fideliter prolata, vel è prauis hæreticorum versionibus deprompta: nisi fortè afferrentur ad eosdem hæreticos impugnandos, & propijs telis iugulandos, & conuincendos. Expungi etiam oportet verba Scripturæ sacræ, quæcumque ad profanum vsum impie accōmodantur; tum quæ ad sensum detorquentur abhorrentem à Catholicorū Patrum, atque Doctorum vnanimi sententia: itemque epitheta honorifica, & omnia in laudem hæreticorum delean-

leantur. Ad hæc reijciuntur omnia, quæ superstitiones, sortilegia, ac diuinationes sapiunt: item quæcumq; fato, aut fallacibus signis, aut ethnicæ fortunæ humani arbitrij libertatẽ subijciunt, obliterẽtur; ea quoque aboleãtur, quæ paganismum redolent: item quæ famæ proximorũ & præsertim Ecclesiasticorum, & Principum detrahunt; bonisque moribus, & Christianæ disciplinæ sunt cõtraria, expungantur. Expurgandę sunt etiam propositiones, quæ sunt cõtra libertatẽ, immunitatẽ, & iurisdictionẽ Ecclesiasticã; item, quæ ex gentilium placitis, moribus, exemplis tyrãnicam politiã fouent; & quã falsò vocant rationem status ab Euãgelica, & Christiana lege abhorrentem inducunt, deleantur. Explodantur exẽpla, quæ Ecclesiasticos ritus, Religiosorum ordines, statum, dignitatẽ, ac personas lædunt, ac violãt. Facetiæ etiã, aut dicteria in perniciẽ, aut præiuditiũ famæ, & existimationis aliorum iactata, repudientur. Denique lasciua, quæ bonos mores corrumpere possunt, deleantur. Et si quæ obscenæ imagines, prædictis libris expurgandis impressæ, aut depictæ extent, etiam in litteris grãdiusculis, quas initio librorum, vel capitum imprimi moris est: huius generis omnia penitus obliterentur. Hactenus Clemens VIII.

Hæc sufficiunt ad præsentem tractationem, quam ex varijs opusculis editis in lucem à M. Ioanne Tappia Storza, compilare volui, & in magis publicam lucem transmittere

DE PRIMIS INSTANTIIS, REMISSIONIBVS, ET ALIIS recursibus, præsertim in causis Fidei.

QVID DECREVERINT AB INITIO Ecclesiæ Romani Pontifices, & generalia Concilia, circa primas instantias. Caput primum.

SEMPER Apostolica Sedes ab initio Ecclesiæ curauit, vt cum quiete, & satisfactione Prouinciarum Ecclesiastica iudicia celebrarentur. Id, vt securius obtineret, statuit, ne cognitio causarum in prima instantia alibi fieret, nisi in ea prouincia, in qua partes litigantes adessent, & apud ordinarios iudices earum. Quod si aliquis se grauatum arbitraretur, id remedio appellationis ad superiores iudices, & ad sanctam Sedem resarciret. Concilium Nicenum supra reliqua summam habet venerationem: spatio duorum annorum multos edidit Canones pro regimine vniuersalis Ecclesiæ. Sed vt omnia Tribunalia litigijs & cõtentionibus arderent, id Dæmon curauit, vt vniuersi Canones Niceni proxime post illud Concilium generale è manibus, & hominum memoria elaberentur. Diuina Prouidentia factum est, vt multi ex illis in authenticis scriptis Decretalium, & Conciliorum conseruarentur. Quod Hincmarus de Synodis ait editos fuisse in Concilio Niceno septuaginta Canones, & extare solum viginti, ex dictis innotescit

qua ratione exponendum sit, præsertim cũ Isidorus in prologo suo scripserit Concilium Nicenum apud Græcos quatuor Euangeliorum codici æque magnum esse: verum quidquid de hac re sit Canonem de primis instantijs Ecclesiasticorum non auocandis ad externos Iudices esse promulgatum in Nicena Synodo inter alia decreta, indubitatũ est.

Vnus igitur ex Nicenis Canonibus relatus ab Adriano Papa tom.3. Conciliorũ editionis Coloniensis anni 1618. part.2. sect.1. pag.437. cap.12. eam legem de prima instantia apud Ordinarios Iudices Prouinciarum inchoanda, & terminanda, his verbis renouat. *Prudentissimè, iustissimèque Nicena, siue Africana decreta definierunt quæcumque negotia in suis locis, vbi orta fuerint, finienda: maximè, quia vnicuique concessum est, si iudicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilium suæ Prouinciæ, vel etiam vniuersale prouocare.* Eadem verba inueniuntur in quibusdam litteris Concilij Africani ad Celestinum Papam, & cap. 138. Concilij Carthaginensis Græco idiomate: & lib.6. capitum Carolinorum, cap.237. Et idem Pontifex Adrianus cap.17. loci proximè relati abusum eorum damnat, qui curant, vt ab externis iudicibus nationales homines iudicentur, cuius hæc sunt verba. *Peregrina iudicia generali sanctione prohibemus, quia indignum est vt ab externo iudicetur, qui Prouinciales, & à se electos debet habere Iudices*: & habentur cap. leges 3. quæst.6. Voces illæ, *indignum est*, insinuant cognitionem primarum instantiarum ab externis iudicibus, esse contra ius naturale. Eadem verba inueniuntur cap.53. Concilij Niceni, vt refert Iulius Papa epist.2. idem Decretum iam olim fecerant, aut quasi ab Apostolis latum intimauerant sanctus Fabianus epist. 3. & sanctus Higinius epist.1. Pelagius vero, cap. scitote 6. quæst.3. opprobium dicit esse Prouinciarum, si ab externis iudicentur. *Vt de non oportet vt degradetur, vel dehonoretur vnaquæque Prouinciæ; sed apud semet ipsam habeat Iudices Sacerdotes, & Episcopos, & quicumque causam habuerit à suis Iudicibus iudicetur, & non ab alienis*, id est, à Prouinciæ suæ Iudicibus, & non ab extraneis.

Vniuersi Pontifices pro obseruantia Nicenorum Ca-

nonum impensè laborarunt, vt patet ex sanctis Siluestro Damaso, Iulio, Siricio, & alijs. Verum singulariter id præstitit sanctus Leo Magnus. epist. quinquagesima tertia ad Anatolium, vbi vt annullaret Canonem quemdam Concilij Calcedonensis alteri Canoni Nicenæ Synodi contrarium hæc ait *Tanto diuinitus priuilegio Nicena est Synodus consecrata, vt siue per pauciores, siue per plures Ecclesiastica iudicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum quidquid ab illorum fuerit constitutione diuersum.* Et paulo post. *Sancti illi, & venerabiles Patres, qui in vrbe Nicena Arrio cum sua impietate damnato mansuras vsque in finem mundi leges Ecclesiasticorum Canonum condiderunt, & apud nos & in toto orbe terrarum in suis constitutionibus viuunt, & siquid vsquam aliter, quàm illi statuerant, præsumitur, sine cunctatione cassatur, vtquæ ad perpetuam vtilitatem generaliter instituta sunt, nulla constitutione varientur.* Epist. 55. ad Pulcheriam de ijsdem Canonibus scribens ait. *Aduersus illa nihil audere conceditur, itaut siquis diuersum aliquid decernere velit, se potius quam illa corrumpat, quæ si vt oportet à cunctis Pontificibus intemerata seruentur per vniuersas Ecclesias, tranquilla erit pax, & firma concordia: nullæ de priuilegijs ambiguitates, nulla erunt de aliena vsurpatione certamina.* Prærogatiua Nicenorum Canonum exprimitur à sancto Leone. Primò, quòd *diuinitus eo priuilegio gaudeant*, vt cæteris etiam generalium Conciliorum Canonibus præcedant. Hinc nonnulli arbitrantur vniuersaliores Canones Nicenos circa iurisdictionalia esse de iure Diuino, quibus non libet nunc assentiri, nec refragari. Secundò addit consequenter Leo neminem posse, vel de violatione, vel de ipsorum derogatione tractare. Tertiò cum addat ab illorum obseruantia vniuersalis Ecclesiæ pacem dependere, & ex eorum transgresione contentiones, litigia, alienæ iurisdictionis vsurpationem emanare, videtur nullatenus licite, eos posse temerari. Quartò cum Canon Nicenus statuat indignum esse, vt ab externis iudicibus in prima instantia nationales homines iudicentur decerne-

re videtur, aut sæpissime, aut semper non sine violatione iuris naturalis, & Diuini hanc auocationem primarum instantiarum ab ordinarijs, & nationalibus iudicibus contingere. Quintò apparet quædam generalis promissio Apostolicæ Sedis tâm circa Canonem nuper dictum de primis instantijs, quâm de reliquis Nicenæ Synodi; quod nunquam in finem vsque mundi violandi erunt. Sāctus Gregorius Papa lib. 7. epist. 53. magnam hanc prærogatiuam Nicenis decretis videtur detulisse, cum ideò statuat reuerentiam summam aliorum Conciliorum generalium statutis præstandam esse, quia sectantur Nicenos Canones. Cum Synodus Nicena proximè post martyria & persequutiones Imperatorum fuerit celebrata, cum vtpote viciniori Christo, & Apostolis firmius & verius traditiones Ecclesiasticas memoria conseruauerit, cum sanctissimi Episcopi pro Christo manibus, pedibus, oculis mutilati prædictos Canones sanxerint, cum ipsorùm non pauci gratia miraculorum, prophetico spiritu, mortuorum resurrectione fuerint insignissimi, semper eorum decreta singularem prærogatiuam, & obseruantiam tenuerunt.

Omnes, aut aliquos Nicenæ Synodi Canones esse de iure Diuino arbitrantur nonnulli ex verbis Leonis nuper relatis, & expensis; & ex verbis Iulij Primi, qui vbi numerauerat nonnulla prædictæ Synodi decreta, atque in illis proximè relatum Canonem de primis instantijs ab Ordinario Iudice non auocandis, hæc ait. *Ex his, & alijs, quæ tàm ab hac sancta Sede, quàm & ab Apostolis, eorumque successoribus sunt statuta, nihil præfatis Episcopis contestis.* Ergo Niceni Canones iuxta prædictos Auctores, & præcipuè ille de primis instantijs â Iudice Ordinario nationali cognoscendis, ab Apostolis dimanarunt. Verùm nolumus huic opinioni inniti; sed damus Nicenos Canones esse de iure positiuo humano, at sanctissime, & religiosissime eos tota suspexerit antiquitas, omnes Romani Pontifices de illorum obseruantia curarunt, nulla abrogatione, aut dispensatione permissa; ergo incredibile est Romanum aliquem Pontificem scientem, & volentem singularem aliquem Canoné ex ijs, aut abrogatione, aut dispensatione annullare, illum præ

ser-

sertim de primis instantijs ab Ordinario Iudice non auocandis, quem tanto verborum pondere sanxit Nicena Synodus, vt dicat indignissimum esse, si ab externis hominibus nationales homines iudicentur.

Cum anno 1512. hic Canon à nonnullis violaretur Leo X in Concilio Lateranensi sess. 10. pag. 98. Tomi. 4. Conciliorum, part. 2. edit. Colon. anni 1618. vniuersis Patribus consentientibus illum denuo innouauit, roborauit, & stabiliuit.

Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 20. statuit, vt causæ omnes, etiamsi beneficiales essent, in prima instantia coram Ordinarijs locorum terminarentur; neque vllo prætextu, aut colore cognoscerentur ab alijs, si non vellet eas *Summus Romanus Pontifex per speciale rescriptum signaturæ Sanctitatis suæ manu propria subscribendum committere, aut auocare.* Itaque litteræ omnes contra prædictum Nicenum Canonem, & Tridentinum subreptitiæ sunt, si non in ipsis rescriptis sigillo munitis, & plumbatis coram Ordinario præsentandis appareat subscriptio nominis Sanctitatis suæ propria manu scripti, nam petitiones, aut supplicationes, super quibus breue Apostolicum fabricatur, non sunt specialia rescripta signaturæ. Tam perspicua & clara est mens Tridentinæ Synodi circa genus subscriptionis Romani Pontificis, & circunstantias illius, vt per nullam declarationem, limitationem, aut subtilem considerationem possit in alium sensum deflecti: Quod si Auctoribus Serario in Proleg. Bibl. cap. 19. quæst. 11. Delrio in disquisit. Mag. part. 3. lib. 6. cap. 1. sect. 3. Sanch. 2. tom. 3. de Matrimonio lib. 8. disput. 2. Basilio Poncio lib. 5. cap. 13. §. 2. Ioanne Valero in differentijs vtriusque fori, verb. *Absolutio*, differentia 1. & verb. *Nullitas*, differentia 5. Bonacina de legibus, disput. 1. quæstion. 1. punct. 8. Vega in Summa, tom. 1. cap. 62. Portel. in dubijs regularium, licet adeò sint venerandæ eminentissimorum Cardinalium declarationes circa loca similia; verumtamen solum sunt Doctorales, aut Magistrales, à quibus per probabiliora fundamenta, si appareant, licet discedere opinando: vrgentior ratio est, vt de aliorum expositionibus, aut declarationibus idē statuatur.

Res

Res de qua agitur tanti ponderis est ex promissione Apostolicæ Sedis de non temerandis vsque in finem mundi Nicenis decretis ex perpetua obseruantia Romanorum Pontificum, & ex dispositione Concilij Tridentini, vt non sine euidentibus, & irrefragabilibus argumentis violari queant ordinarij Iudicis munera, & priuilegia. Nec credendum sit, quod ait Pelagius supra relatus, Pontificem aliquem Romanum futurum, qui degradando, & dehonorando Prouincias Catholicas, & vniuersos earum Iudices ad extranea loca, & ad exterorum Tribunalia causam auocet in prima instantia.

Propter has, & vrgentes alias causas plures sunt Pontificiæ dispositiones, & conciliares, ne causæ Ecclesiasticæ alibi quã in proprijs Prouincijs in prima instantia ab Episcopis, vel Metropolitanis, vel Concilio Prouinciali, aut Primate cognoscantur: & vbi necessitas ita postulauerit demandantur recursus ad vicinam Prouinciam. Cap. Placuit, cap. Scitote, cap. De illis 6. quæst. 3. cap. 1. & per tot. 6. quæst. 4. locum inquiunt Iudicis ibi constituendum vbi res gestæ sunt; vbi facilior partibus aditus citra expensam, citra periculum. Iuuat Concil. Calcedon. can. 9. Sardicense can. 4. 7. & 16. Mileuit. cap. 22. Innocent. III. in Concilio Lateranens. prohibuit nequis virtute literarum Apostolicarum vltra duas diætas à sua Diœcesi auocaretur. Cap. nonnulli 18. de rescriptis. *Ne reus fatigatus laboribus, & expensis liti cedere, vel importunitatem actoris redimere compellatur.* Bonifac. VIII. cap. statutum de rescriptis in 6. iustissimis de causis limitauit prædictam remissionem ad vnam diætam. Concil. Basileense sess. 31. decreuit in omnibus instantijs terminandas esse lites Prouinciarum, quatuor diætis à Roma distantium.

(?)

An

An prima instantia in causis fidei ab ordinarijs locorum tum Inquisitoribus, tum Episcopis auocari queant ad Romanam Curiam. Caput II. examinatiue propositum.

FVERE Graues Doctores Iurisperiti, & Theologi, qui arbitrarentur supremam Inquisitionem Romanam à Paulo III. suadente Beato Ignatio de Loyola erectam anno 1542. saltem præueniendo potuisse, & nunc posse in quauis orbis terrarum parte primam instantiam auocare in negotijs fidei. Idcirco iuxta hanc opinionem quisquis, aut accusatione, aut delatione, aut testificatione in causa hæresis præuentus fuerit ab Inquisitione Romana, nō potest ab vllis ordinarijs locorū tàm Inquisitoribus, quàm Episcopis, vel eorum Vicarijs iudicari. Probatur dicta assertio ex litteris Pauli III. nuper relatis, quarum initium est. *Licet ab initio nostræ*, in illis hæc habentur. *Eos super negotio fidei Commissarijs, & Inquisitoribus Generalibus, & Generalissimis contra omnes, & singulos à via Domini, & fide Catholica aberrantes, seu de eàdem fide male sentientes, aut aliàs quomodolibet de hæresi suspectos, etiam absque ordinarijs locorum, etiam in causis in quibus ipsi de iure interuenire habent, inquirendi, & per viam Inquisitionis, vel inuestigationis, seu aliàs etiam ex officio procedendi, ac culpabiles quoscumque, seu suspectos præcedentibus indicijs, carceribus mācipādi, &c.* Hæ clausulæ manifestè demonstrant per illa verba. *Etiam absque ordinarijs locorum*, saltem ad præuentionē posse sine illis Romanam Inquisitionem vbiq; terrarum contra reos in causa fidei procedere: In reliquis quæ fidem non tangunt, seuerissimè prohibentur Generalissimi Inquisitores Romani, aut procedere, aut iudicare per clausulā prædictarū litterarum. *Alijs quam crimen hæresis sapientibus delictis, & excessibus se intromittere nequeant.*

queant. Quoad causas autem & reos fidei cum incidẽtibus, dependentibus, & emergentibus, annexis, & connexis omnimodam facultatem, & auctoritatem accipiunt prædicti Generalissimi Inquisitores, *vt in quacumque instantia fuerint, fine debito terminent quæuis negotia fidei*. Qui verborũ tenor satis demonstrat, etiam postquam ordinarij locorum, Inquisitores, & Episcopi de aliquo reo in causa hæresis, aut hæresim sapiente cognoscere cœperint, posse Inquisitionẽ Romanam eandem causam & reum sibi assumere.

Alij tamen Doctores certissimum esse credunt, nullam primam instantiam in causis fidei ab Inquisitione Romana auocari posse etiamsi iudicium illa præuenerit ex delatione, aut accusatione, aut testificatione præuia. Itaque nullus Inquisitor, & Vicarius Episcopi, vel Episcopus potest priuari cognitione iudiciali in prima instantia de causa hæresis circa reum sui territorij. Probant primò, quia Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 20. ait causas omnes, etiam si beneficiales sint in prima instantia coram ordinarijs locorum tractandas, & terminandas esse: nec vlli congregationi, aut Tribunali in toto orbe terrarum licere eas primas instantias sibi assumere, & auocare; ergo si quod ius Romana Inquisitio habuit ante Concilium Tridentinum ex litteris Pauli III. illud derogatum, & annullatum est prædicta sessione, & capite. Exceptio posita in ipso Concilio robustius firmat hunc sensum, cum ibidem decernatur solũ Romanum Pontificem prædictas primas instantias ex vrgẽtibus rationibus auocare posse, & consequenter non credendas esse legitimas & validas similes auocationes, sed subreptitias & nullas, si non fiant per speciale rescriptum signaturæ sanctitatis suæ manu subscribẽdum; ergo penes ipsum dumtaxat Romanum Pontificem est ius auocandi primas instantias sub prædictis conditionibus, & limitationibus executioni mandandum. Ex hoc fundamento ijdem Doctores inferunt à fortiori nullam aliam congregationem Romanam, aut ex illis, quas Sixtus V. erexit anno 1587. aut ex alijs, quæ temporum decursu erigentur, posse in prima instantia cognoscere de negotijs ad Ordinarios Iudices pertinentibus.

Pro-

Probant secundò, idem intentum singulariter pro Regnis Hispaniarum, nam cùm ex noua erectione Inquisitionis Romanæ per Paulum III. anno 1542. orta fuisset suspicio de priuilegijs, aut derogatis, aut limitatis, aut immutatis Inquisitionis Hispanæ, idem Pontifex anno 1544. expediuit litteras, quarum initium est: *Circumspecta Romani prouidentia Pontificis*, & in illis iurat in verbo summi sacerdotis non fuisse suæ intentionis quidquam pro ijs Regnis innouare: verba illius sunt. *Tenore præsentium in verbo Romani Pontificis attestamur nunquam intentionis nostræ fuisse, aut esse quod per constitutionem, aut deputationem nostrã, ac super illas confectas litteras officium Inquisitionis in quibuscumque Regnis, Prouincijs, & locis, aut aliquibus personis officium Inquisitionis huiusmodi dicta Apostolica auctoritate exercentibus, seu facultatibus illis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & Sedem Apostolicam præiudicaretur, & quatenus per eandem constitutionem, aut deputationem nostram, ac desuper confectas litteras, quoad præiudicium attinet, per præsentes reuocamus, cassamus, & pro nullis, & infectis haberi volumus.* Ex quibus verbis manifestum est Inquisitionem Romanam nihil immutasse de iuribus, & consuetudinibus Inquisitionis Hispanæ; sed quemadmodum ante erectionem Inquisitionis Romanæ, neque præueniendo, neque interrumpendo poterat quisquam præter nationales Inquisitores auocare, aut assumere primas instantias causarum fidei; ita nec post fundationem Inquisitionis Romanæ prædicta iura Hispanæ Inquisitionis quoad primas instantias temerari, aut violari poterant; præsertim quatenus Concilio Niceno, Lateranensi, & alijs Pontificum decretis innitebantur. Quod si Paulus III. ex præfatis litteris anni 1542. aliquod præiudicium intulit Hispanæ Inquisitioni illud non vltra biennium durare potuit, cum anno 1544. reuocauerit, & annullauerit priores litteras in ijs, in quibus, aut limitare, aut innouare viderentur aliquid de iuribus, aut consuetudinibus Inquisitionis Hispanæ.

Tertiò, idem intentum suadent ex litteris Sixti V. qui cum anno 1587. erexisset quindecim congregationes Car-

dinalium, ne per illarum erectionem ordinariorum, & iudicum competentium iura læsa viderentur, euulgauit declarationes nonnullas anno 1588. die vndecima Maij, quarũ prima est. *Si ante incohatum iudicium coram aliquo iudice pars coram congregatione conuenta renuerit in illam consentire, & noluerit causam à congregatione terminari tunc ad iudicem cõpetentem remittatur.* Ex quibus clarè mostratur tunc solum sacras illas congregationes posse iudicialiter cognoscere in prima instantia non præuia sententia Ordinarij, cũ partes litigantes communi consensu veluti ad iudicem arbitrum ad ipsas confugiunt.

In secunda declaratione idem Pontifex alia addit, quæ prædictum sensum illustriorem reddere videntur. *Quod si coram aliquo iudice incohatum fuerit iudicium; & deinde partes concordes congregationem adiuerint, tunc cõgregatio causam decidat, & acta ad se transportari faciat.* Omnia hæc & singula verba ostendunt apertè, vt illi Doctores aiunt, nihil contra Nicenum Canonem, nec decretum Concilij Tridentini à Romanis Pontificibus ex certa scientia fuisse attentatum: nam cum vniuersales Patres sint, atque Pastores, nũquam degradare, aut dehonorare voluere Catholicas Prouincias ad extranea Tribunalia primas instantias aduocantes.

Ex præmissis ijdem Doctores inferunt ratione Concilij Niceni, & Tridentini grauiora, & vrgentiora esse priuilegia Inquisitionis Hispanæ in prima instantia circa negotia fidei, & alia de quibus secundum ius, aut consuetudinem decidere, & iudicare solita est, quam ratione omnium litterarum Apostolicarum, quas ab anno 1485. sub Innocentio VIII. vsque ad præsentem diem Regum fauore suffulta à summis Pontificibus impetrauit. Id satis efficaciter probant collatione facta testimoniorum in vtramque partem, quæ quoniam ex infra adducendis facile potest inferri, in ea inuestiganda non licet immorari. Nolumus in re pendente a iure positiuo in alterutram sententiã inclinare, sed vtriusque fundamenta examinatiue solum, absque affirmatione, aut negatione producere.

(?)

De legibus Philippi II. anno 1593. pro executione prædictorum decretorum Concilij Tridentini, & Niceni. Caput III. examinatiue solum propositum.

PHILIPPVS II. in comitijs Matritensibus anni 1593. legem tulit, quæ nunc est 59. lib. 2. titul. 4. nouæ recopilationis: ea iubet ne violatio prædicti decreti Concilij Tridentini de primis instantijs ab ordinario iudice non auocandis vllo vnquàm loco, aut tempore in subditis sibi Prouincijs permittatur. Regiam auctoritatem pro executione eiusdem decreti supremo Castellæ Senatui commisit; nam eidem iam olim lege 62. eiusdem tituli, & lib. & lege 82. pro vniuersis clausulis Concilij Tridentini executioni mandandis similem etiam Regiam virtutem, & auctoritatem executricem demandauerat. Id sibi licere arbitratus est Rex Catholicus: Primò, nam Christiani Principes sunt extraordinarij Patres, & Protectores Ecclesiæ, & commissarij obseruandorum Conciliorum, & Canonum. Secundò, quia ijdem Christiani Principes executores sunt Concilij Tridentini ab ipso Concilio, & Pio IV. specialiter designati; quod pluribus testimonijs probant communiter Doctores quorum nonnulli allegantur à Narbona lib. 2. titul. 4. lege 59. glossa 2. Tertiò, nam idem Concilium sess. 25. cap. 20. prouocat Principes Catholicos ad imitationem antiquorum, illis verbis, *Imitantes anteriores, optimos, religiosissimosque Principes*, at multi ex his de obseruantia, & executione sacrorum Canonum erant solliciti, illamque promouebant legibus, & potentia; ergo ijdem præstare nunc possunt Catholici Principes. Quartò, nuper dictam legem Philippus euulgauit, quod multorum esset opinio in Concilio Tridentino non pauca esse decreta, quæ Hispani Reges cedentes iuri suo dubio, aut opinabili libenter admisserunt; cum tamen Reges Galliæ, & nonnullæ Prouinciæ nunquam se submittere voluerint legibus eius-

cutores esse decretorum, & Canonum Pius IV. & præfatum Concilium aperte declarant. Hinc varia media propo uerũt Doctores prædicti, quibus licitè impedire queant Principes violationem decretorum, & Canonum. Primum ex munere executoris, de quo, communis sensus est, quem expressit Caceres glossa 28, de executoribus testamenti, pag. 561. editionis Methymnensis in illis verbis. *Supposito quod executor sponte, vel inuitus acceptauit, & exercet officium executoris testamenti cum fuerit nominatus ad satisfaciendum illi, qui eius fidem, bonitatem, solertiamque probauit, videtur quodammodo creditor eius existere iuxta Iuris cõsulti sententiam in lege 1. & qui non exequitur, obnoxius remanet ad reddendam rationem, & de suo luere quod malefecit.* Quæcunque ab Auctoribus scribuntur de executoribus testamentorum, eadem dicenda credunt de executoribus Conciliorum, itaut Principes, qui hoc munus acceptarunt, sint vere creditores præstandæ executionis, & grauissimè peccent, si permittant ipsorum Conciliorum decreta, aut Canones temerari, aut violari, ergo per Regiam auctoritatem, & vim quam vniuersalis Ecclesia implorat à Principibus Catholicis, possunt impedire ne ab vllo Ecclesiastico, aut laico executio Concilij possit impediri. Secundò, ex munere Protectorum eandem assertionem persuadent; debent enim Principes ratione illius tueri, & protegere singula decreta, & Canones ne ab vllo magistratu laico, aut Ecclesiastico violentur; non quod iurisdictionaliter, vel auctoritatiue id præstent, sed vi paterni muneris, aut correptionis fraternæ executiuæ, impeditiuæ culparum, quæ in violatione Canonum, & decretorum, aut eorum dispensatione sine causa, aut per subreptionẽ contigerint. Non spectat ad Principes ex munere prædicto Ecclesiasticos transgressores Conciliorum punire; benè tamen impedire transgressionem in fieri.

Tertiò, cum sacri Canones, & leges quoad vim directiuam obligent etiam supremos Principes Ecclesiasticos, nec sine graui culpa, & scandalo ab ipsis violari possint, fit, vt ex mandato Diuino apud Ecclesiasticum, cap. 17. *Vnicuique mandauit Deus de proximo suo* teneantur impedire

dire Catholici Principes transgressiones suarum legũ, quæ cum peccato à summis etiam Principibus Ecclesiasticis dimanauerint. Hæc recitauimus ex alijs, & examinatiue tantùm proposuimus ad declarandum nonnulla ex illis fundamentis, quibus Doctores nonnulli vti consueuerunt ad tuendas leges Philippi II. initio huius capitis propositas, & similes alias, quas prisci Imperatores, & Principes pro executione, & protectione sacrorum Canonum promulgarunt. Addunt alij semper esse præsumendum de Ecclesiastico Principe, quod laudabiliter gessere Imperatores, & Reges, at Iustinianus Authent. vt defend. su l. §. si verò contigerit, & §. si verò, hæc iubet ne cogantur litigantes relinquere proprias Ciuitates, & Prouincias; idem igitur præsumendum de Ecclesiasticis Pastoribus. S. Bernardus lib. 3. de considerat. cap. 2. plura in hanc rem contulit.

Vtrùm singulare aliquid habeat extra ius commune Inquisitio Hispana circa primas instantias. Caput IV. assertiue propositum.

HVius dubij facilis est resolutio, nam ex præmissis certe constat pro tuendis primis instantijs ordinariorum in causis Ecclesiasticis nullas esse posse leges, aut indulta, quæ vniuersalis, & efficaciùs eorum iura tueantur, quàm quæ in superioribus sunt producta, cum ex Concilio Niceno, & Tridentino nullum Tribunal, aut Iudex orbis terrarũ possit licitè, aut validè primas instantias ordinarijs Iudicibus vsurpare. Solus Romanus Pontifex ex vrgentissimis fundamentis, si locum habeant, & robur sine degradatione, aut dehonoratione fidelium Prouinciarum, & regionum, vt monuit Pelagius Pontifex, cap. *Scitote*, valet sibi primas instantias assumere, dum tamen per speciale rescriptum signaturæ propria manu subscriptum, id præstet. Quoad primas instantias pertinet nihil amplius, aut illustrius habet Inquisitio Hispana in omnibus, & singulis Apostolicis lite-

te-

teris quas ipsi Apostolica Sedes concessit, vt constabit ex infra referendis.

Fortassis arbitretur aliquis decretum Concilij Tridentini, de primis instantijs ab ordinario Iudice non auocandis fauere non posse Hispanis Inquisitionibus, quod illæ delegatam potestatem habeant non ordinariam; ac proinde ordinarij locorum appellari nequeant, de quibus dumtaxat Synodus Tridentina locuta est. Verum hæc obiectio nullius est ponderis: primò, quia etiam alij plures habentes iurisdictionem quasi Episcopalem verè ordinarij sunt, in quibus nullus adest Episcopus, vt Abbates iurisdictionem Episcopalem habentes ex priuilegio Apostolico, & alij similes. Secundò, est duplex genus ordinariorum, aliud eorum, qui annexam habent potestatem ex iure Diuino, vt Episcopi; aliud ex destinatione, vel priuilegio Pontificis, penes quem est omnis iurisdictio originaliter: & hoc postremum etiam iuxta omnes Doctores comprehenditur cap. 20. sess. 24. Concilij Tridentini, itavt verè sint ordinarij Rectores quarundam Academiarum, Abbates non pauci, omnes Inquisitores, & similes alij. Tertiò Inquisitores particularium Prouinciarum supremæ Inquisitioni Hispanæ subditi simul cum ordinarijs locorum iudicant, itaut adsit simul in sententijs ferendis de negotio fidei Episcopus, aut illius Vicarius; ergo integrum Tribunal habet in se verum nomen Iudicis ordinarij, cum illud componatur ex ordinario loci, & ex delegatis Inquisitoribus. Propterea quando alia deessent omnia, & Inquisitores locorum non essent ordinarij Iudices ex delegatione Apostolica ratione præsentiæ Episcopi, aut Vicarij illius, primæ instantiæ de negotijs fidei ad alia externa Tribunalia auocari non poterant.

Lit-

Littera Apostolica summarie proposita de Iuribus, & priuilegijs Inquisitionis Hispaniæ in omnibus instantijs. Cap. V. recitatiue solum propositum.

NE quidquam maneat in obscuro circa primas instantias, & vt ea, quæ singularia habet Hispana Inquisitio facilius inuestigentur necesse est recitatiue dumtaxat proponere Apostolicas litteras, quæ de primis, & postremis instantijs prædictæ Inquisitionis tractarunt.

Dominus Ioannes Aluarez de Caldas occasione quarundam assertionum Complutensis Academiæ, de quibus simul in Romana Curia, & in Hispania causa fuerat incohata syllabum, seu breuiculum fecit litterarum Apostolicarum circa iurisdictionem Inquisitionis Hispaniæ pro informando Catholico Rege Philippo III. anno 1602. Eundem syllabum prout est in monumentis Consilij Status Regij breuissime perstringam. Innocentius VIII. tres litteras expediuit anno 1485. & 1486. in quibus dicitur: *Non ad nos, seu Sedem Apostolicam, sed ad te debeat appellari.* Alexander VI. anno 1494. superiores litteras confirmat, & ampliat, vt intelligantur de quibuscumque causis, & negotijs officiũ Inquisitionis concernentibus cum illorum dependentijs, & emergentijs. Iulius II. anno 1507. & Leo X. anno 1518. & Adrianus VI. anno 1523. eisdem ferè verbis superiores litteras confirmarunt. Clemens VII. anno 1524. & iterum anno 1529. & Paulus III. anno 1539. omnes anteriores prædecessorum Bullas repetunt, & confirmant. Singulare illud est, quod Paulus III. anno 1544. postquam primus omnium erexerat Inquisitionem Romanam dicat in quibusdam litteris Apostolicis sub iuramento in verbo Romani Pontificis se nihil innouare, aut immutare voluisse de iuribus antiquis Inquisitionis Hispaniæ propter erectionem Romanæ Inquisitionis, quam biennio ante fundauerat, vt in præcedentibus expensum est. Iulius III. anno 1551. om

nes

nes supra relatas Apostolicas dénuo firmat, & extendit ad quascunque causas quoquo modo pertinentes ad Inquisitionem Hispanam,& subdit se omnem suam potestatem in causis sanctum Officium quoquo modo tangentibus Hispanæ Inquisitioni tribuere, ac si nihil in sancta Sede de iurisdictione reseruaretur. Gregorius XIII. anno 1572. sigillatim prædictorum omnium breuium mentionem facit,& omnia in ipsis contenta denuo firmat. Similia sunt, quæ habentur in litteris Clementis VIII. anno 1596. & anno 1599. & expresse subdit, vt prædictæ litteræ ad ea omnia extendantur, de quibus solita est cognoscere Inquisitio Hispana, siue de iure, siue de consuetudine. In litteris anni 1595. idē Pontifex committit denuo Inquisitori Generali causam librorum cognoscendorum.

Addit prædictus Dominus Ioannes Aluarez de Caldas alias litteras Apostolicas ad probandum subreptitias fuisse litteras, quæ contra fautores assertionum Complutensium emanarunt è Romana Curia: nam Alexander VI. anno 1498. expediuit litteras declarantes non esse acceptandas veluti subreptitias Bullas quaslibet, in quibus aliquid contineatur aduersus iura Inquisitionis Hispaniæ. Similes alias dedit pro declaranda hac subreptione Clemens VII. anno 1524 & addit, nisi forsan cōsenserint Reges Catholici. Sixtus V. in erectione quindecim congregationum ait, se nihil immutare velle de iuribus Inquisitionis Hispaniæ, vt propterea si in simili causa, siue impressarum conclusionum, siue editorum librorum in Hispania, siue aliarum delationum ad huiusmodi officium Inquisitionis pertinentiū litteræ quæcumque in Romana Curia aduersus Hispanum quemlibet impetrarentur, veluti subreptitiæ acceptandæ non sint nisi cum prædictis cōditionibus, & limitationibus. Tandem prædictus Dominus Ioannes Aluarez de Caldas plures litteras Apostolicas compilauit, ex vi quarum iam olim Inquisitio Hispana de quibuscunque libris scriptis, aut impressis, & de quibuscunque propositionibus, & assertionibus cognoscit. Paulus III. anno 1539. specificat causam librorum cognoscendorum, vt propriam Hispanæ Inquisitionis in suo territorio. Iulius III. semel anno 1550. & ite-

tum anno 1554. Paulus IV. semel anno 1558. & iterũ per alias litteras anno 1559. & iterum per alias anno 1560. Pius V. anno 1564. & Gregorius XIII. anno 1572. Non paucæ ex litteris Apostolicis relatis sunt in antiquissimis expurgatorijs Hispaniæ, aut referuntur a Iacobo Castellano in compendio, fol. 57.62.70.92.137. aut proponuntur in Bullario magno: alia verò ex monumentis Regijs constant, & ex arcanis tabularijs, tùm Consilij Status, tùm Senatus Inquisitionis supremæ, quemadmodum liquet ex prædicto syllabo, aut breuiculo Domini Ioannis Aluarez de Caldas, primum in supremo Inquisitionis Senatu Decano, deinde Episcopo Ouetensi, tandem Abulensi. Omnes præmissas litteras Apostolicas, & plures alias denuo contulit in vnam summam D. Ioannes Dionysius Portocarrero è supremo Senatu Inquisitionis Hispanę, occasione cuiusdam prohibitionis, quæ à sacra congregatione de indice emanauerat anno 1628. & similiter occasione citationum personalium quas eadem sacra congregatio intimabat aduersus Hispanum quemdam Auctorem anno 1631. 1632. 1633. ipsum à nationalibus iudicibus in prima instantia separare contendens. Propterea multis modis, & vijs constat de fideli allegatione, & authentico robore breuium Apostolicorum, quæ produximus solum recitatiue, nihil circa illa commentantes, aut asserentes.

Decreta, & gesta nonnulla Regum Hispaniæ præsertim ne auocarentur primæ instantiæ Ordinariorum in negotio fidei. Caput VI. *recitatiue solum propositum.*

QVæ gesserit Philippus II. post Concilium Tridentinũ, vt leges sacras de primis instantijs tueretur, retulimus cap. 3. nunc expedit ea, quæ ab illius progenitoribus facta sint, recitatiue dumtaxat exponere. Supponere tamen oportet gloriosissimos, & religiosissimos Principes arbitratos esse sui muneris fuisse tueri, protegere, & executioni man-

mãdare sacros Canones,& Apostolicas litteras propter ea fundamenta, quæ tertio capite producta sunt. Referre expedit aliorum Regum gesta,& decreta extrahendo nonnulla ex illis,quæ Dominus Ioannes Aluarez de Caldas proxime relatus in breui summario produxit occasione prædictarum Complutensium assertionum, & quæ copiosius D. Ioannes Dionysius Portocarrerus in supremo Inquisitionis Hispanæ Senatu in vnum summarium contulit. Ferdinandus Rex Catholicus anno 1487. vigesima prima Decembris die,vt protector Concilij Niceni, & sacrorũ Canonũ, impediuit ne litteræ quædam è Romana Curia missæ ab Inquisitoribus Barchinonensibus acceptarentur,vt constat ex tabularijs prædictæ Inquisitionis Barchinonẽsis,id fecit Rex ne prima instantia,& alia iura à Sede Apostolica Hispaniæ concessa læderentur ipso inaudito,& Sede Apostolica incõsulta;hoc fuit ministeriũ executiuum,aut executio ministerialis omni iurisdictione destituta,quã Ecclesia Principibus, cõmendat ipsis iubens, vt sic segerant quemadmodũ in sequentibus innotescet. Anno 1505. idem Rex Catholicus Iulio II.scribit pro reuocanda cõmissione, quæ à sacra Rota emanarat circa causas nonnullas sancti Officij in prima instantia,vt constat ex lib.2.de Regijs decretis in tabularijs supremi Senatus Inquisitionis,fol. 244.

Anno 1509.idem Rex pragmaticã sanctionem sub grauibus pœnis euulgat cõtra intimantes,aut figentes litteras è Curia Romana circa Inquisitorum causas,ipso incõsulto, si non prius constet subreptitias non fuisse,& absque læsione vlla primæ instantiæ, & aliorum iurium ad Inquisitores pertinentiũ.Sic se gessit,quod quia vt tutor,& executor sacrorũ Canonum id sibi licere existimabat,& quia nonnullæ Apostolicæ litteræ ita generaliter præscripserunt, atque vt alij volunt propter varios titulos inferius recitãdos. Anno 1510.idem Rex Inquisitoribus Hispalẽsibus iubet,vt cohibeant eũ qui litteras Romanæ Curiæ intimauerit ipso non cõsulto.ex lib.3. pro schedulis Regijs,fol 71.Id præstitit, vt protector,& executor Concilij Niceni,& sacrorũ Canonum ne iura primæ instantiæ, & legitimæ aliæ Apostolicæ litteræ violarentur. Anno 1513.idẽ Rex Archiepiscopo,&

Proregi, & Inquisitori Cæsaraugustano mandat, vt notarios,& officiales impediãt,qui litteras è Romana Curia intimauerint pro citandis, & euocandis quibusdam Inquisitoribus ad sanctam vrbem,vt constat ex lib.3.proximè relato fol.208.id fecit pro tuendo Canone Niceno, & intra Regnum conseruanda prima instantia. Anno 1519. Carolus V. Imperator, & Rex plura similia exempla dedit à Domino Ioanne Aluarez de Caldas relata, & reperiri ait in libris decretorum regalium lib.5.fol.36.106.107.108.109. lib.7.fol.164.169.170.178.187.vbi de causa Archiepiscopi. Tol.& eodē lib.7. f.305 vbi de causa Episcopi Vrigolēsis, & lib.8.p.1.fol.174.& p.2.fol.2. 18.34.61.65.66.67.81.82.87.Sed nonnulla in specie declarare oportebit. Leo X.ad se aduocauerat per speciale rescriptum causā Didaci de las Casas,& aliorum,quos Inquisitio Hispana secretis carceribus incluserat, conqueritur Carolus V. mandatum esse nouum,& Hispaniæ valde noxium esse repræsentat, ac proinde subreptitiè impetratum contra decreta Concilij Niceni,lib.11.pro Regijs decretis,fol.55 56. Existimauit Carolus cum Pelagio Papa similes auocationes non fieri absque degradatione,& dehonoratione Prouinciarum, quā nunquam Romani Pontifices intenderunt. Eodem anno idem Imperator,& Rex Hispaniarum scribit Romano Pōtifici, & Cardinalibus pluribus super non auocanda causa Ioannis Prat ad Romanam Curiam, & monet se ea auocatione grauari, vt constat ex lib.11.pro decretis Regijs,fol.73.74.75. id præstitit ad conseruanda iura primæ instantiæ,& ne aut degradaretur, aut dehonoraretur Prouincia Catholica, ac si omnes illius iudices essent suspecti, iuxta mentem,& verba Pelagij Pontificis,& vt tueretur alios sacros Canones.Simile quid præstitit prædicto anno idem Carolus,vt patet ex eodem libro nuper relato fol.77.78.88. quod auditor Cameræ Apostolicæ assumpserat in prima instantia causam Bernardini Diaz, qui absens, & fugitiuus ab Inquisitoribus Toletanis fuerat proscriptus, Præterea grauissimas protestationes coram sanctitate sua fieri iussit idē Carolus,quod prædictos Inquisitores Romani quidam Iudices ob eandem causam Bernardini Diaz excommunicassent,

sent. Idem Carolus anno 1519. cum circa potestatem Inquisitorum Hispaniæ, & eorum electionem, & nominationem nouæ litteræ Apostolicæ contra prisca indulta, & iura primæ instantiæ postularentur, monuit illas aperitioribus habendas, & reputandas, vt infructuosas, & noxias, quod notum fit ex lib. 11. Regalium decretorum, seu schedularum, fol. 93. & fol. 98. Similia gesta referuntur eiusdem Imperatoris ex anno 1522. lib. 4. Regalium decretorum, p. 2. fol. 39. & anno 1524. lib. 8. p. 1. fol. 172. & anno 1525. lib. 5. fol. 34 & anno 1534. fol. 122. lib. 4. p. 2.

Philippus II. antequam legem illam de primis instantijs non auocandis anno 1593. euulgasset plura huius rei documenta præstitit.

Anno 1571. cum Ciuitas quædam grauiter læsisset iura sancti Officij iussit, vt orator Romanus summum Pontificem adiret; ne ea in causa per rescripta quidquam prouideret, quod id fieri non posset sine violatione iurium huius Regni, & dehonoratione Maiestatis Catholicæ, patet ex libro exemplarium Aragoniæ, fol. 148. atque id fecit, vt primas instantias tueretur.

Anno 1572. vt constat ex lib. 9. Regalium decretorum fol. 104. cum litteræ emanassent à Romana Curia admittẽtes appellationem, & auocantes causam Inquisitionis Hispanæ ad vrbem, iubet Philippus II. vt prædictæ litteræ ad se mittantur, quod ex Iulij III. & aliorum Pontificum voluntate absque Regum Hispaniæ consensu, nihil simile præstari valeret.

Anno 1582. & anno 1583. recursus ad Romanam Curiam contra iurisdictionem Inquisitorum Hispaniæ impedire curat Philippus, vt constat ex registro Inquisitionis Aragonensis fol. 11. 12. 13. & ex lib. 5. Regalium decretorũ, fol. 200. 227. 359. & ex lib. 6 fol. 157.

Anno 1583 cum ex litteris Apostolicis omnis cognitio in causis fidei Hispanæ Inquisitioni commissa fuerit per omnes instãtias, monuit Pontificem ne vllas pœnas illatas ab Inquisitoribus, aut dispensatione, aut relaxatione indulgeret, ex lib. 10. Regalium decretorum, fol. 176.

Anno 1587. iubet ne Inquisitor Sardiniæ ex ea Pro-

nuncia discedat: etiã post præceptum de personaliter Romæ comparendo: & graues minas interminat cõtra intimantes inhibitionem, aut citationem: ex lib. 3. Regalium decretorum fol. 354. Id ita præstitum, quia ex litteris Iulij III. sine consensu, & scientia Regum Hispaniæ similis citatio non potuit executioni mandari: alij alios titulos hoc factum honestates adducunt, quos in hoc tractatu referemus.

Libro octauo Regalium decretorum, & lib. 11. Coronæ Aragonensis plures sunt litteræ supplices Philippi II. ad Pontificem, ne vllas appellationes admittat Inquisitorum Sardiniæ etiam in causis ciuilibus.

Libro decimo Regalium decretorum, fol. 99. aliæ habentur litteræ Philippi II: pro non admittendis recursibus ab Inquisitione Hispana ad Romanam Curiam quemadmodum concessum est in pluribus litteris Apostolicis.

Hæc & alia similia gesta Regum Hispaniæ cum sacros Canones, & Concilia, & litteras Apostolicas sibi concessas tuentur, & per Regiam auctoritatem, & potestatem impediunt, ne vllatenus ab Ecclesiasticis, vel secularibus violentur; imitantur aliorum Regum, & Imperatorum facta, quæ interdum fuere â Romanis Pontificibus approbata. Anastasius Papa epist. 1. ad Ioannem Hierosolymitanum laudat Imperatores, quòd cogerent tàm Ecclesiasticos, quàm laicos ad executionem sacrorum Canonum, & eorum transgressionem impedirent. Concilium Ephesinum propterea laudauit Theodosium Imperatorem. Idem præstitit Leo Magnus epist. 7. & 45. ad Leonem, & Marcianum Imperatores. Notanda eius verba epist. 75. ad Leonem Augustum. *Sic debes incunctanter aduertere Regiam potestatem tibi, nõ solum ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, vt ausus nefarios comprimendo, & quæ benè statuta sunt, defendas.* Non alius est defensionis modus eorum, quæ benè per sacros Canones, & Concilia, & litteras Pontificias statuta sunt, nisi impediendo ne violentur, etiã â Magistratibus Ecclesiasticis: Quæ autem iam peccata cõmissa sunt aduersus sacra Concilia ab Ecclesiasticis, non debent â Principibus puniri, id enim excedit munus prote-

cto-

ctoris, & executoris, & innoluit iurisdictionis potestatem, quam in Ecclesiasticos exercere nequeunt. Pertinet solum ad illos impedire ne fiant tùm ratione prædicti muneris, & commissionis Ecclesiæ, tùm propter generale mandatum Dei, quo dicitur, *vnicuique mandauit de proximo suo*. His principijs innixi Reges Hispaniæ primas instantias Inquisitorum, & ordinariorum, vt assertas à Concilijs Generalibus tuentur, nullatenus permittentes, vt ab vllo Ecclesiastico Magistratu cum præiudicio sacrorum Canonum, & fidelium Prouinciarum temerentur. Singulariter hanc formam procedendi licitam esse Regibus Hispaniæ circa negotia fidei, persuadent graues Doctores ex litteris Alexandri VI. anno 1498. Septembris 17. quæ habentur lib. 1. bullarij manuscripti, tit. 3. bulla 5. fol. 95. in quibus declaratur subreptitia esse breuia, quæ immutauerint aliquid de iurisdictione Inquisitionis Hispanæ. Hæc sunt, quæ ex alijs referre debuimus ea tantum recitatiue, & examinatiue solum proponentes. Plura alia quibus hæc gesta ab alijs honestantur in decursu huius tractatus producentur.

Referuntur Apostolicæ litteræ, quæ in causis fidei prohibent recursum appellationis ab Inquisitione Hispana. Caput septimum recitatiue tantum propositum.

NOn loquimur de causis doctrinarum, quæ sub dubio, aut lite versantur, an sint, vel non sint fidei contrariæ: nec de illis, quæ pro se magnos habent Doctores, & dubium est, an sint, vel non sint ab Ecclesia condemnatæ: cum circa illas omne iudicium humanum fallibile sit, nec infallibilitatem in decernendo, aut declarando veritatem possit Apostolica Sedes alijs delegare, nisi in ipsa priuatiue subsistit, vt notum est. Propterea in his casibus

in

inconsulto Romano Pontifice nihil possunt decernere, vlla orbis Tribunalia, quod veluti indubitatum axioma supponunt Doctores vniuersi Theologi, & Iurisperiti. Tractamus dumtaxat de causis illis, in quibus supposita legitima probatione facti, aut indubitatam est continere hæresim, aut errorem, aut saporem, vel suspicionem hæresis, & erroris, aut scandalosam, aut temerariam, aut piarum aurium offensiuã fœditatem in negotio fidei, & doctrinæ, & religionis iuxta præscriptas leges à sancta Sede, & Doctoribus, quas alibi declarauimus.

In his postremis causis continentibus absque dubio proximè relatas censuras supposita probatione sufficienti dictorum, aut factorum, sequentes clausulæ Apostolicæ decernunt quid iuris habeat Inquisitio Hispana circa impediendos recursus appellationum ad Romanam Curiam.

Innocentius VIII. anno 1485. 1486. tres litteras Apostolicas expediuit, quæ (vt refert Dominus Ioannes Aluarez de Caldas in summario, cuius meminimus cap. 5. & D. Ioannes Dionysius Portocarrero) reperiuntur in archiuis, & tabularijs supremi Senatus fidei. Hæ tres bullæ habentur tit. 1. lib. 1. bullarij manuscripti, fol. 5. & 6. & sunt quarta, quinta, & sexta. In illis autem prohibetur recursus appellationis à supremo Inquisitore etiam ad sanctam Sedem illis verbis. *Non ad nos, seu Sedem Apostolicam, sed ad te debeat appellari.* Idem Pontifex anno 1487. aliud breue expediuit, quod est in tom. 2. bullarij manuscripti, lib. 1. bulla 2. fol. 44. in eo decernit, quod si aliqua causa simul fuerit Inquisitorum, & Episcoporum à sententia Inquisitionis appellari non possit; benè tamen à sententia Episcopi.

Alexander VI. anno 1493. vt constat ex lib. 1. bullarij producti tit. 1. bulla 3. fol. 3. confirmat quatuor nuper relatas litteras Apostolicas Innocentij, & eas ita ampliat, vt dicat negandum esse recursum appellationis, *pro quibuscunque causis, & negotijs officium huiusmodi concernentibus: & illorum dependentijs, & emergentijs.* Idem Pontifex anno 1500. iubet per alias litteras nullam fieri appellationem ab Inquisitione Hispana ad Romanam Curiam, sed omnem

cog-

cognitionem, & recursum in supremo Inquisitore terminari. ex lib. 1. bullarij relati, tit. 1. bulla 8. fol. 12. & bulla 9. idem statuitur anno 1502. Maij die 15. vt constat ex lib. 1. bullarij, tit. 2. bulla 6. fol. 47.

Iulius II. anno 1507. die 4. Iunij, & die 9. Nouembris expediuit duas litteras Apostolicas pro generali Inquisitore Aragoniæ Ioanne Engerra continentes proxime relatas clausulas Innocentij, & Alexandri, & habentur lib. 1. bullarij dict. tit. 1. bulla 10. fol. 13. & tit. 2. bulla 8. fol. 50. & eadem iura, & priuilegia tribuit supremo Inquisitori Castellæ Francisco Ximenio, vt constat ex lib. 1. bullarij, tit. 2. bulla 7. fol. 49. Facta est separatio ddorũ generalium Inquisitorum, quod mortua Elisabetha Regina Ferdinandus hæreditarium Aragoniæ Regnum adiuerit, & Philippus I. gubernacula Castellæ tenere cæperit.

Leo. X. anno 1513. die 31. Maij expediuit litteras, quæ habentur lib. 1. bullarij, tit. 2. bulla 9. fol. 50. in quibus prohibet sub pœna excommunicationis ne aliquod Tribunal Ecclesiæ, aut per viam appellationis, aut aliter cognoscat de pertinentibus ad Inquisitionem Hispanam in vlla instãtia. Eodem anno die 15. Iulij, & lib. 1. bullarij, tit. 1. bulla 12. fol. 18. idem Pontifex prohibet omnem recursum etiam per appellationem ab Inquisitione Hispana. Similes alias litteras Apostolicas dedit anno 1516. idem Leo die 13. Nouembris, & anno. 1518. die 4. Martij, quæ habentur lib. 1. bullarij, tit. 1. bulla 13. fol. 20. & bulla 14. fol. 23.

Adrianus VI. anno 1523. die 10. Septembris, vt constat ex lib. 1. bullarij, tit. 1. bulla 15. fol. 26. in litteris Apostolicis repetit, & confirmat quæcumque ex præcedentibus producta sunt.

Clemen. VII. anno 1524. die 6. Ianuarij dat litteras Apostolicas, quæ habentur lib. 1. bullarij, tit. 2. bulla 35. fol. 74. in quibus prohibet, ne causæ ad Inquisitionem Hispanam pertinentes in vlla instantia, neque per viam appellationis ad Romanam Curiam deportentur, nisi de consensu Regum Hispaniæ: dixerat nuper, *Quomodocumque appellari contigerit, ad pro tempore existentem Inquisitorem generalem, non autem ad Sedem Apostolicam, ac si nihil de iu-*

risdictionem sibi reseruauerit, appellandum fore, anno 1529. die 21. Decembris iterum proximè dictas litteras confirmat ex lib. 1. Bullarij, tit. 1. bulla 29. fol. 81.

Paulus III. anno 1534. die 21. Decembris vt liquet ex lib. 1. Bullarij, tit. 1. bulla 31. fol. 85. litteras expediuit confirmantes proxime relatas bullas Clementis VII. cum omnibus, & singulis in eis contentis. Idem Pontifex anno 1539. Septembris die septima, vt habetur lib. 1. Bullarij, tit. 1. bulla 18. fol. 32. per speciale rescriptum confirmat litteras Leonis, & Clementis, & inter alia subdit. *Appellationes, ac prouocationes quascumque ad alium, vel alios, quàm ad te, etiam ad nos, & Sedem Apostolicam interponendas, sit irritum, & inane, &c.* His in litteris Inquisitioni Hispanæ expresse committit prohibitionem, correctionem, & expurgationem librorum. Aliæ huius Pontificis litteræ superioribus capitibus allegatæ sunt; quæ magnum momentum habent ad præsens institutum. Anno 1540. die 18. Februarij, idem Pontifex alias dedit litteras, quæ omnes relatas hactenus confirmant, vt habetur lib. 1. Bullarij, tit. 1. bulla 19. fol. 35. simile rescriptum produxit anno 1547. die 20. Ianuarij, & liquet ex lib. 1. Bullarij, titul. 1. bulla 20. fol. 35.

Iulius III. anno 1551. Decembris die 15. litteras expediuit Apostolicas, quæ habentur lib. 1. Bullarij, tit. 2. bulla 32. fol. 88. quarum meminimus cap. 5. vbi omnes anteriorum Pontificum Bullas confirmat ad quæcumque negotia quomodolibet annexa, connexa, dependentia, & emergentia, & pertinentia ad sanctum Officium.

Gregorius XIII. & Sixtus V. similes alias litteras expedierunt; verum sat est ex Clemente VIII. duas, aut tres bullas producere: anno 1595. die prima Augusti omnes precedentium Pontificum litteras confirmat, & addit. *Statuentes Appellationes, seu prouocationes, seu recursus à quibuscumque sententijs, & decretis per quoscumque Inquisitores promulgatis, & promulgandis ad te ipsum solum, & non ad alium, &c.* Anno 1596. die 10. Ianuarij idem Pontifex, vt constat ex lib. 2. Bullarij, fol. 142. bulla 46. tribuit Inquisitori generali cognitionem omnium, & singulorum pertinentium

tium ad sanctum Officium, & priuilegia, ac indulta à prædecessoribus concessa denuo confirmat, & tandem his verbis concludit. *Teque causas appellationum, seu prouocationum, & recursuum huiusmodi vnà cum omnibus, & singulis earum incidentibus, dependentibus, & emergentibus, annexis, & connexis per te, vel alios audire, cognoscere, & fine debito terminare posse, & debere.* Hæc quæ à nobis recitatiue sunt allata abunde declararunt quid iuris habeat Inquisitio Hispana in omnibus, & singulis instantijs ex indultis, & priuilegijs Apostolicæ Sedis. Longe aliud hoc est ab eo quod Thuanus lib. 93. scribit de libertate Ecclesiæ Gallicanæ, ijs verbis. *Licet Galli Pontificem in rebus sacris supremam dispensationem habere fateantur, tamen in Gallia nunquam potentia absoluta, & infinitæ locum habuit; sed ea quæ Canonibus, & priscorum Conciliorum in Regno receptorum definitionibus quasi intra terminos coercetur, & in hoc maximè consistere libertatem Ecclesiæ Gallicanæ.* Propterea Concilium Tridentinum eo in Regno admissum non est. Hispaniæ verò Reges nulla non admittunt Concilia quoad reformationem ex ijs quæ Ecclesia celebrauit: Non respuit Lateranense sub Leone X. nec Tridentinum, sed summo cultu veneratur, quod tamen noluit Ecclesia Gallicana.

An qui in diuerso territorio crimina cōmisit præcipuè aduersus fidem si in territorio alterius Ordinarij tamdiu est cōmoratus, vt absolutè sit illi subditus, remitti queat ad Ordinarium priorem Cap. VIII.

REmissio Rei ad locum delicti fundatur in dispositione iuris communis, vt determinatur in auth. si verò, c. de adulterijs, & in auth. vt nulli iudicum, §. siquis verò, & ex hac lege conclusionem deduxerunt Iurisperiti iuxta Couarru. practicarum, cap. 11. à num. 3. Barbosa in l. hæres absens, § proinde, ff. de indicijs, in articulo de foro delicti, nu. 66. & ius Canonicum sequens iuris Ciuilis dispositionem idem statuit in cap. vltim. de foro competenti, vbi

a. 2: glos-

lin in cap. fin. de foro delicti, num. 134. Primùm, quòd hæc opinio communiter reijcitur, vt falsa; imò inter iudices Ecclesiasticos diuersarum Prouinciarum, & Regnorum non est licita prædicta remissio nisi in casibus specialibus, in quibus ius Canonicum ita præcipit, vt resoluit Barbosa dicto num. 134. Secundò, quia illa opinio Felini intelligitur quando iudices Ecclesiastici sunt diuersarum Prouinciarum, v. g. diuersorum Archiepiscopatuum, verùm subordinati eidẽ Principi sæculari, quia tunc non paratur præiudicium in remissione vlli Principi neque iuribus, quæ habent supra sibi subditos, vt stent iudicio suarum Prouinciarum. Verùm quando Prouinciæ sunt subiectæ diuersis Principibus sæcularibus, dubium non est, quin non possit fieri remissio in aliud Regnum, quia ex hoc præiuditium paratur Principi sæculari habenti ius in sibi subditum cuiuscu nque status, conditionis, dignitatisque sit, si tamen in suo Regno commoretur: quia, etsi Ecclesiastici sint exempti à iurisdictione sæculari quoad forum & tributa, cæteraque in quibus ius Canonicum eos eximit ab illa iurisdictione; verùm non propterea desinunt esse subditi Principis in cuius Regno degunt, & debent illi præstare obedientiam, & iura subiectionis, vt scribit S. Thom. 1. 2. quæst. 69. art. 4. & de regimine Principum lib. 1. cap. 12. Soto 4. de iustitia, quæst. 4. Molin. disput. 31. conclus. 6. Driedo de libert. Christiana, lib. 2. cap. 1. proposit. 4. Henriq. lib. 10. summæ, cap. 15. Bellarmin. lib. de Clericis, cap. 6. & est omnium Theologorũ sententia, & inter Iurisprudentes sentiunt hoc idem Gregor. Lopez lib. 5. tit. 5. partit. 1. verb. *El Rey*, & l. 4. & 15. partit. 9. & latissime Surdus consil. 391. Salcedo ad practicam Bernardi, cap. 55. vers. *Sed vt libere*. Azeued. l. 1. tit. 1. lib. 4. recopilation. num. 45. & l. 13. tit. 3. lib. 4. recopil. nu. 4. Cum sint Ecclesiastici subditi, eadem ratio, quæ obstringit ad non præiudicandum iuri subiectionis in remissione sub liti sæcularis, obligat etiam ad sentiendum idem in subdito Ecclesiastico. Ob quam rationem est conclusio constans Iurisprudentum, non posse subditum vnius Principis subijci foro iudicis territorij alterius Principis propter præiudicium, quod causatur subiectioni. Paul. in l. 1. nu. 4. cap.

vbi de crimine agi oportet Gregorius Lopez l. 15. titul. 1. partita 7. in glossa, verbo *Respondiendo*, & vt manifestum est, non quia Clericus, vel Religiosus, desinit esse subditus.

Secunda limitatio est. Quod remissio ad territorium delicti non habet locum si est consuetudo in contrarium, vt probat Barbos. vbi supra, numer. 173. vbi dicit: Vbi est consuetudo non peccare iudicem, qui denegat remissionem, & ibi. numer. 175. Verum, vt patebit ex sequentibus, est consuetudo in viridi obseruantia ne remittatur ab Inquisitione Hispaniæ reus aliquis etiam ad Inquisitionem Lusitanam, quæ habet eundem sæcularem Principem, & Dominum, nisi vel reus fugerit postea quam citatus fuerit iudicialiter, vel capta fuerit persona, vel fuerit falsus testis, & accusator in iudicio, quod actualiter fiat contra innocentes in ea Prouincia, à qua fugiens discesserit. In hoc casu dubitari non potest de consuetudine circa fidei causas, quia compertum est annis centum nullam fuisse factã remissionem etiam ad Romanam Curiam. Causa Petri de Osma quamuis ad vrbem delata sit; nihilominus remisit eam Sixtus IV. ad Archiepiscopum Toletanum, atque id factum ante fundationem Inquisitionis Hispaniæ. Post eius fundationem iuxta statum quem hodie habet, nunquam permissa fuit hæc remissio etiam inter Lusitaniam, & Castellam: etsi fuerint causæ nonnullæ, quæ occasionem præbuerint aliquid innouandi tam ex parte Romanæ Curiæ, quàm prædictarum Inquisitionum. Quod si consuetudo inueterata sufficiens est ad corrigendam, & reuocandam legem, & ius positiuum, quæ extarent in contrarium, vt obseruant Doctores Iuris Canonici in capit. vltim. de consuetudine, Suarez de legibus tractans de consuetudine, satis innotescit quid in nostro casu dicendum sit. Præterea consuetudo in hoc casu non est correctoria iuris communis, sed declaratoria particularis casus, in quo est varietas opinionum, vt expresse dixit Barbosa dict. artic. de foro delicti, numer. 174. & hæc consuetudo declaratiua, vel interpretatiua Iuris, quamuis non sit inueterata nisi decem annorum, & minoris temporis, sufficit, vt inducat

obli-

obligationem, & habeat vim legis, vt docet Rochus de con suetudine, sect. 5. num. 5. Garcia de beneficijs, 5. p. cap. 8. num. 80.

Aduertendum est, pro causis fidei concludi efficacius non habere locum remissionem; quia in casibus hæresis non datur locus remissioni iuxta meliorem, & magis receptam opinionem, vt constat discurrendo per resolutiones Doctorum, qui de hac materia scripsere. In quæstione, si in crimine hæresis admittenda est remissio ad locum delicti, sunt duæ opiniones. Prima negatiua, quòd non sit facienda ad alium locum. Hæc opinio est gloss. in capit. vt commissi, verbo præcedenti de hæreticis in 6. vbi sequitur Archidiaconus, numer. 3. & Ioannes Andr. Rojas in singulari 173. num. 7. Peña in direct. Inq. part. 3. rubrica de forma citandi absentem comm. 33. Decianus in tractat. criminal. lib. 5. capit. 21. num. 27. Paramo de origin. Inquisit. lib. 3. quæst. 4. rubrica de forma, & ordine iudiciario, numer. 77. Martinus Delrio de disquisit. magic. lib. 5. sect. 2. versic. 7. & pro hac opinione refert sexdecim Auctores grauissimos Farinac. de hæresi, quæst. 197. §. 1. numer. 10. & magis vrgens & efficax est, quod scribit Vmbertus Locatus, tractat. de iudicio Inquisitionis, verbo *Inquisitio*, num. 4. vbi asserit esse declarationem Clementis IV. in quadam constitutione, quæ incipit. *Quoniam illis*, in §. Quo autem: & hanc opinionem vere habuit Simancas de Catholic. titul. 2. numero 14. quia quamuis dicat, remissionem locum habere in crimine hæresis; nihilominus resoluit Inquisitorem Prouinciæ, in qua degit hæreticus, posse hunc punire: & sic effectiue dicit quod remissio non est necessaria; sed voluntaria. Quando est consuetudo non remittendi iam non erit voluntarium; sed obligatorium quod non remittant Inquisitores reos diuersorum Regnorum, quæ habent diuersos Patriarchas, & Inquisitores generales.

Contrariam opinionem, scilicet, quod in crimine hæresis facienda sit remissio ad locum delicti sustinuerunt alij Doctores, quos refert Farinacius dicto numero 10. Non est dubium, quin prima sit communior, & magis recepta, vt

Azor institutionum moralium, part. 1. lib. 8. cap. 18. rubrica de sacris Apostolicis Inquisitoribus, quæst. 15. (quos etiam refert pro contraria opinione Farinacius dict. num. 14.) procedunt quando reus est fugitiuus, vt patet ex verbis Peñæ vbi proximè, & ex concordia Farinacij dicta quæst. 197. num. 13. vers. *In hac contrarietate*, & præter particularem istam circunstantiam fugæ fauet Peña opinioni, quæ facit contra remissionem in loco supra allegato inter Auctores nostræ sententiæ: Paramo, & alij, quos refert Farinacius dicta quæst. 197. num. 15. qui dicunt inter Inquisitores habere locum præuentionem licet referant Concilium Narbonense, & instructionem Vallisoletanam, non dicunt, quod si Inquisitor vnius Prouinciæ cognitionẽ causæ incæpit contra aliquem reum, remittendus sit reus, qui manet in alio loco, & Prouincia, si enim hoc dicerent, opponebant se eidem asserto, quod Paramus, Simancas, & Peña docuerant locis præallegatis pro prima opinione, qui expressè dicunt non habere locum remissionem personæ rei ad locum delicti; & sic limitanda eorum intelligẽtia, & declaratio ad solum casum fugæ post citationem iudicialem, vel ob fugam è carcere, aut accusationem, & testificationem falsam, ex qua aliqui innocentes actu in ea Prouincia patiantur.

Etsi prædicta opinio de præuentione intelligeretur vti asserunt nonnulli, posset Inquisitio Hispaniæ procedere in aliquem degentem Romæ, & ob rationem istius præuentionis petere reum, qui est Romæ: quia isti Doctores, qui loquuntur de præuentione non eam fundant in hoc, quod Inquisitor, qui cognitionem causæ capit, sit iudex patrati delicti; sed in hoc quod præuenerit, & hanc præuentionem facere potest quamuis delictum commissum non sit in suo territorio, quia Inquisitores possunt cognoscere, & procedere contra hæreticum extra suum districtum delinquentem, vt dicit Simancas, de Catholicis institut. supra num. 18.

Ob quod Germanus sensus istius opinionis, quæ dicit præuentionem inter Inquisitores habere locum sit, quod qui primum capturam fecit, vel citauit iudicialiter delinquentem, & ob capturam, vel citationem præuenit iurisdi-

ctionem possit, & debeat cognoscere de causa, & alij teneãtur remittere illi processum, & culpas, quas acceperint contra reum. Itaque præuentionem tenet ille, qui actu habet personam Rei, & eum capit, & ob hoc nullus Doctorũ, qui de præuentione egit, dicit Inquisitorem remissurũ personã Rei ratione præuentionis; sed remittere debere probationes, testes, & quidquid faciat contra reum, Inquisitori, qui præuenit capiendo personam Rei. Ita tenet Simãcas de Catholicis, tit. 43. n. 29. ibi: *Inquisitores aliarum Prouinciarum ad illum, qui præuenit, mittere debent testimonia, & quidquid contra reos habuerint.* Idem sentiunt Peña, & Paramus citati à Farinacio vbi supra, n. 15. & sic ex his Doctoribus nullus potest adduci pro negotio remissionis Rei.

Iuxta dicta non solum est communior, & magis recepta opinio, quæ negat remissionem rei ad locũ delicti in causa hæresis; verum etiam est certa, & indubitata, si attente legantur quæ scribuntur in pũcto præsenti: & quamuis nullo alio fulciretur fundamento hæc opinio nisi, quod est cõmunis, pro illa esset consulendum necessario, & iudicium ferẽdum: quia in iudicio practico cõmuniorem sequi debemus opinionem, si efficax ratio oppositum non conuincat, præcipue si illi fauet consuetudo, vt supra diximus, quæ habet vim legis ad declarandum, & interpretandum opinionem, quæ est magis vera in casibus controuersis, vt superius meminimus, & probat latissime Suarius de legibus, lib. 8. & nos inferius.

Ex iam dictis colligitur, quod non solum non peccabit iudex, qui in hoc casu negauerit remissionem, vt ex Barbosa supra diximus; imò secus faciendo reus erit damnationis æternæ, quia operatur contra cõmunem opinionem, & consuetudinem, quæ habet vim legis. Secundò colligitur etiam non esse iudicem fautorem illius hæretici, quem non remittit, quia procedit secundum legem, & facit actum licitum, & sine peccato, vt constat ex dictis; & si aliter egerit, minime liberabitur à prædicta cu'pa Inquisitor non remittens culpas iudici, in cuius carcere manet delinquens, eo quod non miserit reum ad se.

Ex

Ex consuetudine, & pacto, & authentice scriptis contractibus ostenditur non esse locum remissioni, quando criminosi in fidem non fugiunt post capturā, aut citationem iuridicam. Caput IX.

PRæmissa capite præcedenti sententia efficacissime probatur ex vigore consuetudinis: nam vt ab Hispania sumamus exordium, quo tempore Aragonia, Nauarra, & Castella tres habuere generales Inquisitores, nulla vnquā facta fuit remissio ad locum delicti, si reus ad diuersum territorium intra Hispaniam ante citationem, aut accusationem confugisset; verum, quia ea diuisio Inquisitorum exiguo tempore permansit, id est eo dumtaxat, quo viuente Ferdinando Catholico Rege post defunctam Reginam Elisabeth, ad hæreditaria Regna secessit, nulla potuit esse tunc diuturnitas consuetudinis, quæ nostram opinionem capite proximo declaratam firmius stabiliret. Idcirco robustius argumentum est, quod à perpetua, & numquam interrupta consuetudine Inquisitionis Hispanæ, & Lusitanæ desumitur, quæ stabili, ac continuo fluxu annorum circiter centum illud obseruauit, ne remissio daretur ad locum delicti, si reus in alterius Inquisitionis iurisdictione versaretur.

Anno 1544. Dominus Henricus Infans simul, & generalis Inquisitor Lusitaniæ pactum inijt cum Domino Ioanne de Tauera Castellæ, & Aragoniæ supremo Inquisitore, ne si delinquentes in negotio fidei, & religionis ante capturam, & citationem iuridicam effugissent, vllatenus remitterentur ad locum delicti; sed solum testimonia ratificata, aut processus cum debitis circunstantijs producta mitterentur ad locum, vbi criminosi adessent. Quod pactū Carolus V. & Ioannes III. vtriusque Coronæ Principes confirmarunt.

Hæc concordia ad annum vsque 1567. diligenter obseruata fuit, & executioni mandata, plurimisque

confirmata experimentis. Anno autem 1568. Henricus Infans Cardinalis litteras mittit ad Franciscum Pereiram Lusitaniæ Oratorem in Regno Castellæ, quibus eum certiorem facit de pacto, aut quasi contractu inter duos Reges, simul etiam inter Lusitanam, & Castellanam Inquisitionem, quo firmiter decernitur reos in causa fidei; â Lusitania in Castellam, neque èconuerso fore remittendos, si fugam è loco delicti non præcesserit captura, aut iudicialis citatio; solum testium dicta cum ratificatione postulanda esse, & subdit sic fuisse determinatum post seriam consultationem, quod ea praxis iuri, & rationi multo cõformior videretur.

Anno 1569. die tertia Februarij Cardinalis Infans Lusitaniæ supremus Inquisitor, & Eborenses Inquisitores litteras scribunt ad Ministros sancti Officij Castellanos: in eis postulatur solummodo vt testimonia cum ratificatione testium mittantur in Lusitaniam, & semper ordine seruato vt Castellana Inquisitio à prima cognitione vsque ad definitiuam sententiam procederet aduersus reos, quos in sua iurisdictione teneret, etiamsi in Lusitania deliquissent cõtra fidem. Et similiter Inquisitio Lusitana de ijs cognosceret, qui in suo territorio versarentur licet in Castella crimen hæresis perpetrassent.

Similiter anno præscripto, die 24. Septembris, Inquisitores Llerenenses remittere nolunt comprehensos à se Lusitanos, etsi aliorum essent apostatarum, seu hæreticorũ complices, quos Lusitana Inquisitio comprehenderat, testificationes dumtaxat missæ fuerunt, quæ eos cõtinebant, qui in carceribus prædicti Regni concludebantur.

Proximè notato anno, die 11. Octobris decernit suprema Castellæ Inquisitio non esse ad Lusitaniam remittẽdos reos Lusitanos fugitiuos, quos in carceribus harũ Prouinciarum tenebat, eo, quod suprema Inquisitio Lusitaniæ nollet remittere Castellanos fugitiuos, quos in sua iurisdictione fouebat.

Anno 1570. die 11. Februarij, Cardinalis Infans, & generalis Inquisitor Lusitaniæ postulat â suprema Inquisitione Castellana, vt qui post capturam, aut citationem fuge-

gerant à Lusitania sibi remittantur, & spondet se idem omnino facturum, quoties post incarcerationem, aut citationem ab Inquisitoribus Castellanis exhibitam, fugerint criminosi ad territorium Inquisitionis Lusitanæ.

Hæc quidem praxis perpetua, & solemnis fuit, vt mutuo, & reciprocè vtriusque Regni Inquisitores testificationes sibi remitterent pro illis Reis, quos in suis Prouincijs comprehendissent, etiamsi multo ante in naturali territorio deliquissent contra fidem, & longo post tempore inchoassent criminum recentium cognitionem ex nouis delationibus, aut testificationibus acceptam.

Tandem sub vno Rege Philippo II. vterque Lusitanorum, & Castellanorum status conuenit, supremis Inquisitionibus, vt antea separatis. Verùm eadem semper inuiolabiliter fuit obseruata consuetudo pactis, & quasi contractibus expressis ad eam firmandam interpositis. Propterea nexus multo strictior est in hoc casu, quam qui ex consuetudine oriri contingit: nam consuetudo est tacita quædam conuentio, aut quasi contractus, aut ius non scriptum ex diuturno vsu in populos inductus. At in præsenti controuersia præter consuetudinem ex tacita conuentione natam de non remittendis criminosis aduersus fidem à Castella in Lusitaniam, neque à *Lusitania* in Castellam, sunt contractus, & pacta authenticis, & voluntarijs scriptis cōfirmata: ergo est multo vrgentior obligatio non remittendi reos, vt prædictum est, quam quæ ex mera consuetudine oritur.

Legat qui volet omnes illas conditiones, & circunstātias, quas ad valorē, & vigorem consuetudinis descripsere Theologi, & Iurisprofessores; quas omnes compilauit Tuscus, verbo *Consuetudo*, à conclusione 793. vsque ad 958. & nullam in nostro casu desiderabit: nam hæc consuetudo nō remittēdi nisi eos duntaxat, qui post citationem, aut capturam fugerint, fuit generalis, item frequens, item diuturna, item per actus notorios, & cōformes cum publica notitia Regnorum, & Principum, & Senatuum, tā laicorū, quā Ecclesiasticorum exhibita: itē est immemorialis quoad tēpus, aut saltem cum ipso exercitio sancti Officij inchoata.

Quod

Quod si annorum quadraginta spatiū sufficit ad inducendam cōsuetudinem vires legis obtinentem in omnibus illis materijs, quæ aut Pontifici Romano, aut Regibus, aut Imperatoribus non sunt reseruatæ, proculdubio in nostra thesi tempus consuetudinis non remittendi à Lusitania in Castellam, aut à Castella in Lusitaniam duplo maius est, & quod ferè attingat numerum centum annorum. Confirmatur ex probationibus adductis ab ipso Card. Tusco côclu. 814. ad côuincêdū generalē, frequentē, & publicā annorū quadraginta, cōsuetudinē vt habeat vim legis, etiā si oponatur alicui determinationi iuris Canonici. Hinc fluit efficacissimū argumentum: nā consuetudo ex tacita conuētione absque pactis, & contractibus expressis, & scriptis, tāti roboris est, vt super & legū, & sacrorum Canonum efficaciam, quod grauissimis testimonijs firmat Cardinalis Tuscus conclus. 806. & communiter obseruant Theologi: ergo cōsuetudo non remittendi criminosos in fidem è Lusitania ad Castellam; neque è cōuerso cū firmetur expressis pactis, & contractibus scriptis cū scientia, & approbatione Principum laicorum, & Ecclesiasticorū, & omnium Senatuum, ac Prouinciarū multo robustior erit, & efficacior ad infringendā vim cuiuscūque legis, aut Canonis cōtrarij, si fortasse inueniretur aduersari, quod tamen negamus. Cōfirmatur eadem doctrina, quia cōsuetudo habet vim pacti, & idē præstat, ac priuilegium, & præscriptio, quod multis argumētis probant Doctores allegati à Cardinali Tusco, concl. 807. 808. 809. Igitur cū prædicta non remittendi cōsuetudo sit antiquissima, & innitatur pactis, & cōtractibus authentice scriptis certissimā habet vim pacti, priuilegij, & præscriptionis. Nominatim Baldus, Fulgosus, & alij producti à Tusco, concl. 849. statuunt ius remittendi reos ad locū delicti derogatum esse per contrariam consuetudinem.

Quæ dicta sunt pro Inquisitione Lusitana, & Castellana ex litteris Apostolicis in hoc tractatu allegatis singularem habet vim pro quauis alia Inquisitione generali. Quid autē sentiendū sit in varijs occursibus pro Romanis Congregationibus etiā generalis Inquisitionis eiusdē Curiæ ex eisdem litteris Apostolicis, & ex ijs quæ hactenus proposita sunt, Doctores inuestigabunt.

Ex

Ex alijs fundamentis doctrina superioris capitis illustratur, & roboratur. Caput X.

VAria sunt principia, quæ indubitatam esse conuincunt proxime adductam de remissionibus non faciendis sententiam. Primùm, nam vbi maior probabilitas opinionis cum maiori securitate coniungitur, illa indubitate pro iudicijs amplectenda est, vt latè in tractatu de examine doctrinarum dictum fuit, sed opinio negans remissionem faciendam reorum aduersus fidem, si ante capturam, aut citationem fugerunt, est longe probabilior, & securior: ergo liberum non est iudicibus Ecclesiasticis illam non sequi, aut exequutioni non mandare.

Secundum principium est, nam semper ea opinio præualere debet, quæ est in fauorem possidentis iuxta communem doctrinam Nauarri, cap. 27. num. 288. Simancas, cap. 64. num. 60. Gabriel, tit. 9. num. 32. Sed suprema Inquisitio Castellana in possessione est non remittendi ad Inquisitionem Lusitanam, neque ad vllam aliam reos aliquos, si nõ post capturam, aut iuridicam citationem effugerint: ergo hæc opinio necessario est sequenda, vt quæ innitatur celeberrimo illi principio: *Melior est conditio possidentis*, quod in materia iustitiæ est irrefragabile. Neque potest quis à possessione deturbari, nisi precedant omnia, quæ de iure cõmuni præcedere necessarium est.

Tertium principium est: quia in dubijs tutior pars est eligenda pro iudicio publico, atque idem arbitrandum est in dubijs opinatiuis, cum iudices meliori modo quo possint teneantur suas partes implere, nam propterea à Republica sint stipendiati; sed opinio negans remissionem faciendam ad locum delicti in causis fidei tutior est: Primò, propter auctoritatem consuetudinis: deinde propter vim diuturnæ possessionis: Tertiò, propter periculũ reuelationis secreti in expeditione itinerum, & propter alia, quæ in superioribus innotescunt: ergo prædicta sententia de non remittendis criminosis aduersus fidem si non fugerint

post

post capturam, aut citationem iudicialem necessario alijs est præferenda, & à iudicibus exequutioni mandanda.

Quintum principium est, semper opinio probabilis, quæ fauet matrimonio, doti, testamento, viduæ, peregrino, aut reo oppositæ opinioni est præferenda iuxta Nauarrum cap. 27. num. 187. Simancas de Catholicis institut. cap. 9. num. 52. & cap. 64. num. 60. Syluam nuptialem, lib. 6. nu. 45. Antonium Gabriel, tit. 9. casu 20. & alios innumeros. Cuius principij ratio, & fundamentum est, quod ius Canonicum legem præscripserit, vt in prædictis materijs semper opinio anteferatur, quæ prædictis casibus matrimonij, dotis, testamenti, viduæ, peregrinorum, & reorum succurrunt; sed opinio, quæ negat remissionem faciendam eorum, qui, cum peccassent in fidem ante capturam, aut citationem fugerunt est fauorabilior reo, cum ipsum non grauet expēsis itinerum, nec subijciat eis iudicibus, quorum cognitionem per fugam euitare tentauit, neque augeat infamiam, illamve magis, ac magis diuulget ex publicitate itinerum cum strepitu custodiæ; igitur prædicta opinio in fauorem reorum ex hoc etiam capite est præferenda.

Illustratur, & probatur doctrina de remissione non facienda quando criminosi in fidem non fugiunt post capturam, aut citationem iuridicam, Caput XI.

VT veritas in præmissis posita magis illustretur, & confirmetur, nonnulla prius statuenda sunt.

Primò, potest quis gaudere foro vt conueniatur criminaliter, aut ciuiliter in determinato oppido ex quinque causis; vel ratione originis, vel ratione domicilij, vel ratione cōtractus, vel ratione delicti, vel ratione loci in quo est res postulata iuxta caput vltimum de foro competenti, l. hæres absens, §. proinde, ff. de iudicijs, l. 32. titulo 2. partita 3. secundò inter has causas præcipua est, quæ à domicilio desumitur, quæ ideò in iure appellatur forum proprium,

prium,& naturæ, iuxta Innoc. in dict. cap. fin. num. 1. de foro competenti. Barbosa in l. hæres absens, §. fin. num. 32. & seq. ff. de iudicijs.

Ex ijs propositionibus succedentes illationes habentur.

Prima ratione domicilij manet domiciliarius subditus Prælati, vel Ordinarij illius oppidi in quo situm est domicilium. Barbos. in dict. l. hæres absens, §. fin. num. 39. ita vt quando nominatur subditus, absolute ita dicatur ex subiectione acquisita ratione domicilij. Felinus in cap. dilectus el segundo, num. 13. de rescriptis, Barbosa vbi proxime, num. 40. nam domicilium est causa principalis iurisdictionis passiuæ, vt ait Baldus in rubrica, C. si à non competente iudice.

Secunda illatio fit à domicilio constitui magis proprie subditum domiciliarium quam ab origine. Nam licet origo sit immutabilis, l. assumptio, ff. ad municipalem, l. originem, C. de municipibus, & originarijs, lib. 10. Verum vt quis sit subditus, & vt conueniatur in iuditio præfertur titulus domicilij; & necesse est vt vnusquisque conueniatur præferendum sit domicilium, atque in loco illius, non in loco originis causa ventiletur. Barbosa in dict. l. hæres absens, §. fin. num. 44.

Tertia illatio fit dictam causam domicilij constituere domiciliarium proprium, & naturalem subditum Prælati, aut Pastoris illius oppidi in quo situm est domicilium; ita vt quælibet ex alijs causis vnde adquiritur iurisdictio passiua, scilicet, aut ex contractu, aut ex delicto, aut ex re sita accidentales sint, vt expendit Ioannes Baptista in l. 1. numer. 128. C. de summa Trinitate. Ex ijs consecutiue resultat forum domicilij esse efficax, vt Prælatus illius loci possit procedere contra subditum suum ratione domicilij etiã alibi repertum, quod non conceditur alijs quibuscunque foris, vt tradit Barbosa dict. l. hæres absens, §. fin. numero 37.

Quarta illatio fit ita domicilium esse causam vt Prælatus loci illius, sit Pastor proprius domiciliarij, quod sacri Canones non permiserint, vt subditus ratione domicilij

possit se submittere ad conuentionem faciendam coram Pastore, aut Prælato alterius loci absque licentia Prælati, aut Ordinarij proprij domicilij. Caput significasti de foro competenti, lib.6. Anton. de Math. de prorogatione iurisdictionis, num.14. in quo specialis, & singularis est iurisdictio Ecclesiastica, & spiritualis: nam iurisdictio laica prorogabilis est secundum voluntatem subditi qui cum sit subditus iudici domicilij potest permittere, vt coram alio conueniatur, l.2. ff. de iudicijs. Hæc tamen licentia nō permittitur in iurisdictione Ecclesiastica, quæ non patitur, vt domiciliarius proroget iurisdictionem Pastoris alterius loci sine facultate proprij Prælati. Felin. in cap. significasti, de foro competenti, num.1. vbi Marian. num. 30. Panormit. num. 15. latè Barbosa in l. 1. ff. de iudicijs, artic. 3. à num. 179. Quamquam grauiter ventiletur ratio discriminis inter commentatores earum litterarum decretalium, vera, & potissima sumitur à diuisione Diœcesium quam sacri Canones obseruari voluerunt, iubendo, ne quis in alieno territorio iurisdictionem exerceret. Initium sumptū est à decreto Concilij Niceni, quod cætera Concilia approbauerunt, statuentia, vt hæc diuisio esset iuris publici, quæ ex particularium consensu violari non posset.

Quinta illatio est, non obstante præmissa prohibitione canonica si subditus mutat domicilium eo ipso manet subditus iurisdictioni alterius, & nullam habet superioritatem Pastor antiqui domicilij. Integra enim causa iurisdictionis adquirendæ sita est in domicilio, & potest subditus ex libera voluntate mutandi domicilia, mutare simul Prælatos, & Pastores. Barbos. dict. l. 1. art. 3. num. 213. ff. de iudicijs.

Sexta illatio fit, quod quamquam iure introductum sit delictum cōstituere delinquentem subditum Prælati illius oppidi in quo crimen perpetratum est, C. vltimo de foro competent. authent. in qua Prouincia, C. vbi de crimine agi oportet, at hoc intelligitur si delinquens inuentus fuerit in loco delicti, at si fuerit in alio loco vbi domicilium habet, non potest in eum iurisdictionem exercere Prælatus, aut ordinarius loci delicti, quia non est Pastor proprius, cū

tamen sit legitimus ipsius Prælatus, ille qui est Pastor oppidi vbi situm est domiciliũ, ex Barbos. in l. hæres absens, §. proinde, de foro delicti, num. 10. Vnde infertur alia sub illatio, quod licet Pastor loci in quo delictum est commissum habeat ius ad petendum, vt sibi remittatur delinquens in diuerso territorio existens, authent. vt nulli iudicum, §. siquis verò comprehensurum, collat. 9. cap. 1. §. de priuilegijs in sexto; nihilominus non habet iurisdictionem contra Prælatum, & ordinarium domicilij iuxta opinionem Felipi in cap. fin. n. 11. de foro compet. Anchar. in cap. postulasti, n. 4. de foro comp. Thom. Gramm. decis. 26. n. 5. Fran. Marc. decis. 331. 2. p. Henric. Doueriũ inter singularia Doctorum, verb. *Remissio*, nu. 4. & qui oppositam tuentur opinionem, necesse est vt cognoscant hanc remissionem contra ius, & in præiudicium iurisdictionis propriæ, & naturalis Pastoris, & ordinarij domicilij: & ita remissio nisi in casibus expressis in alijs locum inuenire non debet: atqui in dubio præferenda est ea opinio quæ negat faciendã esse dictam remissionem, vt quæ faueat iuri communi, & ordinariæ iurisdictioni, iuxta regulas traditas circa electionẽ opinionum. Verior igitur, & æquior est nostra opinio circa remissiones delinquentium contra fidem.

Superest inuestigare quantum temporis sufficiat ad acquirendum domicilium, & ad faciendum domiciliarium subditum ordinarij, aut Pastoris eius loci in quo denuo sedem fixit.

Prima regula & vniuersalis est ad constituendũ domicilium requiri habitationẽ in loco cum proposito cõmorandi ibi in perpetuum, l. domicilium, ff. ad municipalem. Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 23. n. 1. ex qua sequitur non sufficere solam habitationem in loco si non fuerit cum prædicto animo permanendi. Sanchez vbi proximè, Barbos. in l. hæres absens, §. fin. n. 54. ff. de iudicijs.

Secunda regula est vbi constiterit de animo constituendi domicilium illico sine vlla mora adquiri quantumuis sit exiguum tempus habitationis. Sanchez dict. disput. 23. numero 2. Barbosa dicto §. fin. nume. 193. Ex quibus sequitur leges requirentes certum tempus ad acquirendum

domicilium, & vicinium alicuius oppidi procedere per modum probationis: neque illum cursum temporis esse requisitum formale ad constituendum domicilium; sed modum quemdam probandi animum constituendi prædictum domicilium. Quare si alio modo constituerit hominem perpetuo habitare voluisse in loco vbi degit, nullo expectato cursu temporis adquirit domicilium, vt aiunt Barbosa, & Sanchez vbi proximè.

Tertia regula est animum constituendi domiciliũ probari per declarationem partis, aut alios exteriores actus, vt si secum asportauerit omnes fortunas suas, aut maiorem illarum partem; si non habeat negocium aliud singulare, quod ad illud domicilium obliget, vt latè Barbosa supra à num. 86. & citati à Sanchez supra disp. 23. num. 2.

Præcluditur euasio quædam circa vocem, & significatum remissionis. Cap. XII.

Novi esse nonnullos qui vocem remissionis torquerent, in significationem diuersam, vt quæcumque à nobis dicta sunt eluderentur. Nam remissio aiunt, est, iterata missio à iudice qui cœpit iudicialiter procedere, ad alium qui reum postulat, cum de ipsius causa cognouisset; quæ autem hactenus in hoc tractatu sunt dicta omnino videntur extra rem, cum abutantur voce remissionis.

Verum ad intelligentiam veritatis aduertendum est, primò omnes ferè Doctores qui excitarunt quæstionem vtrum reus de hæresi sit tradendus iudici, aut Pastori eius loci in quo delictum perpetratum est, si illum postulet, vsos fuisse voce remissionis, vt constat ex Simancas, Peña ad directorium, Farinacio, & alijs supra relatis. Secundò, cum Doctores disputant in eisdem terminis de quæstione in generali, vtrum reus sit mittendus ad locum delicti quando iudex poposcerit, semper vtuntur verbo *Remissionis*. Bart. in l. 1. C. vbi de crimine agi oportet. Couarru. in practica,

cap.

cap. 11. num. 3. Barbosa in l. hæres absens, §. proinde, artic. de foro delicti, num. 66. & seq. ff. de iudicijs. Tertiò, præmissa euasio subsistere nequit, nisi quia dicatur ordinarium iudicem domicilij nullam habere iurisdictionem; sed eam radicatam esse apud iudicem loci in quo delictum commissum est, vel quod omnes Inquisitiones generales, & particulares vnum conflent corpus, ac proinde nullatenus iurisdictio alteretur, siue hic, siue alibi fidei causa cognoscatur; eadem enim iurisdictio vbique exercetur: idcirco desunt termini remittendi vnius ad alterum cum omnibus in locis eadem sit in indiuiduo iurisdictio.

Hæ considerationes multo subtiliores quam par est facile repelluntur. Ad primam dicimus, quod etiam si iudex domicilij nullam in delinquentem haberet iurisdictionem, verè appellanda est remissio ea quæ postulatur à iudice, vel ordinario loci in quo delictum est commissum; nam iudex ad quem destinatur deprecatio, qui adimplet literas iudicis deprecantis, & reum mittit, verè remittit eundem reum; sic in vrgentioribus terminis iura disponunt appellantia remissionem eam quæ fit à seculari iudice mittente clericum ad proprium iudicem Ecclesiasticũ in cap. *Si iudex laicus*, de sententia excommunicationis in 6. ibi; *Qui se clericum dicit ad Curiam Ecclesiasticã petat remitti.*

Hic vsus vocis legitur apud Doctores in ijs terminis Couarru. practicar. cap. 33. Barbosa in l. siquis posteaquã, ff. de iudicijs, num. 214. Secundò dicimus, iudicem domicilij habere iurisdictionem formalem, & veram in reum degentem in suo domicilio, etiam pro delictis, quæ in alieno territorio committit. Nam licèt iudex loci in quo crimen perpetratum est habeat iurisdictionem ad citandum, postulandum, & pertrahendum delinquentem in casibus vbi locum habet remissio, semper tamen iudex domicilij iurisdictionem tenet ad puniendum eundem reum domiciliarium suum propter delictum in alterius Diœcesi commissum, vt communiter Doctores omnes decernunt, ex l. 1. & 2. C. vbi de crimine agi oportet. Barbosa dicto articulo de foro delicti, num. 107. ac proinde cum habeat iurisdictionẽ ordinariam, & propriam formaliter remittit delinquentem

S 2 siqui-

siquidem cedit iurisdictioni suæ. Tertio dicimus in nostris terminis esse indubitabilem præmissam resolutionem: nam ijdem ipsi qui contra communem sententiam existimant in crimine hæresis posse esse remissionem ad locum delicti, decernunt quod si Inquisitor domicilij velit suscipere cognitionem causæ potest exercere iurisdictionem, vt in hoc tractatu probatum est, quare satis proprie dicetur remittere, si reum ad alium iudicem mittat.

Secunda consideratio statuens omnes Inquisitiones conflare vnum corpus, & habere eandem in indiuiduo iurisdictionem valde displicet. Primò, quia negamus assumptum in Inquisitionibus diuersorum Regnorum: nam licet omnes vnum corpus mysticum faciant, vt se mutuò adiuuent in ministerium fidei, non id ita præstant vt sint eadem formaliter res, & eadem in indiuiduo iurisdictio. Notum enim est habere diuersa capita, ac propterea esse diuersa corpora. Deinde, quia iurisdictiones oriuntur ex diuersis commissionibus: nam longe alia est illa quæ residet apud supremum Inquisitorem Lusitaniæ ab ea quam habet Inquisitor generalis Castellæ. Cum igitur diuersæ sint commissiones, quæ fontes sunt & origines iurisdictionum, asseri non potest esse eandem in indiuiduo iurisdictionem. Licèt enim sit idem Princeps Ecclesiasticus vnam, & aliam commissionem largiens, iurisdictiones quæ exercentur ratione vnius & alterius sunt diuersæ & independentes. Barbosa in l. hæres absens, §. 1. num. 84. & seq. ff. de iudicijs. Secundò, etiam si omnes prædictæ Inquisitiones vnum essent corpus, & vna idemticè in indiuiduo iurisdictione munirentur, ita vt singuli omnium Regnorum Inquisitores essent iudices cumulatiui, & in eis præuentio locum haberet, adhuc in hoc casu vera esset remissio, & significatus legitimus huius vocis permaneret: nam inter iudices qui iurisdictionem cumulatiuam tenent, si ille qui præuenit non habet iurisdictionem supra illud territorium vbi reus commoratur, & illam habuerit iudex cumulatiuus, quando præueniens iudex reum postulat, necesse est vt per viam remissionis illum postulet. Nam cum iurisdictionem non habeat in locum vbi degit delinquens, eam exercere non potest.

test in personam, si iudex loci per remissionem illam non concedat. Idem cernimus in casibus in quibus iudex originis cumulatiue concurrit cum iudice domicilij, vbi reus habitat., itavt sit præuentioni locus, quotiescumque idem iudex originis reum postulat ratione præuentionis iurisdictionis. Tunc petitur delinquens per remissionem, quod vrgentior sit iurisdictio iudicis domicilij, quam quæ inest iudici originis. Barbosa in l. heres absens, §. finali, ff. de iudicijs, à num. 32. & 42. & certe opinio illa de eadem identice iurisdictione in omnibus Inquisitionibus singularis est & contraria, licèt ea phrasi vsi fuerint nonnulli quos refert Farinac. quæst. 197. §. 1. num. 12.

Tertiò, in ijs terminis nullus est aditus præuentioni quam prætendere videntur oppositi Doctores declinantes nomen remissionis. Nam si velint esse locum præuentioni, & sic reum in fidem præmissis iudicibus committi, quasi præuenerint iudicium incipientes causam contra reum, obstat ipsis regula præuentionis, & ius ad illam habent Inquisitores loci vbi reus commoratur. Nam præuentio non adquiritur initiando causam, & formando culpam, & admittendo denuntiationem, & inquirendo in reũ, sed per actualem ipsius capturam, quæ est citatio realis vnde oritur ius præuentionis. Barbosa in l. siquis posteaquam, ff. de iudicijs, à numer. 22. & in l. hæres absens, §. proinde, articul. de foro delicti, num. 120. At hic actus capturæ & citationis realis exercetur ab Inquisitore vbi reus commoratur, cum hic ipsum capiat, & carceri mandet, & sic præuenit iurisdictionem: atque alij tenebuntur remittere acta, & testimonia ad iudicem præuenientem, vt decernunt Doctores allegati à Farinacio vbi supra, num. 15.

Prima via opinandi licitam eſſe detentionem Breuium manu Principum ſecularium, ſi abſque illorum conſultatione prodeant, refertur, & emendatur.

§. I.

PRima opinandi via, quæ hoc tempore plures ad ſe pellexit; decernit licere Principibus omnes Apoſtolicas litteras examinare, præuidere, etſi expedierit detinere: ad probationem præmittunt iure Diuino poſitiuo, & perpetua Eccleſiæ conſuetudine à Sanctis Patribus, & Concilijs approbata Pontifices Romanos debere ſuas leges, & determinationes in cauſis grauioribus ante promulgationem cum cæteris Eccleſijs, & Principibus conſultare: ac proptcrea Principes ſeculares omnia, & ſingula; quæ aut vniuerſalia ſunt, aut cum vniuerſalibus coniunguntur per ſe, & Epiſcopos ſuarum prouinciarum examinare poſſe. Quod ſi Pontifex ſummus id non præſtiterit, Principes, vt protectores, & executores ſacrorum Canonum, & conſuetudinum immemorabilium Eccleſiæ Dei licite valent extra iuriſdictionaliter Apoſtolicas literas examinare, etſi ita res poſtulet, eas detinere. Hanc mentem, ſenſumque vt muniāt prædicti Doctores, expendunt nouiſsime Concilium Tridentinum ad finem ſerio poſtulare, ſimul, & commendare Pontificibus Romanis, vt ſi quæ difficultates emerſerint circa eandem Synodum, illæ determinentur conſultis viris doctis earum prouinciarum in quibus eædem difficultates exortæ ſint. Idcirco, ſi hæc non præſtentur à Romano Pontifice aiunt violari, & temerari vota Eccleſiæ totius hanc conſultationem deſiderantis, ſimúlque eludi Concilij Tridentini grauiſsimum decretum, quod ſub optandi, & precandi forma propoſitum eſt, vt reuerentia debita ſupremæ Romanæ Sedi, & filialis ſimul cultus impenderetur. Conſequenter idem aiunt prædicti Doctores de cæteris

G de-

decretis, & Canonibus Sacris Conciliorũ, aut decretalium in Ecclesia Dei receptis; vt cum satisfactione Prouinciarum vniuersale regimen procedat.

Hæc via opinandi plura ex se addendo comprehendit etiam aliam quæ ideo existimat licere secularibus potestatibus examen, & detentionem Breuium Apostolicorum vt cognoscant an subreptione laborent vel contineant læsionem patronatus laici vel sacri alicuius Canonis violationem, vel noxium aliquid; sic Henriq. lib. 14. cap. 12. Ioannes de la Cruz de statu Relig. lib. 1. cap. 6. art. 2. dub. 2. conclus. 1. Manuel Rodriguez in addit. ad §. 9. Bullæ Cruciatæ, & alij non pauci, id probant quia experimento dicunt esse compertum subreptitias litteras impetrari, interdumque valde noxias Ecclesiæ aut Prouincijs Catholicis; & qua ratione si vrbes tres sint peste infectæ in frequentissima aliqua regione, singulæ ciuitates omnes ad venas examinant ne ab aliqua trium vrbium serpat contagium: sic quamquam omnes fere litteræ Apostolicæ subreptione careant, ad excusandum aliarum detrimenta omnes examinantur. Quantam vero cladem vnius Breuis Apostolici contra Sacros Canones expeditio inferre possit, probant exemplo Ioannis Papæ Octaui qui anno. 874. eas litteras promulgauit quæ habentur tom. 3. Concilior. edit. Colon. p. 1. sect. posteriori à pag. 797. vsque ad pag. 812. contra dispositionem octauæ Synodi generalis iuramento Concilij, & Hadriani. 2. confirmatam sub onere nunquam admittendi ad munus Episcopale imo nec ad pœnitentiam nisi in mortis articulo Photium mœchum, simoniacum, scismaticum, hæreticum, seditiosum, latronem, & alijs grauissimis sceleribus infamem. Ioannes Octauus contra religionem iuramenti, & Canones generalis Concilij Patriarcham Constantinopolitanum erigit Photium. Hæ Pontificiæ litteræ in causa fuere, vt resumpta autoritate Photius innumeros errores per vniuersam Ecclesiam Græcam disseminauerit, illamque scismaticam reddiderit ad hanc vsque diem, idest annis circiter octingẽtis absque vlla spe illam in pristinam obediẽtiam, & fidem restituendi. Hoc contagiũ iam latissime se extenderat annis

nis centum sexaginta post PhotiũLeone 9. Romano Pontifice. Quæ vnio in Concilio Florentino prope annũ 1439. à Latinis,& Græcis peracta est mortuo Imperatore Orientis qui Concilio inter fuit, omnino est dissoluta. Hinc autores huius opinionis probant magna esse Ecclesiæ damna si singulares Pontifices suo sensu contra decreta Concilio rum quid quã statuant, cum veluti cæteri homines circum dati sint infirmitate,& ignorantia: adduntq, maximum obsequium erga Deũ,& Ecclesiam futurum fuisse si Imperatores Orientis litteras Ioannis Octaui examinassent, earumque executionẽ impedissent. Nõ inquiunt tantã perniciem invexerunt Arrius, Macedonius, Nestorius,& cæteri hæresiarchæ, quantũ intulere Ioãnis Octaui litteræ Photiũ resti tuentes: quod ex Baronij rationibus, & fundamentis tom. 10. Annal. probare cõtẽdũt: ex hoc facto dimanauit ea fabula qua Ioãnes Octauus fœmina dictus est, cũ tamẽ propter muliebrẽ incõstãtiã illud iniuriosum epithetũ ipsi fuerit attributũ: accumulari solẽt exẽpla similia, vt ex illis probetur valde esse necessariũ examen Principũ secularium pro vniuersis litteris Apostolicis, ne aliquæ aduersus Sacros Canones aut cõmunẽ Ecclesiæ vtilitatẽ similia nocumẽta importẽt.

Consultationem autẽ prædictam esse debitã probant adhuc Doctores relati quia licet Papa Summus est Sacerdos,& Pastor, tenetur nihilominus antiquæ Ecclesiæ decreta exequi,& primitiua exẽpla imitari, quæ similẽ consultationẽ exercebãt. Primo quia absurdũ prorsus est si magni illi patres,& primi Pontifices exẽplaria nõ habẽtes, per se ipsos quod rectũ est, viderint,& aliorũ cõsilia audierint, posteri vero exẽpla habentes nõ ita decernãt. Inter Canones Apostolorum ille magis succurrit ijs doctoribus qui olim erat trigesimus quartus numero ijs verbis. *Episcopos singularum gentium nosse oportet eum qui inter ipsos est primus, eumque revereri tamquã caput, neque quid quam curiose facere sine illius sententia: illa autẽ sola quæque facere quæ ad Ecclesiã ipsius, & loca ei subdita attinent, sed neque ille sine omniũ sententia aliquid faciat, ita enim concordia erit, & Deus glorificabitur.* Ex quibus fit neq; Episcopis gentiũ licere quidquã statuere absq; eius sentẽtia qui primus est,

& neque ille qui primus est non consentibus ijs qui ipsi subditi sunt. Ratio Apostolorum est, quia nisi ita fiat, concordia dissoluatur, inimicitiæ contra, & scismata, ac rixæ introducantur, & quod grauius est Diuino numini debitus honor tollatur. Secundò idem probant intentum ab exemplo Pauli, qui quantumuis haberet in se Christum loquentem, nihilominus ad Apostolos ipso antiquiores se refert, & vas electionis communicat cum eis Euangelium. Debent igitur posteri hæc exempla imitari, cum non tot prærogatiuis scientiæ, & gratiæ dotentur.

Tertiò idem suadent ex gestis Petri, nam quod constat ex Actis Apostolorum cum ab Apostolis, & Presbyteris Hierosolymitanis controuersia de Circumcisione esset proposita, & responsionibus nonnulli cum Paulo, & Barnaba deseruirent; Sanctus Petrus Apostolos, & Presbyteros congregauit, vt de hoc dispiceret, nec soli sibi decisionem arrogauit, imò auditis alijs, & nominatim Iacobo ipsorum sententiæ assensit, & subscripsit. Hoc pacto veritatem inuestigantes Apostoli, legem successoribus statuerunt pro dirimendis quæstionibus, & controuersijs.

Quartò, idem probant, quia Iulius Papa, & Damasus, & Celestinus, & Leo, & Agathon, & insignes alij Pontifices, vna cum ijs Episcopis, & fratribus conuenientes, aut eos, & Principes consulentes adiuuante Sancto Spiritu stabiliebant dogmata, & leges, & pacem Ecclesijs conciliabant, etiam circa singulares causas grauiores, non despecto iudicio aliarum Prouinciarũ; igitur nulla est hodie causa quare idem non fiat. Nam si vnius Romæ Tribunal ad singula decernenda sufficeret, superfluus, ac super nacaneus foret, & fuisset Sanctorum Patrum conuentus qui singulis ætatibus priorum seculorum congregari solebat.

Quintò eandem thesim stabiliunt, nam græci plures primatum Romani Pontificis agnouerunt, & suspexerunt, & ob eã solũ causam scismata excitarunt, quod pro cõmunibus Ecclesiæ dogmatibus, & legibus, & pro grauioribus singularibus causis, quæ ad Græcos attineret, omnia ipsis incõsultis Romæ decernerent: vt cõqueritur Nilus Archiepisco-

copus Thessalonicensis, qui vixit in schismate, circa annum 1360. in ea oratione, cuius titulus est. *Non aliam dissidij Ecclesiarum Latinarum, & Graecanicarum esse quam quod Papa eius, quod controuersum est ipse solus controuersiæ magister, ac iudex esse velit*, ibi hæc ait: *Nunquam cum Romana Ecclesia de primatu contendimus; sed neque vetus consuetudo, neque Patrum decreta nos latent quibus Romana Ecclesia antiquissima omnium Ecclesiarum declaratur: quæ nam igitur dissidij causa est; quod Romani quidem magistrorum sibi partes sumunt, alios verò instar discipulorum dicto audientes habere velint.* Post plures probationes tandem concludit. *Ac de eo quidem quod non liceat Romanorum Ecclesiæ priuatim, quæ Ecclesiarum communia sunt decernere, ac stabilire; quodque hoc Christi Ecclesiam dissipauit simulque. & Apostolicis. & Patrum legibus, atque institutis repugnet, hæc dicta sufficiant.*

Sextò probant consultationem prædictam esse debitam ex pluribus Concilijs generalibus in quibus semper illa cum Imperatoribus est collata; & quia hic mos superiorum seculorum ad Imperatorum potentiam, & Ecclesiæ angustias deferri solet, intentum persuadere curant exemplis Conciliorum, quæ post diuisum Imperium in plures Respublicas, & Regna conuocata fuere. Concilium Lateranense sub Iulio II. & Leone X. post annum 1500. plures oratores, & consiliarios Regum, & Rerumpublicarum excipit cum mandatis procuratorijs interessendi, consulendi, vouendi, & reclamandi. Habetur tom. 4. concilior. part. 2. edit. Colon. anni 1618. Referunt sessionem primam, pag. 11. vbi dicitur dominos temporales septē, & oratores tres Principum assistere. Sess. 2. pag. 22. & 23. legitur, & acceptatur mandatum procuratorium Ferdinandi Catholici ad Hieronymum Viche secularem eiusdem Regis oratorem in Concilio, ijs verbis: *Ad interessendum, consentiendum, dissentiendum, protestandum, ac fieri requirendum, & ad in eodem sacro Concilio Lateranensi dicendum, proponendum, tractandum, vouendumque.* Sess. 3. pag. 30. similes litteræ procuratoriæ Maximiliani Imperatoris ad oratorem, & vicarium suum pro eisdem effectis leguntur, & recipiuntur in

La-

Lateranensi Concilio sess. 5. pag. 44. 52. 53. alia mandata procuratoria Reip. Lucensis & Florentinæ ad seculares oratores leguntur. Similiter sess. 7. pag. 60. numerantur plures Domini temporales, & oratores Principum ibidem adsistentes. Pag. 61. exhibentur litteræ similes ad Concilium pro duobus oratoribus Regis Poloniæ: & proxime subduntur aliæ eiusdem tenoris Ducis Mediolanensis pro Marino Carrociolo oratore ipsius in Cōcilio; & aliæ Marchionis de Mantua ad Ludouicum Gonçaga vt in prædicto Concilio, *dicat, proponat, firmet, renocet, damnet, laudet, voueat*. Item aliæ litteræ Ducum de Mazouia ad Laurentium Medizeldri: *Vt consulat, agat, differat, concludat eorum nomine in Concilio Lateranensi*. Sess. 8. pag. 71. duo mandata procuratoria habentur omnino ijs similia Marchionis de Bramdenburg. & Marchionis de Monferrato. Sess. 9. pag. 80. legitur aliud mandatum procuratoriū Manuelis Regis Lusitaniæ ad tres Consiliarios suos: *Cum facultate dicendi, proponendi, agendi, tractandi omnia, & singula quæ spectant ad Concilium*. Sess. 10. pag. 96. sess. 11. pag. 110. 111. recipiuntur mādata alia procuratoria Principum. Ex Concilio Tridentino prædicti autores alia quoq; exempla congessere; illud maximè vrgent quod prædicto tomo, & parte editionis Coloniensis habetur sess. 10. pag. 302. Vbi est mandatum procuratoriū Caroli 5. ad tres oratores suos in Concilio, ijs verbis. *Dantes eis, & cuilibet eorum insolidum amplam facultatem, & potestatem vt omnes simul aut tres, duo vel vnus ipsorum nomine nostro in dicto Concilio OEcumenico comparere in omnibus sessionibus nostrum locum vt oratores, & mandatarij nostri habere, res, & negotia religionis, & fidei, & alia quæcumque in prædicto Concilio tractanda vna cū alijs ibidem stantibus Reip. Christianæ Principibus eorum ve legatis, oratoribus, mādatarijs consultare, agere, & tractare, illisque omnibus, & per omnia adesse, consiliū votum, & decretum nostro nomine dare, impartiri, atq; interponere*. Addunt prædicti Autores alia exempla singulariter pro Hispania, in qua nullū fuit olim nationale Concilium cui aliqui ex Regijs Consiliarijs nō astiterint. In octaua Synodo Toletana Episcoporum

rum duorũ supra quinquaginta præsidente S. Eugenio laici sedecim Palatini Recesuinchi Regis intersũt, quorũ secu lares dignitates, & nomina habentur in editione Matriten si Conciliorũ Loaisæ à pag. 455. Nonũ Conciliũ Toletanũ cui idẽ præ fuit S. Eugenius simul cũ sedecim Episcopis habuit quatuor Palatinos. Duodecimũ Conciliũ Toletanũ præsidente S. Iuliano, & ad stantibus triginta quinq; Episcopis habuit quindecim seculares Palatinos Regis Eruigij. Conciliũ decimum tertium Toletanũ sub eodẽ S. Iuliano, & Rege Eruigio quadraginta, & octo Episcopos, cũ secularibus viginti sex Palatinis idem intentum confirmat. Concilium decimum quintum Toletanum præsidente eodem S. Iuliano sub Flauio Egicane Rege coactum fuit è sexaginta duobus Episcopis, & septem decim Palatinis. Concilium decimum sextum Toletanum sub eodem Flauio Egicane Rege præsidente Felice ex sexaginta Episcopis, & sedecim Palatinis congregatum fuit; huius coloris alia plura adducunt prædicti Autores antiquitatis monumenta, ex quibus fiat semper apud Hispaniæ Reges hoc ius consulendi extra iudiciale aut extra iurisdictionale extitisse. Ex hactenus relatis hoc efficiunt prædicti Doctores argumentum. Quando veritas magna conquisitione disquiritur, & ad sunt in Concilijs Episcopi nationales singulorum Principum Catholicorum, ipsi Principes consuluntur, & audiuntur ab initio Ecclesiæ ad hanc vsque diem, igitur quæ leges, & determinationes in Romana Curia fiunt cum interuentione paucorum qui etiam interdum libere suam sententiam ferre non possunt, arctiori iure consultari debent cum Principibus Christianis, neque ipsis inconsultis promulgari aut intimari: quod Apostoli, & magni Pontifices, & grauissima concilia commendarunt, & suo exemplo sanxerunt. Cum igitur Romana Curia non præstat quod ab initio præstitum fuit, licet Regibus de facto suum sibi ius consultiuum vsurpare, atque adeò Apostolicas litteras discutere, etsi oporteat detinere.

In hac opinione quædam miscentur probanda, alia improbanda. Certũ est in singulis causis pro qualitate ipsa

rum.

rum teneri Romanum Pontificem iure naturali, & Diuino consultationem præmittere, ita vt cum satisfactione Regnorum, & Prouinciarum determinationes publicentur, atque ita factum esse ab Ecclesia Romana probant omnia illa exempla generalium Conciliorum, quæ consultationem omnium Principum postularunt. Secundò certum est nõ esse absolutè necessarium in Concilijs non generalibus etiã si patriarchalia, aut nationalia sint, vt adsint Catholici Principes: sic expresse habetur in octaua Synodo, canone 12. pag. 772. editionis Coloniensis decernente, quod licet in Concilijs generalibus adesse debeant Reges, & Principes, non tamen in alijs. *Perlatũ est*, inquit, *ad nos nõ posse sine Principum præsentia Concilium agi, atqui nusquam sacri Canones sanciunt, vt ad Synodos seculares Principes cogantur, sed soli dumtaxat Episcopi. Quare nec alias reperimus eos in alijs, nisi œcumenicis Concilijs interfuisse. Neque enim fas est, vt seculares Principes, eorum quæ Dei Sacerdotibus contingunt spectatores fiant.* Duo præscribit Canon, alterum est in œcumenicis, seu generalibus Concilijs, ex dispositione sacrorum Canonum Principes interesse debere; quod euidenter conuincunt testimonia nuper allegata â præcedenti sententia. Alterum est in Ecclesia Orientali nationalibus, aut prouincialibus Concilijs Principes, neque per se, neque per suos oratores, aut palatinos adesse consueuisse, licet in Ecclesia Occidentali, ſa tem in nostra Hispania aliter contigerit multo ante octauam Synodum, quemadmodum exempla ex Concilijs Toletanis persuadent. Tertiò certum est querimonias Græcorum â Nilo Thessalonicensi Archiepiscopo superius relatas â veritate aberrare. Quam parum fidendum sit Nilo, constat ex Bellarmino lib. 2. de Romano Pontif. cap. 22. & 27. Nam multo post Nili tempora pro vnione Græcorum, & Latinorum conuocata est sub Eugenio IV. Synodus Florentina, cui Imperator Orientis, & reliqui ferè Græci patres subscripserunt. Nihilominus vix annos duodecim prædictam vnionem, & obedientiam Romano Pontifici debitam conseruarunt. Hosius Cardinalis Varmiensis, libro

d-

& Sacerdotũ cõiugio, probat vicibus quatuordecim Græcos reconciliatos fuisse Romanæ Ecclesiæ, & toties propter suam volubilitatem ab eius gremio discessisse: Nilus inexcusabilem habet nequitiam nam anno 1274. sub Gregorio 10. Concilium Lugdunense quingentos habuit Episcopos, & Legatos Imperatoris Michaelis, vbi communi consultatione inter Latinos, & Græcos concordia est inita, vt ad struit in historia Nicephorus Gregoras lib. 5. & 6. Vt interim omittam Græcos, atque in illis ipsum Nilum non aliter admittere primatum Romanum nisi ex ordine antiquitatis, & cessione, aut concessione aliarum Ecclesiarum & Principum; cum tamen nos Latini ex iure, & institutione diuina quæ ab hominum cessione, & voluntate non dependeat, hunc primatum Romanæ Ecclesiæ profiteamur, & constabit ex ijs quæ scribit S. Thom. opusculo contra errores Græcorum perqninque capita. Præterea alios plures habent errores perpetua traditione, & antiquorum Conciliorum assensu condemnatos, vt patet ex Sigiberto in Chronico, Prateolo in Elencho hæresum, Genebrardo anno 1049. nam tuentur Spiritum Sanctum non procedere â filio; nullum esse purgatorium post mortem; simplicem fornicationem non esse peccatum; iustorum animas ante diem iudicij Deum non videre, nec damnatorum animas inferno addici; laicos debere sub vtraque specie Eucharistiam sumere; Latinos in azimo non consecrate corpus Christi; licitum esse fallere inimicos; vinculum matrimonij dissolui posse vtroque coniuge consentiente; nullam esse obligationem restituendi furto sublata; Missas, & suffragia pro defunctis non esse offerenda; extremam vnctionem ad salutem corporalem non sufficere; vsuras esse licitas; rebaptizandos esse eos qui secundum formam Ecclesiæ Latinæ baptizati sunt. Addit Luitprandus alium lib. 5. cap. 6. non posse patrem, & filium cum matre, & filia matrimoniũ ducere. Photius in Monocanone tit. 14. Zonaras tom. 3. in Leone Philosopho adijciunt alium, scilicet quartas nuptias esse condemnatas. Similiter in ritibus, maximè Græci differunt; Primo Sacerdotibus permittunt vxores conseruare quas antea duxerant; non miscent ad consecrationem

Calicis aquam, & vinum; ministrant Eucharistiam pueris recens baptizatis, consecrant in fermentato; baptismi, & pœnitentiæ formam adhibent per deprecationem, non per enuntiationem modi indicatiui; non vtuntur oleo benedicto ab Episcopo sed à solo Presbytero administrandum extremam vnctionem; neque easdem partes moribundi vngunt quas solet Ecclesia Latina inungere; nullum cibum in lege veteri prohibitum manducant; in multis cærimonijs Missæ vt notum est differunt à Latinis. Addit Concilium Lateranense sub Innoc. III. cap. 4. à Græcis haberi veluti immunda, & profana ea altaria in quibus sacrificiū Latini celebrauerint. Tandem ordinant, & Episcopos creant Eunuchos vt ait Leo 9. epist. ad Michaelem Constantinopolitanum, & Leonem Acridanum cap. 23. quæ omnia ex authenticis testimonijs constant. Quod vero S. Thomas opusculo contra errores Græcorum pleraque ex ijs non memoret, ideo est, quia libellus quem Vrbanus IV. illi exhibuit non alia memorabat. Hæc referre libuit dum Nilus in Expurgatorijs Catalogis notatur veluti scismaticus, ne non constet quam multa, & longe diuersa Græcos à Latinis separauerint. Semper Ecclesia Romana sollicite curauit vt grauiora quæque negotia vniuersalia non sine consultatione Græcorum finirentur: idcirco vt nuper cæpimus dicere anno 1438. præsentibus Eugenio Papa IV. Ioanne Paleologo Imperatore, Iosepho Patriarcha Constantinopolitano, & maximo Græcorum Episcoporum numero Florentinum Concilium conuocatum est, eo præcipuè fine vt Græca Ecclesia Latinæ associaretur in vnum corpus, & in eandem fidem. Volui Nili calumniam depellere ne ex querimonijs ipsius tantopere sibi fidant qui adeò grauiter exaggerant nullam ijs postremis sæculis fieri à Romana Curia consultationem ex ijs quæ more antiquo fieri solebant.

Quartò certum est Principes examinatiue, consultiue, Scolastice, seu magistraliter, non iurisdictionaliter posse per Episcopos, & Academias, & viros peritissimos, quibus iure diuino, vel ex concessione Apostolicæ Sedis id datum est, discutere, & examinare, quæ maiori consultatione eget,

vt

vt Romano Pontifici repræsentent quid optimum factu videatur; in quo tamquam patres extraordinarij Episcoporum in suis Regnis commorantium, eorum vocem, votum, mentemque explorant, & exploratam Summo Pontifici qui ex naturali, & diuino iure audire tenetur, suppliciter proponunt, vt per hæc supplementa consiliorum, siquid emendationem postulat, emendetur. Id ex charitate, & fraterna correctione vllo sine iurisdictionis aut superioritatis prætextu impleri debet; atque hac ratione vbi indicium est aut suspicio de subreptione litterarum, possunt extraiudicialiter examinari vt siquid continent aut noxium aut contra sacros Canones aut contra vniuersalem vtilitatem Regnorum summo Ecclesiarum capiti manifestetur, & interim non mandentur executioni. De quo alias plura euulgauinus.

Quintò certum est tempore Concilij Basileēsis, & Constanciensis quando iurisdictionalia contra Romanū Pontificē in fauorē potestatis Cōcilij Generalis supra Papam liberius spargebātur, plura dixisse graues Doctores, & Prælatos quæ iam nullatenus oportet admittere ad præsentē controuersiam. Nequis autorem vllum eius temporis producat, referā quæ Cardinalis Nicolaus de Cusa alios secū abducēs eo ipso tempore scripserit, & docuerit. Lib. 2. de concordantia Catholica cap. 9. ait responsa Pontificum nisi ab Ecclesiastica Synodo fuerint promulgata non esse neque Canones neque decreta neque statuta Ecclesiastica neque habere vim nisi per aceptationem, & vsum multitudinis, ex hoc temerario principio alij quidam magis temerarie inferunt etiam Breuia circa res vniuersales posse examinari, & detineri quia à congregatione Episcoporum non sint promulgata. Cap. 18. grauissime excedit Cardinalis Cusa probans debere Pontificem ex consensu Metropolitanorū habere ex omnibus Prouincijs Cardinales vt semper adsint ex singulis Prouincijs apud generale Concilium: & cum addit cap. 20. ad satisfactionem Prouinciarum aliquando Romanos Pontifices professos fuisse cum assistentia, & Concilio prædictorum Cardinalium suo muneri fore satisfacturos vt in protesta-

tione Bonifacij Octaui; vnde immerito ex ijs nonnulli in ferunt, quod hæc non fiant aut præstentur in Romana Curia, tutiori conscientia posse litteras præuideri, discuti, & quando opus fuerit detineri; Verum abutuntur falso principio. Capite 21. probat præfatus Cardinalis non posse Papam alienare bona Ecclesiæ sine alijs Episcopis vt Episcopus sine suo clero 12.q.2. sine exceptione, & cap. nō liceat, & Subdit Canones Conciliorum generalium non posse tolli à Pontifice etiam cum Cardinalibus. Ex hoc impio, & temerario fundamento sunt qui iustificare contendant examen, & detentionem litterarum circa bona Ecclesiasticæ, cum consensus aut Consilium Episcoporum non præcedit. Hæc, & alia absurda tulerunt graues illius sæculi Doctores ex spiritu contentionis; ne quis tamen similibus testimonijs confidat, exponam nonnulla quæ Cardinalis Nicolai decursa autoritatem imminuunt: eorū etiam qui prædicto tempore similes doctrinas spargebant. lib. 2. cap. 4. ait licere appellare ad futurum Concilium cap. 13. quòd Papa non est Episcopus vniuersalis, sed primus. Cap. 17. quòd Primatus Romani Pontificis partim est à Christo, partim à decretis Apostolorum, & eorum successorum: & quòd Concilium Generale sit supra Papam. Cap. 34. quòd Petrus, & Romani Pontifices præsint omnibus, non habent ex Diuino præcepto, sed ex consensu populi. Hæc, & alia æque absurda docent, & docuerunt qui vt generale Concilium superius esse Pontifice Romano statuerent, Sedis Apostolicæ maiestatem, & dignitatem, & potestatem deprimebant. Nemo igitur in præsentibus casibus aut ijs annexis horum testimonio vtatur, cum nullius esse ponderis [illegible]. Tandem quod ibidem allegatur de Ioanne Octauo extra rem est, nam Imperatores Orientis eam promotionem Photij procurarunt. Omnes igitur simul idest Ioannes Octauus, & præfati Imperatores Synodo Octauæ, & vniuersæ Ecclesiæ præmissum damnum intulere.

Secun-

Secunda via opinandi ex D. Bonauentura desumpta.

§. II.

DOctores nonnulli huius téporis arbitrãtur præmio indicio, aut suspicione graui de iniustitia aut existente parte læsa verisimiliter reclamãte, vel de subreptione, vel de violatione Sacri Canonis pertinétis ad iudicia aut regimina vniuersalis Ecclesiæ, vel de iure patronatus non seruato, vel de magno detrimento Regni, Prouinciæ aut Ciuitatis, vel de maximis alicuius Ecclesiæ vtilitatibus impeditis, posse discuti à principibus secularibus litteras Apostolicas; ita vt quando id fiat sit vehemens præsumptio generalis, aut particularis, quod Episcopi aut ex subordinatione, aut ex metu, aut ex alia causa non audeant, aut non soleant præceptis similibus aut legibus, aut mandatis contradicere. Quando vero hæc non concurrunt haud licitum est prædictum examen, discussio aut detentio earumdem litterarum. Huius rei probationem deducunt ex doctrina Sancti Bonauenturæ, quam ratio naturalis, & interpretatiua voluntas Romanorum Pontificum, & communis Doctorum sensus (vt ij Doctores statuunt) approbare tenetur. Ait Sanctus Doctor in opusculo: *Quare fratres minores prædicent, & confessiones audiant* vniuersale esse principium, vt semper in praxi de Romanis Pontificibus, cæterisque Ecclesiæ Pastoribus iudicemus, ea velle, quæ ad salutem etiam expediunt, & quæ culpam excusent; alioquin si hoc non vellent, essent indigni Pastorali officio. *Qui oues Christi perire mallent, quã erui de ore luporum, & talis voluntas careret effectu Pastoralis potestatis, quæ solũ in ædificationem, & non in destructionem animarum data est ab ipso Principe Pastorum:* Sed cum omnes conditiones supra positæ concurrunt, & Episcopi non exequuntur dispositionem iuris circa suspensionem Breuium, aut quia metuunt, aut quia alias ob causas nolunt, obligantur Patres extra

dinarij Ecclesiæ, veluti protectores Conciliorum, non ex iurisdictione, sed ex lege charitatis, & alijs titulis vel motiuis extraiudicialibus ad euitanda damna in fieri, præsertim si culpam adnexã habeant. Neque aliud volunt, aut vel le possunt Ecclesiastici Pastores iuxta doctrinam S. Bonauenturæ, & aliorum Patrum, ac Doctorum. Ergo, si concurrant omnes conditiones supra scriptæ, verissima est hæc sententia. Si omnia quæ supponit certa sint, tolerabilis esset; sed illud difficile creditu est in hac opinione Episcopos ex subordinatione, metu, aut alijs causis, ita se gerere in ijs negotijs, vt Reges veluti Patres extraordinarj, eorum vices necesse sit supplere. Sublimiorem de illis opinionem habere necesse est; simul etiam de Romana Curia.

Tertia sententia refertur ex titulo correptionis fraternæ, impeditiuæ culpæ intimatæ Adamo, & Euæ.

Sententia tertia ad iustificandum examen, & detentionem Breuium Apostolicorum de quibus supra, circa primas instantias, fundamenta desumit ex correptione fraterna. Loquũtur Doctores qui eam tuentur non de illa correptione Euangelica, quam Christus promulgauit sub conditionibus, quæ habentur Matth. 18. sed de illa, quam præscripsit Ecclesiasticus cap. 17. quæ est longe dissimilis, eamque sub lege positam ab initio creationis Adamo, & Euæ his verbis declarat: *Testamentum æternum constituit cum illis, & iustitiam, & iudicia sua ostendit illis, & magnalia honoris eius vidit oculus illorum, & honorem vocis audierunt aures illorum, & dixit illis: Attendite ab omni iniquo & mandauit illis vnicuique de proximo suo.* Docet Ecclesiasticus Deum Adamo, & Euæ apparuisse, atque illis, & posteris viuæ vocis oraculo intimasse, vt quilibet de proximo suo curaret, ne culpam aliquam patraret, aut damnum spirituale, vel corporale sustineret. Certissima hæc veritas est; nulla enim ratione excusatur quicumque saluti proximi absque graui incommodo prouidere valet; longè aliud præcepti genus hoc est ab illo, quod Christus Deus euulganit Matth. 18. tum quia generalius, vtpote obligans impedire omnia decrimenta corporis, & animæ proximorum, [illegible] continet onus executiuum impediendi miserias

ferias corporales, & spirituales impendentes proximo, si pro se aut alijs maiora damna, & scandala non sequantur. Correptio illa de qua Matthæus cap. 18. solum spectat iuxta plures Patres ad iniuriam proprie significatam, quæ nobis irrogatur à proximo; non vero ad alia peccata, quæ vel iniuriæ non sunt, vel in alios proximos perpetrantur. Deinde nihil habet executiuum correptio illa fraterna de qua Matthæus supra præter monitiones quasdam secretas, auscultationem testium, & delationem ad Ecclesiam; at correptio, de qua Ecclesiasticus tractat inuoluit plures executiones interdum violentas, qualis esset impedire volentem se occidere, aut mæchari cum alia, aut sacrilegium committere. An hæc officia sint ex charitate, vel misericordia, & an hæ duæ virtutes natura, & specie distinguantur, subtilior est disputatio, neque huic tractationi necessaria.

Vt igitur propriam mentem explanent, supponunt primum sub hoc beneficio correptionis, de qua Ecclesiasticus cap. 17. omnes comprehendi, etiam Ecclesiasticos Principes, vt his verbis declarat S. Thomas in 4. dist. 19. art. 2. quæstiunc. 3. *Prelatus ex hoc quod est persona publica, & vicem Dei super subditos gerens, non amittit ea, quæ sunt propria singularis personæ, & ideo omnia illa, quæ debentur alicui ex affectu fraterno, qui ad omnes homines habendus est, etiam Prelato debentur, sicut etiam ipse alijs debet ea, quæ affectus charitatis expostulat, nec ab his ratione Prælationis excusatur: & ideo secundum alios præceptum de fraterna correptione etiam ad Prælatos se extendit.* Et paulo post *Prælati in quantum peccant non sunt cælum, & secundum hoc eis correptio debetur: nec iterum, qui eos charitatiuè corripit in eos os ponit, id est contra eos, sed pro eis, qui ad vtilitatem eorum eos admonet. Nec iterum præsumere quis debet de Prælato, quod scandalizetur nisi contrariũ constet.* Ioannes Maior in disputatione an Papa subditus sit fraternæ correptioni, hæc ait. *Romanus Pontifex est Frater noster habet eundem Patrem in cælis nobiscum, & dicit orationem Dominicam nobiscum, & est homo circumdatus infirmitate, sicut alij viatores, ergo possumus eum corripere, & in casu tenemur, aliter Papa esset deterioris conditionis*

ditionis, quàm alij Christiani. Hi, & plures Doctores cum de Papa loquuntur non tractant de correptione fraterna, quam apud Matthæum Christus præscripsit, sed de illa, quam Ecclesiasticus retulit: nā neque testes aduocari possunt, si ipse nollet cessare à peccato, nec poterit ad Ecclesiam prouocari, idest, ad superiorem Iudicē, cùm Papa nullum supra se habeat in terris. Idcirco Ioannis Maioris doctrina vera est, sed ad erroneū finem destinatur, vt probet Ecclesiam in Concilio generali congregatam esse Romano Pontifice superiorem, falso arbitrans ad illam veluti iudicem esse deferendum Papam, si nolit à culpa discedere. Quo principio similiter abutuntur Gerson, Almainus, Aliacensis, & cæteri Doctores, qui post Constanciense Concilium scripserunt. Hæc notasse oportuit, vt constet Scholasticos sæpissime occasione correptionis fraternæ speculatiuè admonentis, & ad testes, & ad Ecclesiasticas potestates crimen deferentis, quam Christus apud Matthæum docuit, de alia correptione tractare magis vniuersali, & initio creationis intimata humani generis primis Parentibus, vt ex Ecclesiastico probatum est.

Supponunt secundò hanc correptionem executiuam aut præcautiuam, aut impeditiuam culpæ nihil habere iurisdictionale, vel authoritatiuum, vt egregie declaratur exemplo Almayni quæstione resumptiua de potestate Papæ. Ægrotat pater naturalis trium, aut quatuor filiorum; ad valetudidem obtinendam necesse est, aut sanguinem mittere, aut pharmacum purgās accipere. Si nolit Pater debito satisfacere, vbi medicus doctrinaliter solùm, aut intimatiuè sine vllo iurisdictionis vsu explicauit sanguinis missionem, aut purgationem corporis desiderari pro conseruatione vitæ parentis, tenentur filij executiuam manum adhibere, vt Patrem volentem, nolentem cogant ad prædicta medicamenta, in quo nullam exercent iurisdictionem aut superioritatem; sed executores sunt iuris naturalis, & diuini, quo vnicuique mandauit Deus de proximo suo. Verba Almayni sunt, *Postquam per expertum medicum alicui dictum est de aliquo cibo, quòd est necessarius ad eius sustentationem, non ex præcepto medici, sed ex præcepto legis natu-*

tu-

turæ, tenetur illud sumere. Ex quo fit correctionem Euangelicam esse per modum adhortantis, monentis, rogantis, minantis per testes, aut delationem ad iudices, vt his verbis expendit D. Thom. supra art. 1. *Fit per verba tantùm, quæ vim coactiuam non habent, & talia verba admonitoria dicuntur: & ideò cùm hic modus ad corripientem pertineat, correptio nihil est aliud, quàm admonitio.* Hæc correptio cum omnibus circumstantijs Euangelij locum non habet, nec habere potest cum supremo Ecclesiarum Principe: atque adeò inutiliter laborarunt Basileenses, & Constancienses Doctores, qui ex correctione Euangelica intulerunt Concilium Generale esse supra Papam, quia si ipse delinquat, implendum sit illud præceptum. *Dic Ecclesiæ*, idest Concilio Longe diuersa est correptio, quæ ad summa Ecclesiæ capita extenditur, scilicet illa, de qua Ecclesiasticus cap. 17. comprehendens vtique sub se fraternam correptionem efficaciter præcautiuam, & executiuè impeditiuam culpæ iuxta illud: *Attendite ab omni iniquo, mandauit illis vnicuique de proximo suo.* Verùm, vt id præstari queat, nec grauius damnum nostrum, nec maius scandalum Reipublicæ, nec alia inconuenientia timenda sunt.

Ex his principijs eliciunt argumentum primum. Omnis culpa notoria Prælatorum in fieri, & pendentem habens executionem, siue cõtra proximũ, siue contra Remp. siue contra Deum debet impediri à quocumque homine potente id præstare sine scandalo, turbatione, aut grauioribus incommodis: quemadmodum his verbis docet Saluianus Masiliensis lib. 7. de Prouidentia: *Potestas, quæ inhibere scelus potest, quasi probat debere fieri, si sciens patitur perpetrari: in cuius enim manu est, vt prohibeat, iubet agi, si non prohibet admitti.* Farinac. q. 8. num. 120 citans And. Sicul. Aretinum, Felin. Abbat. Decium, & communiter omnes in cap. cum non ab homine. Diaz in Pract. crim. Canon. in verbo. Capit. cap. 114. Lap. allegar. 126. Boss. in tit. de captura num. 39. Glossa in cap. 2. de hæret. vbi quòd in crimine committendo inferior potest corrigere superiorem, licet secus in iam commisso. Archidiac. in cap. si putauerit q. 1. vbi quòd correptio fraterna, de quã in C.

Nouit de iudicijs, est de præcepto in eo qui vult committere crimen, vt teneamur ipsum corrigere licet secus in eũ qui iam commisit. Anton. in cap. ex parte de testibus Innoc. in cap. 1. de Postulat. Prælat. Sed litteræ, aut mandata Principum Ecclesiasticorum si contineant in fieri, & executione iniustitiam, aut peccatum, aut scandalum, aut speciem mali, aut transgressionem sacrorum Canonum, quoad vim directiuam eos obligantium, habent notoriam culpam. Ergo illæ poterunt impediri, aut præcaueri à quocunque ex generali mandato apud Ecclesiasticum, dummodo ea quæ disponuntur in iure Canonico, ab Episcopis non fiant, nec alia grauiora incommoda, aut scandala timeri possint ex dicta præcautione, aut impedimẽto executionis peccati. Hanc esse mentem Pontificum, constat: nam ipsi iubent similia rescripta impediri vt patet ex cap. Nos. 2. q. 7. *Nos si incompetenter aliquid agimus, & in subditis iustæ legis tramitem non seruamus, vestro, ac ministrorum cuncta volumus emendare iudicio.* Simile est, quod scribitur cap. *Si Dominus*. Cap. *Qui resistit*. 11. q. 3. & latissimè probat hãc partẽ Farinac. q. 47. n. 3. Scacia de iudicijs c. 57. n. 9. Borellus cons. 24. n. 18. imo Doctores plures statuunt, si mãdata sint valde extraordinaria absque peccato nõ esse executioni mandãda sine noua cõsultatione Principũ. Menochius cons. 1. Petrus Surdus cons. 419. n. 15. vsque ad 64. volum. 3. id sane vrgentius obligat, si violẽtur antiqua iura perpetua consuetudine recepta vt ait Valẽzuela de statu belli 2. p. cõsider. 12. aut si ex executione mãdati nouum scandalum generetur iuxta Mieres de Maioratu 4. p. q. 1. limit. 1.

Argumentũ secundũ est; quia Principes Ecclesiastici impẽsius, & ardẽtius amãt, & amare debẽt æquitatẽ, & speciẽ boni, quã Principes sæculares; sed Principes sæculares volũt, & iubẽt ipsorũ mãdata ab executione impediri, si cõtineãt receptarũ legũ transgressionẽ, vt patet ex l. rescripta C. de precibus Imperatori offerẽdis quod latẽ ibidẽ persuadet Antonius de Padilla: ergo de Principibus Ecclesiasticis idẽ cẽsendũ est, quãdo aliquid cõtra sacros Canones, aut receptas cõsuetudines laudabilles, aut ius naturale, vel di-

diuinũ cõtinet. Multa alia prædictis similia cõgerũt Grammaticus consf. 45. à n. 38. Farinac. q. 37. n. 74. Didacus Marius in Addit. ad Grãmaticũ decis. 36. n. 28. Si mãdatũ nõ iã iniustũ, sed durũ, aut asperũ sit, executionẽ impediendã docent Padilla in, l. causas n. 4. C. de transactionibus, Rodericus Suarez allegat. 12, n. 49. 50. Azeuedo in l. 14. tit. 33. cũ seq. & tit. 3. lib. 5. recop. Graffis in decisionibus aureis p. 1. lib. 2. c. 10. n. 21, Cenedo ad Decretales collectã. 3. n. 2. Barbosa in collectanea ad caput si quando num. 1.

Tertiũ argumentũ sumitur ab autoritate Põtificũ, & Cõciliorũ. Leo Magnus Theodosiũ Imperatorẽ alloquẽs epist. 7. ait: *Vobis non solũ regnũ, sed etiã Sacerdotalẽ animum inesse gaudemus, ne scilicet in populo Dei aut scisma, aut vlla scandala conualescãt.* Expẽde conualescentiã, seu cõtinuationẽ scismatũ, scandalorũ, & seditionũ inter Sacerdotes, de quibus sermonẽ habebat Leo, per correptionẽ fraternã, aut præcautionẽ, aut executionẽ impeditiuã laudabiliter vitari ab Imperatore Sacerdotalẽ animũ tenẽte. Idẽ Leo epist. 75. ad Leonẽ Imperatorẽ eamdẽ correptionẽ, & præcautionẽ cõmendat his verbis: *Sic debes incunctanter aduertere regiã potestatẽ tibi non solũ ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidiũ esse collatã, aut casus nefarios comprimendo: & quæ bene sunt statuta defendas, & veram pacem ijs, quæ sunt turbata, restituas.* Cõprimere casus nefarios Ecclesiasticorũ idẽ est huic Sãcto Pontifici, atq; eos præcauere, aut impedire: *Bene statuta defendere* idẽ est atque violationẽ Sacrorũ Canonũ impedire: *Veram pacem turbatis restituere* idem est, atq; nõ permittere rixas, contentiones, & seditiones Ecclesiasticorum. Celestinus Papa epistola ad Theodosiũ iuniorem propositis nonnullis exemplis sic Imperatorẽ alloquitur: *His ergo exemplis valati, præsidijs fide, obseruantia, virtute vniuersalis Ecclesiæ in Deũ nostrũ pijssimum cultũ, ne sibi aliquid dissensio vendicet, custodite. Pro vestra enim salute Imperij geritur, quidquid pro quiete Ecclesiæ, vel sanctæ religionis reuerentia laboratur.* Docet Pontifex ex vi fraternæ præcautionis, & correptionis impeditiuæ culpæ debere Imperatorem dissensiones Ecclesiasticorum præuauere, & vnanimitatem

seruare. Vt alliciat ad prædictum correptionem, & præcautionem extrajudicialem, exponit hanc curam iure naturali, & diuino cōmissam fore imperij politici conseruatricem.

Omnes Episcopi Catholici Ægypti, & Clerus Alexandrinus eamdem præcautionem impeditiuam culpæ tractu succesiuo pendentis aduersus Timotheum Patriarchā his verbis ad Imperatorē postulant: *Vestram tranquillitatem suppliciter exoramus, quatenus dum petitiones nostræ veniunt ad effectum, sancire iubeatis vestræ syllabis pietatis Timotheum ab appetita vesania prohiberi.* Non poscunt Timotheum puniri, hoc enim iurisdictionale est, & excedit terminos correptionis, aut præcautionis fraternæ executiuæ impeditiuæ culpæ, sed solum prohiberi, & impediri ab Imperatore circa tractum successiuum peccatorum.

Hormisdas Papa epist. 19. ad Anastasium Imperatorem, licet hæreticum sic scripsit: *Precor mansuetudinem vestram iniqua molientibus obuiare, & remouere molestias.* Non rogat vindictam exercere, aut punire Ecclesiasticos, qui Episcopum Nicopolis spoliarunt, hoc enim iurisdictionale est; sed per fraternam præcautionem impedire tractū successiuum peccantium. Idem Pontifex epist. 38. ad Iustinum Imperatorem hæc ait: *Superest vobis adhuc Alexandriæ, atque Antiochiæ, atque aliarum Ecclesiarum nullo modo negligenda correctio.* Non de iudiciali correctione, sed de fraterna, aut paterna culpas præcauente aut executiuè impediente, sermonem habet.

S. Gregorius Papa lib. 2. epist. 5. ad Gennadium Exarchum Italiæ, licet magistratus secularis esset, hæc scribit: *Scito excellentissime fili, si victorias quæritis, si de commissæ vobis Prouintiæ securitate gloriamini, nihil in vobis magis aliud adhoc proficere, quàm zelare sacerdotum vitas, & intestina Ecclesiarum, quantum possibile est, bella compescere.* Non permittit Exarchum iudicium exercere, aut pœnam in Ecclesiasticos; sed eorum culpas aut præcauere executiuè, aut impedire.

Patres Concilij Bizaceni, & Concilij Romani sub Martino cōsultatione 2. Imperatorem rogant, vt quorumdam Episcoporum culpas tractum successiuum habentes impe-

impediat; suadent prædictam correctionem, aut præcautionem adductis solennibus verbis Isaiæ: *Erunt Reges nutritij tui* id est, qua potestate nutrix infantem à nociuis remouet sine iurisdictione, sic Reges quasi nutrices Ecclesiasticos filios à peccatis separant.

Carlomannus autore Surio die quinta Iunij Cleri promouit reformationem ea forma, quam repræsentat in epistola ad Romanum Pontificem: *Ne aliquis, quæso, huius pietatis admonitionem esse præsumptionem putet; vel iudicet, quia nos errata corrigere, superflua rescindere, recta connectere studeamus.* Hanc reformationem non aliter præstitit, quàm solicitè curando vt Ecclesiæ leges implerentur, simulque impediendo, ne quisquam vllas violare auderet, vt constat ex lib. 2. Hist. Rhemensis cap. 18. Huius filius Ludouicus Pius Imperator, & Carolus filius, vt refertur in Concilio Suessionensi executores esse voluerunt sacrorum Canonum missis visitatoribus ad varias vrbes Prouinciarum. Verba regia hæc sunt: *Vt ministri nostri per ciuitates, & singula Monasteria, tam Canonicorum, quàm Monachorum, siue Sanctimonialium vna cum Episcopo vitam ibi degentium, & conuersationem inquirant, & vbi necesse, corrigant.* Episcopi iudicialiter hæc præstabant; at Visitatores Regij correctionem prædictam veluti cooperatores per aliud genus præcautionis, & correptionis executiuæ impeditiuæ culparum eadem complebant.

De Imperatore Carolo 5. initio Concilij Treuirensis hæc scribuntur: *Sacra illius maiestas sibi haud quoque graue duxit formam nobis proponere ad amussim consentaneam scripturis, & cælitùs inspiratis Canonibus ad instaurandam Ecclesiæ integritatem.* Addit proximè Archiepiscopus Treuirensis: *Eam reformationis formulam iuxta Cæsaris mandatum publicare, & prælegi omnibus vobis curauimus.* Hæc, & alia plura Doctores prædicti congerunt testimonia, ex quibus gesta Principum cum Ecclesiasticis principibus iustificare contendunt titulo fraternæ correptionis in præcepto positæ nostri generis parentibus primis, secundum ea, quæ Ecclesiasticus cap. 17. retulit.

Iud-

Iudicium de tertia sententia.

QVæcumq; generaliter dicuntur ab his Doctoribus circa fraternã correptionem, de qua Ecclesiasticus cap. 17. verissima sunt, nec in cōtrouersiam adduci queunt: illa enim omnibus scripturis, Cōcilijs, Patrib. & Scholasticis probātur. Verū semper hæc principia ex iure ipso naturæ, ex pluribus circumstantijs, & cōditionibus limitāda sunt.

Nam primò hoc præceptum affirmatiuum de fraterna correptione executiua impeditiua culpæ postulat vt ex illius executione non maiora incommoda, aut scandala emergant. Secundò postulat, vt quā maiori lenitate, & minori tumultu, & securioribus medijs fieri possit, adimpleatur. Tertiò, vt occasione illius iurisdictio nō vsurpetur, ne q; iudicialis stylus, aut praxis exerceatur, cùm præceptum mandatum nullam præstet potestatem authoritatiuam vel authenticam in iudicio. Quartò vt si peccatum non habeat tractum successiuum, sed omnino cessauerit, nihil ratione huius præcepti fiat præter ea, quæ pertinent ad suadendam pœnitentiam. Hæc si omittantur, aut contemnantur, innumera consequentur absurda. Quod si obseruentur, & doctrinaliter præcipiantur, nullum inconueniens, aut incommodum timendum erit.

Dices correctio fraterna executiua ex parte Magistratus, aut Principis secularis non potest habere locū, donec præcesserit examen iudiciale Ecclesiasticorū, vt insinuatur à Concilio Sardicensi c. 19. vt refertur cap. si Episcopus 11.q.3. & à Cōcilio Carthaginensi 4. c. 66. & à Concilio Mileuitano c. 22. vt refertur cap. Presbyteri 11.q.3. & generaliter antiqui Canones, & concilia quamquam etiam absolutè nunc dicuntur abrogationē habere, nō permittunt ad iudices seculares venire Ecclesiasticos, donec Prælati iustitiā denegarent. Conc. Carthagin. 3. constit. 74. c. 1. & refertur cap. si quis 45. C. 11.q.1. Respōdeo hæc omnia procedere de peccato cōsummato, & nō habente tractum successiuum; nō tamen habere locū circa peccatum in fieri vel

quod

quod executionem minatur. Itaque hæc iura loquuntur de criminibus patratis iudicialiter puniendis, aut cõpescendis; non de ijs quæ antequam patrentur extraiudicialiter impedienda sunt, ne fiant, aut continuentur.

Instabis, ex hac doctrina fieri vt possint magistratus sæculares expedire litteras aduersus quemlibet Ecclesiasticum delinquentem in crimine habente tractum successiuũ, vt si concubinam domi retineat, aut furto sublata non restituat; cùm tamen hæc non aliter emendari oporteat, quam per iudices Ecclesiasticos. Respõdeo hæc melius & breuius præstari ab ordinario Ecclesiastico; deinde maiora damna & vsurpationes alienæ iurisdictionis, ex hac praxi contingere; atque adeò in his publicis scandalis habentibus tractum successiuum, & continuatam malitiam, non aliam admittendam correctionem, quam quæ à legitimis, & competentibus pastoribus fieri solet.

Obijcies præterea ex doctrina præmissa de fraterna correptione sequi, posse Ecclesiasticũ ratione fraternæ correctionis executiuè impedientis culpam, armata manu resistere, ne iudex laicus aduersus aliquem iniustè damnatum ad triremes, verbera, aut furcam sententiã exequatur. Respondeo non habere locum in hoc casu præceptum, quia ex illius executione fieret vt grauiores tumultus, & seditiones, & Tribunalium perturbationes contingerent. Quæ regula semper habenda est præ oculis, ad cognoscendum, quando non obliget prædictum præceptum.

Instabis cum hæc correctio executiua nõ fundetur in præcepto Christi Matth. 18. sed in alio intimato apud Ecclesiasticũ c. 17. solũ habere locũ pro materijs, quæ iure diuino, aut naturali manifestè sunt inexcusabiles, vt si adulterari, aut furari præciperetur; valde enim cõforme est omni iuri, vt nõ obstante priuilegio liberi arbitrij, obligemur ad nõ faciendum malum. At quãdo res nõ habẽt euidentẽ malitiã, sed per cõductus opinabiles, & iudiciales incedũt, in quibus ferè omnia sunt de solennitatibus positiuis, magnũ absurdum est, vt pax, ordo, & quies tribunaliũ perturbetur, præsertim si cum remedio appellationis aut inhibitionis in causis, quæ natura sua executiuæ nõ sunt, occurritur nocu-

mento

mento peccati. Respondeo admittendo quidquid in hac instantia proponitur: nam quoties cum legitima opinione proceditur, nullum est peccatum, quod impediendum sit; correptio autem fraterna impeditiua culpæ locum non habet; vbi culpa non est; imò nec cum adest manifestum peccatum, si ex correctione pax, & quies conturbentur.

Quarta via opinandi ex titulo Patris extraordinarij Respublicæ, qui inest Regi.

GRaues quidam Doctores aliter prædictum examen, & detentionem litterarum Apostolicarum à culpa eximunt. Supponunt, velut certum principium Reges in suis Dominijs esse Patres extraordinarios singulorum qui in illis commorantur, etiamsi Cardinales sint, vel Patriarchæ, vel Episcopi; atque ideo omnes, & singulos illis debere filialem quandam obedientiam, quam S. Gregorius lib. 12. epist. 24. principalem appellat. Hanc esse communem Sanctorum Patrum sententiam persuadere contendunt; nam ex hoc titulo etiam quando Principes malè præcipiebant; si mandatum absque ipsorum Patrum, aut Episcoporũ scelere impleri poterat, illud exactissime, & celerrime exequebantur. S. Athanasius ad Constantium Imperatorem ait: *Nequaquam restiti mandatis tuæ pietatis: neque Alexandriam ingredi conabor, quandiu id per tuã pietatẽ nõ licebit.* Mauritius Imperator legem promulgauit Ecclesiasticæ libertati contrariam; nihilominus S. Gregorius lib. 2. in dict. 11. epist. 61. scribit se Episcopis iussisse, vt illam exequerentur, & simul Imperatorem monuit de legis ipsius nullitate, & iniquitate: Et subdit *Vtrobique, quæ debui, exolui qui, & Imperatori obedientiam præbui & quod sensi, minime tacui.* Dicit se præbuisse obedientiam Imperatori, in Episcopis: nam in propria persona Romanus Pontifex filius non est, nec vllum subiectionis genus debet vlli hominum; ideo Gelasius epist. 10.

 his

his verbis Imperatorem affatur: *Legibus tuis ipsi quoque pareant religionis Antistites.* S. Adalbertus Episcopus citatus à Baronio anno 1097. dicere solebat *se duos habere Dominos, hoc est Papam, & Regem, quorum dominio iure subiacent omnes sæculi potestates.* In Ecclesiæ infantia Gentiles, vt Imperatoribus odiosum redderent nomen Christianorum, maximè Sacerdotum, dicere solebant ipsos consuetam obedientiam sæculi Principibus denegare. Hanc calumniam S. Iustinus Apol. 2. ad Antonium, Tertullianus in Apologetico, Minutius in Octauio, Clemens, Alex. 4. Strom. Arnobius contra Gentes accuratissime refutant. Apostolus huic damno succurrens hanc obedientiam prædicabat: ad Rom. 13. *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit. Ad Titum 3. suggere ipsis, vt se subijciant Principatibus, & Potestatibus, & obtemperent, vt ad omne opus bonum sint parati.* Et 1. Petri 2. *Proinde subiecti estote cuiuis humanæ ordinationi propter Dominum, siue Regi, vt qui supereminet.*

Hoc munus Patris diuersum est ab officio Regis, quemadmodum Theologi à Puente Hurtado allegati disp. 162. de charitate sect. 4. à §. 26. in iudice duo munia distincta separant, quorum alterum paternum est; alterum iudiciale: & hęc interdum personis separātur. Adam toto vitæ decursu instar solius Patris gubernauit, quòd illum, veluti fontem, & originem naturalem cæteri homines suspicerent. Nomen, & officium Regum, & Iudicum postea est inchoatum. Iudices Arbitri, vel ad vnam tantùm causam iuridicè terminandam destinati, nihil habent paterni muneris; in reliquis fere omnibus iura Patrum, & Iudicum copulantur.

Officia paterna non violant immunitatem Ecclesiasticam: v.g. Habet Pater in proprijs ædibus filium Sacerdotem scortatorem, gladiatorem, ebriosum, aleatorem, turbantem noctibus quietem ciuitatis. Pater vt illius bono consulat illum armis spoliat, continet eum in proprio domicilio, cogit abstinere vino, mulieribus, & scandalosis sceleribus: nihil tunc facit contra immunitatem Ecclesiæ: non enim hoc ius naturale parētum per Sacerdotium

filij supprimitur, vel extinguitur, præsertim cum ex dedecore filij magna ignominia parentibus, familijs, & tertiæ personæ consequatur. Simile quid de extraordinarijs parentibus Ecclesiasticorum dicendum est; nam quod scribit Grabrisa tom.4. Præscript. cõtrouers. 7. pag. 43 3. Sacerdotes non esse filios, nec subditos Regum, sed ipsis cõmissos, sicut Christus Pilato, nullo modo admittendum est: Probatur, & declaratur à simili. Demus Patrem habere quinque naturales, & legitimos filios, & vnum ex illis esse Sacerdotem. Pro statu, & conseruatione fratrum necesse sit filium Presbyterum negotia quædam suscipere, & viarum incommoda sustinere, aut alia quæuis opere, quæ Sacerdotalem dignitatem non dedeceant: iubet Pater hæc fieri; absque dubio ex obedientia filiali tenetur exequi filius Sacerdos. Similiter Rex est Pater extraordinarius, aut frater maior, vt probat Vvaldensis tom. 1. doctrinalis fidei lib. 2. cap. 80. quem (post accuratissimum examen in Curia Romana peractum) Martinus V. approbauit litteris Apostolicis, quæ ad initium tom. 2. reperiuntur: eamdem veritatem pluribus confirmat ex communi sensu Doctorum. Tenetur Rex prædicto titulo Ecclesiasticos, vt filios, aut in pompa, & robore mundano minores fratres tueri ab hostium iniurijs, eorum pacem, honorem, subsidia conseruare, pro illorum bono vitam, fortunasque prodigere; tenentur ipsi vicem rependere, atque illum veluti Patrem, aut maiorem fratrem reuereri, & illius mandata Ecclesiasticis muneribus non repugnantia, quoad fieri posit, executioni committere. Hunc fuisse sensum fidelium ab initio Ecclesiæ probant prædicti Doctores ex subiectis testimonijs. Tertullianus licet Presbyter esset hæc scripsit lib. de idolatria. *Igitur quod attinet ad honores Regum, vel Imperatorum satis præscriptum habemus in omni obsequio esse nos oportere secundum Apostoli præceptum.* S. Chrysost. Homil. 23. in 13. ad Rom. *Omnis anima Potestatibus supereminentibus subiecta sit, etiamsi Apostolus sis, etiamsi Euangelista, etiamsi Propheta, etiamsi quisquis tandem fueris.* S. Hieronymus in epist. ad Titum, & habetur 11. q. 3. C. si Dominus:

nus: *Si bonum est quod præcipit Imperator, & Præses, iubentis obsequere voluntati.* S. Bernard. epist. 170. *Si totus orbis aduersus me coniuraret, vt quippiam molirer aduersus Regiam Maiestatem; ego tamen Deum timerem, & ordinatum ab eo Regem offendere temere non auderem.* Idem epist. 41. scribens ad Henricum Archiepiscopum Senonensem sic ait: *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit, si omnis, & vestra: quis vos excipit ab vniuersitate; si quis tentat excipere, conatur decipere.* Quibus ostendit etiamsi Henricus esset Archiepiscopus, debuisse obedientiam filialem Regibus. Plurima huius coloris facile esset producere; quæ autem dicta sunt iuxta hos autores videntur persuadere Reges vt extraordinarios Patres posse præcipere ea quæ iusta sunt: si quæ vero opere, verbo, aut scripto ab Ecclesiasticis dimanent, quæ peccata sint, aut scandalum, vel speciem mali contineant, & erumpant in executionem criminosam, aut habeant tractum successiuum peccati, ea possunt à Principibus, vt extraordinarijs Patribus impediri ne fiant, & postquam facta, & consummata sunt, non ab illis iudicialiter, aut iurisdictionaliter puniri possunt; sed ab Episcopis, Patriarchis, aut Romano Pontifice. Propterea addunt: si quando Breuia Apostolica ex subreptione, aut sinistra informatione, aut alio quouis modo sine iniustitia, aut scandalo, aut transgressione Sacrorum Canonum, aut violatione iuris Patronatus impedri non possunt: tunc Rex, veluti extraordinarius Pater Episcoporum, id exequi valet, quod illi non audent, ea examinando vel detinendo.

Hæc sententia idem supponit, quod secunda circa nimium metum, aut minorem constantiam Episcoporum quibus ex iure Canonico hæc potestas examinandi, & detinendi Breuia Apostolica commissa est. Haud facile est de omnibus, aut ferè omnibus; imo nec de pluribus ita iudicare.

Quinta via opinandi ex vnitate corporis mystici, quod componunt laica, & Ecclesiastica Respublica.

POtestatem Regum ad detinendum, & impediendum litteras Ecclesiasticas, quæ sint in præiuditium tertij, aliter Doctores alij statuerunt: duæ, inquiunt, sunt Respublicæ inter se connexæ, Ecclesiastica, & sæcularis, vnum conflantes corpus. Neque vero sunt veluti duo Magistratus politici, aut duo Magistratus Ecclesiastici non subordinati, vlla sine vnione, connexione, vel ordine; sed vnam componunt, veluti ciuitatem, vel Regnum, in cuius gremio duæ illæ potestates Ecclesiastica, & ciuilis mutuò se iuuant, & fouent, neque altera ab altera in suis munijs aut turbatur, aut impeditur. Duæ veluti partes sunt eiusdem coronæ; quamquam potestas laica tempore Ecclesiam præcedit, sicut natura artem antecedit iuxta illud celebre dictum Optati Mileuitani: *Ecclesiam esse in Republica, non Rempublicam in Ecclesia.* Veritas nuper exposita habetur in Paulo 1. Corinth. 12. *Multa quidem membra; vnum autem corpus.* Et paulò post: *Vt non sit scisma in corpore, sed ad ipsum pro inuicem solicita sint membra.* Deinceps addit: *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.*

Pro concordia, & valetudine membrorum in vno corpore mystico plura possunt fieri indiscriminatim à laicis, & Ecclesiasticis Magistratibus, quæ, licet fiant à iurisdictionem habentibus; non tamen iurisdictionaliter, vel authoritatiue præstãtur. Hanc doctrinam egregie declarat, & probat Franciscus Suarius lib. 4. contra Regem Angliæ cap. 34. num. 15 vbi cum dixisset officiales Magistratuum sæcularium posse comprehendere clericos, de quibus suspicio esset, malum aliquod machinari, hæc ait: *Nullo modo possunt facere titulo iurisdictionis. Solet autem iustificari per modum defensionis, quia expedit valde*

Rei-

Ripublicæ, vt impediantur delicta, & hoc munus videtur maximè commissum ministris iustitiæ sæcularis. Allegat pro se in hac conclusione Decium, Felinum, Panormitanum, Nauarrum, Iulium Clarum. Iuxta horum Doctorũ opinionem comprehensio Sacerdotis, v. g. à Magistratu laico facta, si ideò accidat, quia necessariè fit ad impediendum facinus contra pacem, & bonum totius corporis ciuitatis, non est contra immunitatem Ecclesiasticam; neque iudicialiter exercetur, sed titulo dumtaxat iuris naturalis, quo vtraque res publica laica, & Ecclesiastica vnum constituunt corpus, cui necessaria sit pax, & concordia. Similiter scribit Sousa in Bulla Cœnæ cap. 16. disp. 82. num. 9. loquens de eodem casu his verbis: *Non condemnarem comprehendentem Ecclesiasticum noctu cum armis prohibitis, & præsertim mutato habitu, eò quod Iudex in tali casu vtilitati, ac tranquillitati Reipublicæ consulit: plus enim potest Respublica; quàm quælibet particularis persona: Cum ergo particularis persona possit in fragranti delicto defendere innocentem, potest illud idem, & Respublica, etiam præuidendo, & anticipando tumultus, & occasiones, quibus ipsa perturbari potest.* Promouent hanc mentem, quæ scripsere Banez 22. q. 67. art. 1. dub. 2. Lorca 1. 2. tom. 2. tract. de legibus disput. 25. memb. 4. Cruz in Directorio part. 1. præcepto 8. q. 3. art. 1. dub. 3. conclus. 3. & alij communiter. Quod si moralis hæc præsumptio, aut suspicio de Clerico intempesta nocte vrbem deambulante cum armis, & probabilis timor de malo quod patrare possit ex mente grauissimorum Doctorum, sufficit vt potestas per consuetos officiales sæculares illum comprehendat, armisque expoliet extraiudicialiter, non videtur esse necessaria moralis euidentia de delicto, aut violentia, vt auxilium extraiudiciale conferatur aduersus Principes Ecclesiasticos à potestate sæculari. In quo non satis cohæret hæc doctrina Suarij cum alia eiusdem in hoc tractatu allegata, vbi poscit euidentiam violentiæ, vt præstetur auxilium à Principe sæculari contra vim illatam ab Ecclesiasticis.

Quod vero ait Bonacina tom. de Legibus disp. 10. in præcep-

præcepto.c.4.2.punct.1.num.11. maius incommodum esse præiudicium illatum Ecclesiæ immunitati ex his recursibus extraiudicialibus ad Potestates laicas, quã quod seditio sequatur, aut sustineatur violentia, durissimum arbitrãtur alij Doctores. Primo, quia existimant falsum esse vsurpari iurisdictionẽ Ecclesiasticam à laica in his recursibus extraiudicialibus. In quo etiã non est exacta, & legitima locutio Reginal.tom.1.lib.9.cap.22.Layman. lib.4. tract.9.cap.4. Filiucij tom.1.tract.16.c.8. & 10. Sairij de censuris lib.3.c.18.&plurium aliorum. Secundò, quia non est maius damnum Ecclesiasticos aliquos iudices reprimi, quam pacem turbari, & violentiam sustineri. Non vexatur Ecclesiastica libertas in his casibus; sed reprimuntur nonnulli ea abutentes; alioqui etiam ex eò quod vna ciuitas seditionem, aut vnus homo violentiam sustineret, vniuersum ius naturale, & vniuersa Respublica humana vexaretur. Potior autem ratio habenda est iuris naturalis, & diuini, quam iuris positiui humani.

Existimãt hanc opinionẽ plurimis antiquorũ exẽplis illustrari, & roborari: omissis alijs pauca referemus. Theodosius Iunior epist.ad S. Cyrillũ, quæ habetur in actis Ephesini Cõcilij hæc dictat de regali, aut Imperiali potestate. *Noris Ecclesiã, & regnũ nostrũ coniuncta esse, nostraq; accedente autoritate, & imperio, & Christi Seruatoris nostri ad spirãte prouidẽtia magis subinde inter se coitura esse.* Vnũ corpus vna familia sunt Sacerdotalis, & laica multitudo: nec potest cancer discordiæ iniquitatis, aut alterius scandalosi, vel cõtagiosi criminis serpere in vicina mẽbra, quin ea ius habeant damnũ repellendi. Eandẽ sententiam his verbis illustrat Imperator epist.17.quæ in eisdẽ Actis Ephesinæ Synodi reperitur: *Cum Deus optimus imperij habenas nobis tribuerit, ijsque, qui imperio nostro parent, pietatis, & iustæ actionis quoddã quasi vinculũ nos esse voluerit, horũ inter se societatẽ partim quidẽ nostra priuata prouidentia fieri, partim quoque humano præsidio vsu indiuulsam perpetuo hactenus conseruare enixè contendimus.* Ex quibus persuadent esse iuris naturalis, & diuini propter identitatem corporis, & viciniam membrorum, vt si quæ

litteræ

litteræ Ecclesiastici iudicis noxiæ sint, aut habentes tractum successiuum peccati, illa à sæculari Principe examinentur, vel detineantur.

Ex vicinis temporibus alia producuntur ab his Doctoribus. Concilium Lateranense sub Iulio 2. & Leone 10. coactũ fuit propter ea mala, quæ ab Ecclesiasticis imminebãt; & ideò sæpè alias, maximè sess. 9. pag. 85. & sess. 10 pag. 97. decernuntur innumera ad reformationẽ Ecclesiasticorũ iudicum, & Prælatorũ. Hæc si extraiudicialiter iam antea Reges impediuissent, præclusus aditus fuisset innumeris incommodis. In prima oratione ad Patres Cõcilij Tridentini quæ habetur tom. 4. Conciliorum editionis Coloniensis anno 1618. part. 2. p. 779. veluti in vnum fontem, & caput conferunt Apostolicæ Sedis Legati omnia mala quibus, tunc vexabatur Ecclesia, in excessus Episcoporum, & Ecclesiasticorum: *Si verum fateri volumus, aliter dicere non possumus, quin nobis conscijssimus in administrando munere nobis imposito in pluribus defecisse: & horum etiam malorum, ad quæ corrigenda vocamur non minima ex parte causam extitisse.* Et paulò post, vbi dictum fuerat tria esse quæ remedium postularent, subditur: *Hæreses lapsa morum disciplina, & intestinum, atque externum bellum: hoc ergo videamus, & consideremus cùm tam multis annis Ecclesia his calamitatibus vexetur, vnde nam ipsa originem habuerint. Num illis nos quodammodo principium, num fomentum dederimus. Hic verò nihil attinet aliud inuestigare, quinam tantorum malorum autores fuerint; cum præter nos ipsos ne nominare quidem alium autorem possimus.* Et paulo antè: *Nostram ambitionem, nostram auaritiam, nostras cupiditates his omnibus malis populum Dei prius affecisse.* Idcirco docent prædicti auctores licitum esse Principibus non solum breuia, aut mandata Ecclesiasticorum noxia vel violenta, vel non sine culpa executioni mandanda examinare, & detinere; sed etiam ad id obligari ratione canceris, & damni serpentis in vnum, & idem corpus ab Ecclesiasticis, & sæcularibus compactum; est enim lumine naturali insitum, vt

quis-

quisquis possit etiam extraiudicialiter prædicta damna à legatis Sedis Apostolicæ numerata repellat. Micheas 3. cap. postea quam retulit Magistratum violentias, & culpas, maximè Sacerdotum ait: *Propter hoc causa vestri Sion, quasi ager arabitur, & Ierusalem, quasi aceruus lapidum erit, & mons templi in excelsa syluarum.* Cùm igitur ex peruerso iudicio, aut regimine Sacerdotum tanta immineat Reip. clades, iure naturalis conseruationis licebit Regibus, quæ ad illa disponunt, impedire; & ea detinere, aut sistere, quæ scripto facto, aut verbo eadem etiam à longinquo minantur.

Hæc via opinandi dummodo sint imminentia damna, moraliter certa, & non sit alius quam laicus qui illa repellat, secura est, & pia. Quoad alia necesse non est iudicium ferre cum plura misceat quæ longiorem disputationem exigant.

Sexta via opinandi ex titulo EpijKiæ.

CElebris, & communis doctrina est, quæ ait necessitatem lege carere. Haud dubium contingere posse, vt expediat bono publico in casibus nonnullis Ecclesiasticorum violentias à laicis magistratibus extraiudicia iter propulsari; verùm nunquam id licebit prætextu iurisdictionis supraipsos: idcirco si quando per EpijKiam, aut ius naturalis defensionis coguntur Sacerdotes excubias agere, & militaria officia exequi iuxta caput *Peruenit* de immunitate Ecclesiarum, nullatenus credendum est à laicis iurisdictionaliter obligari.

Illud certum est, quando similia per EpijKiam contingerent nullum esse prætextum legitimæ iurisdictionis. EpijKia enim, idest correctio legis vel mandati est actus doctrinalis, & prudentialis, non vero iurisdictionalis, vt ex Aristotele, & alijs bene expendit Suarez lib. 6. de legibus cap. 7. In executione legis diuinæ nulla potest inferri violentia; si quæ autem esset vis in executione legis Canonicæ, non illa ab homine, sed à iure proueniret.

Ex

Ex conditionibus, aut circumstantijs annexis solet interdum cessare obligatio iuris: atque adeò in illius executio ne potest violentia contingere. Communiter autem in nostro casu EpijKia pro injustis solum, & violentis, & difficillimis mandatis ab homine prouenientibus locum habet. Primò si præceptum iniquum sit, & cogat ad executionem eius, quod naturali, aut diuino, aut Canonico iuri vniuersaliter refragetur, dictamen prudentiæ per EpijKiam, & correptionem fraternam executiuam impeditiuam culpæ potest impedire executionem mandati, eorum auxilio, qui id valeant sine scandalo, & seditione præstare. Secundò etiamsi mandatum absque vlla culpa impleri queat, si tamen valde est asperum, & difficile, & extraordinarium, & inhumanum, habet locum EpijKia, & correctio, & licet illius executionem impedire iuxta opinionem communem Theologorum, quam tenet Suarius lib. 6. de legibus cap. 7. Probatur nam quando lex generalis iusta, sancta, & prudens est, si in casu aliquo singulari ex circumstantijs reddatur illius executio nimis aspera, & difficilis, & supra captum ordinarium humanarum virium, nõ est obligatio illam adimplendi ex Aristotele, & communi Philosophorum, & Theologorum placito: ergo à fortiori idẽ ferendũ est iudicium de mandato similes conditiones exhibente. Atq. in his, & alijs casibus, quamquã ex parte subditi liceat executio sine peccato; nihilominus mandãs nõ excusatur a peccato, nec exequutio præstatur absq; illius culpa: atq; adeò ex hoc motiuo succurrere etiam potest correptio fraterna impeditiua peccati. Tertiò etiam, si prælatus potestatem habeat imponendi præceptum aliquod; si tamen sint probabiles, & prudentes coniecturæ, quæ persuadeant non fuisse illius intentionem de imponendo mandato, vim habet extraiudicialis EpijKia.

Atque vniuersaliter loquendo pro his casibus nõ est necessaria euidentia, vt ait Suar. supra, sed sufficit maior probabilitas, de iniustitia, violentia, & summa difficultate præcepti vel de nimia asperitate, aut insolentia ipsius. Gabriel Vazquez 1.2. disp. 62. c. 6. docuit semper implendum esse mandatum superioris iubentis, secundum opinio-

nem probabilem: verū in ipse hoc principium sæpè limitā sit, nam disp. 176 c. 3. n. 16. loquens de EpijKia sic ait: *Quod diximus supra disp. 62. parendum esse legi superioris, quando ipse præcipit aliquid, circa quod est varietas opinionum, intelligendum est, quando certus est subditus illud in vniuersum præcipi expressè à superiori, & de tota lege seu præcepto est opinionum varietas; non autem de casu singulari, de quo ob circumstantias aliquas controuertitur, an in eo potuerit superior præcipere: tunc enim cum non constet de mente legislatoris, rectè habere potest locum EpijKia per opinionem probabilem, & circa illum legem emendare.* Idem omnino adhuc cum maiori vniuersalitate docuit vbi supra Franciscus Suarius, non enim per Mathematicas euidentias potest humana conuersatio dirigi in agibilibus, sed sæpè per probabiles solum rationes, & coniecturas. Hanc doctrinam, & praxim Sedes Apostolica confirmat. Nam cum Zeno Imperator videret grauissima incommoda timeri, si electio Episcopi Antiochiæ fieret in conuentu publico, quemadmodum Sacri Canones illorum temporum præcipiebant, data EpijKia iussit, vt Cōstantinopolitanus Patriarcha Episcopum Antiochenum eligeret, & consecraret. Id præstitum est vacante Sancta Sede Stephano Papa sublato per martyrium ex Euagrio lib. 3. cap. 2. Nicephoro lib. 15. c. 18. Optimè se gessisse Imperatorem scribit Sanctus Simplicius Papa epist. 13. his verbis: *Vnde, quæ à vobis amore quietis sanctè, & religiosè sunt ordinata, reprobare non possumus.* Itaque licèt alia facta Zenonis circa creationem Patriarchæ Alexandrini; & restitutionem Petri Fullonis improbentur; prædicta tamen EpijKia à Sede Apostolica commendatur. In ijs, quibus deliquit, ab humana ignorantia excusatur: nam vbi monitus à S. Felice Papa, suo muneri, & officio satisfecit. Plura huius coloris exempla breuitatis causa prætermittimus.

Illud autem principium semper executioni mandandum esse, quod superior probabili opinione ductus iniungit, aliquas patitur exceptiones, & limitationes, quarum nonnullas consignarunt Vazq. 1. 2. disp. 62. Lessius lib. 2.

cap. 11. dub. 9. Salas 1. 2. tom. 1. tract. 8, disp. vnica, sect. 8. Sanchez in Summa tom. 2. lib. 6. cap. 3. Turrianus 2. 2. disp. 50. dub. 5. & alij. Ego autem geminam regulam statuam multos casus comprehendentem. Prima exigit vt præmittatur doctrina Abulensis in prologo libri iudicum q. 11. his verbis: *Est differentia inter Dominum, & iudicem, quia Dominus dicitur ille, qui simpliciter habet potestatem, & quod vult, hoc potest etiamsi iure cautum nō sit; Iudex autem est, qui non habet libertatem ad mandandum; sed hoc solùm potest, quòd iura imperant, & tradita est illi autoritas difiniendi secundum ius. Ideo ille, qui subest iudici non est subiectus viro, sed iuri; qui vero Dominò subiectus est, subditus est viro.* Ex quo fit iudicem non esse Dominum, nec superiorem, sed legis executorem, & iuris defensorem: ac propterea non quæcumque iudex secundum opinionem probabilem à reo exigit, ipse debet concedere. v. g. probabile est semiplena probatione munitum iudicem posse cogere reum addicendum veritatem, atque eumdem reum illam confiteri debere; verùm quia est opinio probabilis, quæ dicat reum cum semiplena probatione rogatum non teneri aperire veritatem, securè potest illam tegere, & huius generis occurrunt innumera alia exempla. Secunda regula est, vt quoties dubitatur, àn iudex sit competens, & legitimus, vel dato quòd sit legitimus, an iurisdictionem habeat pro determinatis nonnullis casibus, vel an possit certas quasdam opiniones exercere, tunc non sit obligatio ad mentem illius respondendi: nam cum reus in possessione sit vitæ, honoris, & fortunatum ipsius opinio præferri potest oppositæ, quam habet iudex absque possessione.

Non desunt Doctores, qui ex his principijs contendant persuadere per hunc titulum extraiudicialis Epij-Kiæ posse impediri executionem Breuium, & mandatorum, quæ in rebus politicis, & iudicialibus maioris momenti sacris canonibus opponūtur non sine præiudicio alicuius prouinciæ, vel incolæ ipsius. Quòd si Reges ad hoc dictamen prudentiale grauiores sui Regni Senatores con

sulant, eorumque monita exequantur; dicunt hi Doctores, nihil patrare contra rectam conscientiam.

Hæc sententia recitatiuè duntaxat à me proposita, dummodo non violet communiora principia Philosophorum, & Theologorum circa Epijkiam, & sciens, ac volens Pontifex illius praxim admittat, nullatenus erit contemnenda.

Septima via opinandi ex titulo Protectorio, & executorio Sacrorum Canonum Regibus concesso.

NOtum est Dei, & Ecclesiæ beneficio seculares Principes esse Protectores, & executores Conciliorum, & Sacrorum Canonum, si vniuersaliter à fidelibus accepta sint, vt latè probat Narbona lib. 2. tit. 4. lege 59. Gloss. 2. Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 20. ex iure, & præcepto Diuino munus prædictum commissum esse Regibus arbitrari videtur illis verbis: *Quos Deus sanctæ fidei, Ecclesiæque Protectores esse voluit*. Et paulò post addit, vt imitentur in hac re *anteriores optimos, religiosissimosque Principes*. Pius 4. in Bulla confirmationis eiusdem Concilij eamdem illis curam demandat. Quid Doctores dixere prætermittamus.

Gerson concl. 3. super ludo stultorum tom. 4. sic ait: *In abusibus, quibus non medentur Prælati, possunt Principes sanctè, & iustè prouidere per edictum, & probitionem generalem, atque per coactionem inobedientium, & rebellium apparere posset eos obligari ad illud exequendum velut Sanctæ Ecclesiæ Protectores*. Doctrina hæc Gersonis, quæ communis est pluribus Doctoribus Ecclesiæ Gallicanæ, vt aliquo modo tolerabilis videatur, poscit primò vt edicta Regia nihil addant supra Canones; sed solùm denuo proponant eorum vim, & obseruantiam, qua ratione à Concilijs, & Sancta Sede dimanarunt. Secundò illa coa-

ctio non debet pœnis muniri aduersus delicta commissa, & consummata; sed solum contra illa quæ prorumpunt in opus, aut habent tractum succesiuum cum aliorum scandalo, & pernicie. Debent se gerere Principes, vt meri executores alienæ iurisdictionis vel vt meri Protectores obseruantiæ iuris naturalis, aut diuini, aut Canonici.

Alij suam mentem varijs conclusionibus explanant. Primo aiunt. Si Principes sint Protectores, & executores Conciliorum, & Canonum iure positiuo, ex eo quòd hanc curam, & ministerium susceperint, debent in conscientia impedire vniuersa Ecclesiæ damna, & violationem sacrorum Canonum, non id præstando iurisdictionaliter, sed executiuè, aut ministerialiter. Addunt supposita acceptatione protectionis, & executionis non posse excusari Principes à grauissimo scelere, si permittant receptos Canones violari. Probant, & declarant intentum à simili executionis testamentorum de cuius obligatione sic statuit cum communi Doctorum Caceres Gloss. 28. de executoribus testamenti pag. 561 edit. Methymnẽsis anno 1593. *Supposito quod executor sponte, vel inuitus acceptauit, & exercet officium executoris testamenti, cum fuerit nominatus ad perficiendam vltimam voluntatem, & ad satis faciendum illi, qui eius fidem, bonitatem, solertiamque probauit, videtur quodammodo creditor eius existere iuxta iurisconsulti sententiam in l. si certum petatur ad euitandum non solum æris periculum, verum, & animi detrimentum: nam qui non exequitur, vt decet vltimam testatoris voluntã iuxta normã à testatore, vel à lege vel à Iudice impositam, obnoxius remanet ad reddendum rationem, & de suo luere, quod male fecit.* Cum igitur executores Conciliorum, & Sacrorum Canonum Principes consignantur à Sede Apostolica, & Ecclesia, ad omnia illa tenentur in simili, quæ præstare debent testamentorum executores. Inferunt prædicti Doctores ex hac prima conclusione Principes etiam non rogatos, quacumque via illis constiterit de violatione sacrorum Canonum illam impedire debere, cum sine vlla exceptione, aut limitatione prædictum titulum acceptauerint. Secundò addunt hi Doctores inter

ter Ecclesiam,& illius Pastores ex vna parte, & Princi-pes sęculares ex alia,ratione prędicti tituli protectorij,& executorij initum fuisse contractum,sicut in alijs pactis, & conuentionibus,v.g.circa acceptationem Concilij Tridentini paciscitur Sancta Sedes, & Ecclesia cum Rege Hispaniæ sub hac forma:si acceptaueris Concilium Tridentinum,& singula illius decreta ad reformationem, & regimen pertinentia,constituo te protectorem, & executorem singulorum,quæ in eo continentur,vt te,vel successoribus tuis renitentibus nullum expremissis decretis possit violari,aut temerari. Acceptauit Rex Hispaniæ dictum ministerium,& titulum Protectoris, & executoris Synodi Tridentinæ:& vbi pactum perfectum fuit,potuit, & poterit Rex Hispaniæ impedire transgressionem singulorum, quæ in prædicto Concilio decernuntur, si non præcedat iusta,& legitima abrogatio, aut dispensatio, in quam consultus Rex ipse consentiat. Nam licèt Papa superior sit Principe; tenetur tamen pacta cum eo inita fideliter seruare iuxta doctrinam Suarij 3. de legibus cap.35.

Vt autem explicent substantiam huius contractus, expendunt Gallicanam Ecclesiam cum suo Principe noluisse Concilij Tridentini decreta acceptare,quia Patres eiusdem Synodi excommunicant Reges,ac Principes: & bonis atque dignitatibus eos priuant, si duellum permittant: quia datur in eadem Synodo Episcopis ius mulctandi laicos in nonnullis causis: quia Ecclesiastico iudicio subjiciuntur incantatores,arioli,maledici, libellorum famosorum scriptores:quia eadem Synodus determinat Patronos laicos ab Episcopis esse cogendos ad dorandas, & reficiendas Ecclesiarum ædes, earumque pronentum augendum: quia vltimarum voluntatum executio, & cura visitandi pia loca,& gymnasia,& laicas patrias ipsis Episcopis commendatur; contra quæ omnia,& singula decreta sunt plures leges ciuiles in Gallia. Similiter acceptare noluit aliud Concilij Tridentini caput,quo Pontifici Romano conceditur facultas mutandi ea,quæ in testamentis, & vl-

& vltimis arbitrijs fundationum, ac dotationum continentur; idemque ius traditur alijs Episcopis à Pontifice delegatis; atque in hac re dicit Ecclesia Gallicana, se imitari Iustinum, & Iustinianum Imperatores, l. repetita, C. de Episcopis, & Clericis; & in l. Consulta Diualia, C. de testamentis: & prætendit tum decretum quoddam Concilij Meldensis cap. 40. tum quòd xenodochia ferê omnia à Regibus sunt fundata; aut si ab alijs erecta sunt, dicit ea meliores defensores habere non posse, quàm Principes, & eorum Aduocatos, & Procuratores. Præterea noluit admittere eadem Gallicana Ecclesia, quæ sancita sunt in illis decretis, in quibus dicuntur coniugati Clerici seruientes Ecclesiasticis ad iurisdictionem Episcopi pertinere, & in quibus iubetur Episcopis de adulterijs cognoscere, populi mores corrigere, plebem visitare. Neque præterea aliud decretum acceptauit de locationibus, & conductionibus rerum Ecclesiasticarum. Neque illud de iure Patronatus scripto tantùm probando, vel possessione quinquaginta annorum etiam scripta; quod D. Ludouici legibus, & Senatusconsultis oppositum existimat. Similiter nec mandata, & excommunicationes circa eos libros, quos summus Pontifex improbatæ lectionis esse censuerit. Neque illa, quibus Principibus iubetur, vt scholas instituant, & in illis sacram lectionem erigant, quòd hæc cura sit propria Regum. Ratione horum, & similium decretorum Ecclesia Gallicana admittere noluit reformationes Concilij Tridentini; atque adeò contractum inire noluit cum Sede Apostolica, super illius acceptatione, nec gaudere titulo protectionis, & executionis. Prætendebat plura ex decretis reformationis aut non pertinere ad iurisdictionem Ecclesiasticam, vel saltem inesse Regibus, & prouincijs Gallicanis opiniones probabiles, ex quibus posset sibi persuadere, non obligari ad eam acceptationem. Rex Hispaniæ cedens omni iuri, & probabilitati, quæ in propria cõmoda deseruire posset, acceptauit Conc. Tridentinũ, & singula illius decreta, ea conditione, vt neque ipse in subditis sibi prouincijs illa violari permitteret, nec Pontifex ipso nolente aliter, quàm per iustissimam

mam dispensationem, vel abrogationem, ipso Rege consulto, eadem transgrederetur. Non longe absunt [ab] hac opinandi forma qui docent hanc detentionem Breuium licere Principibus ex concordatis cum Sede Apostolica implicite sub titulo protectionis inclusis, aut ex præscriptione, aut ex vtilitate Ecclesiæ; quorum sensum ait non esse improbabilem Malderus 2.2.q.1.art.10.dub.8. similiter illi Doctores qui existimant Hispaniæ Reges hanc prærogatiuam examinandi litteras Apostolicas obtinuisse à Sancta Sede instar Regij patronatus in remunerationem multiplicis obsequij quo Romanos Pontifices sibi deuinxerunt; neque posse hunc honorem, aut premium remuneratiuum non auditis principibus auferri vel ipsis grauia demerita non habentibus.

Tertiò docent, quod si hæc acceptatio Concilij non est à Principibus peracta ex contractu, aut quasi contractu cum Sede Apostolica; sed solùm ipsis concessum est, vt meri sint Protectores, & executores Sacrorum Canonum: tunc aiunt dicendum esse Principes posse, & debere illorum executionem promouere, & transgresionem impedire. Allegant pro se omnes Theologos, & iuris professores Ecclesiæ Gallicanæ, nam quod scribit Stephanus Aufrerius tract. de potest. sæculari Reg. 2. num. 31. Rex Galliæ pragmaticam sanctionem edidit circa obseruantiam, & executionem Concilij Basileensis, quam exequũtur generaliter omnes, & singuli Regni illius Magistratus. Verba eius sunt: *Fallit etiam in præsenti Regno vbicumque per Prælatos. Clericos vel alios quoscumque aliquid fit, vel attentatur contra decreta Basileensis Concilij, & pragmaticam sanctionem. Fundant se iudices tẽporales dicentes huius habere cognitionem, eo quod dictum Conciliũ exhortatum fuit Regem Carolum huius nominis septimũ, vt decreta ipsius inuiolabiliter obseruari facere dignaretur.* In eo tamen non probant Doctores huius tertij asserti Aufrerij, & Gallorum doctrinam, quod pro Concilio Basileensi non confirmato à Sancta Sede Apostolica sic legerant, & sic doceant; si illud eamdem habuisset confirmationem, atque Tridentinum Concilium integrè præ

dictam

prædictam sententiam approbarent, vt sectantur, & probant, quoad Concilium Tridentinum, & a [illegible] sacros Canones vniuersaliter receptos.

Quartò decernunt prædicti Doctores, Regem Hispaniæ ex vi Concilij Tridentini acceptati, esse protectorem & executorem omnium sacrorum Conciliorum, & Canonum, cum eorum obseruantia, & executio ipsis commendetur, sess. 25. cap. 18. *Sciant vniuersi sacratissimos Canones exactè ab omnibus, & quoad eius fieri potest, indistinctè obseruandos*, id est, vnusquisque pro suo modulo de illorum executione curare debet, Reges, vt protectores, & executores; Episcopi, vt ministri iurisdictionales, docti persuadendo, indocti ministrando, & sic in alijs. Ne quis tamen crederet eludi posse horum decretorum executionem, multiplicem adhibendo relaxationem, aut dispensationem additur: *Quod si vrgens, iustaque ratio, & maior quandoque vtilitas postulauerit, cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis à quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum, aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur.* Ex quibus verbis eliciunt ijdem Doctores, Principes ratione protectionis, & executionis debere curare de ijs, quæ in proximè relatis verbis Concilij Tridentini comprehenduntur. Addunt iuxta sententiam Vazquez dicentis 1.2. disput. 178. cap. 4. similes dispensationes absque causa concessas, esse nullas: & iuxta sententiam Suarez de legibus lib. 6. cap. 18. Valentiæ tom. 2. disp. 7. q. 5. Granados controu. 7. tract. 3. p. 2. disp. 17. sect. 3. arbitrantium prædictas dispensationes esse validas, sed peccare mortaliter dispensantem, licere Principibus, etiam ratione correptionis fraternæ executiuæ impeditiuæ culpæ nó permittere hoc genus dispensationum. Quoniam verò sunt, qui existiment cum Sanctio tom. 3. de matrim. disp. 18. Saias disp. 20. de legibus, sect. 5. non peccare Principem in suis legibus dispensantem absque causa, dicunt prædicti Doctores non id esse intelligendum de Romano Pontifice pro decretis Cóciliaribus, & Canonibus sacris vniuersale regimen spectantibus. Primò, quia prædictæ

leges impositæ sunt, vt sine scandalo, & cum satisfactione prouinciarum gubernet Pontifex Ecclesiam Dei, & nulla detur ansa cogitandi, aut dubitandi, an vt homo cõmuni infirmitate circundatus, singularibus affectibus, aut opinionibus inficiatur: atque adeò est quoddam quasi pactũ Pontificis cum Ecclesiâ, & Principibus de non dispensando sine causa. Deinde quia vix sine scandalo graui præfatæ dispensationes conceduntur.

Tandem iidem Doctores similem sententiã proferunt pro illis priuilegijs, quę Regibus concessa sunt in commune beneficium prouinciarum, præsertim si remuneratiua sunt, aut continentia pactum, vel contractum. Neque admittunt quod scripsit Bonacina disp. 1. de cẽsuris in Bulla Cœnæ, q. 15. vbi ait Carolũ V. iudicialiter citasse Hermannum Archiepiscopum Coloniensem, vt Protectorem Cleri, & Academiæ Coloniensis, iuxta Suriũ anno 1545. quòd Imperator hanc protectionem haberet à Romano Pontifice. Certè quidquid in hac re præstandũ est à Principibus executiuè, ministerialiter, protectoriè, non iurisdictionaliter faciendum est.

Iudicium de superiori doctrina.

Quæ sit ratio propria executionis, & protectionis, non liquidò constat apud authores. Mihi in hac thesi videtur probabilius, primò hanc protectionem, & executionẽ sacrorum Canonum Regibus commissam solùm esse ministerialem, non iurisdictionalem, propter ea, quæ sæpiùs in hoc tractatu dicimus. Secundò ratione illius vt minimũ debere Principes reclamare, & seriò monere suasionibus, & exhortationibus, transgresionem Canonum, & eorum dispensationes, aut abrogationes illegitimas impediẽdo. Tertiò Canones, & decreta maioris momenti ad regimen publicum, & pacem prouinciarum attinentia, v. g. de primis instantijs non auocandis, de non violando iure patronatus, & de alijs grauissimis, maiori cura protegere, & exequi debent Principes, id est, nullo modo consentire vt temerentur, vel dispensationibus relaxentur, sine noua consultatione sanctæ Sedis: neque vnquam credendũ est, fore Romanum Pontificem, qui sciens, & volens, & requisitus

quisitus, atque singulari suo iudicio fidens, audeat grauiores Canones, & maiora decreta Conciliorum circa publica iudicia, & causas temerare. Quartò, etiamsi Pontifices vlla sine causa dispensent, relaxent, aut violent sacros Canones in rebus non pertinentibus ad publica iudicia, & regimina, nec continentibus præiudicium tertij, aut interesse partium, vt v.g. quòd aliquis Sacerdos non recitet officium diuinum, vel quòd celebret ante præscriptas horas in iure canonico, Principes dissimulare, & conniuere oportet; nam protectio, & executio Conciliorum singulariter destinatur ad ea, quæ sunt de interesse prouinciarum aut subditorum, de pace publica, & vitando scandalo, & de maiori vtilitate Ecclesiæ. Expedit enim, vt Romani Pontifices, veluti orbis patres omnibus sint amabiles, & ne praxis iudiciorum, & regiminis odiosa fiat: idcirco voluere ijdem Pontifices ex vi directiua sacrorum Canonũ, & ex vi protectiua, & executiua Principum, obligari ad ipsorum obseruantiam, ne suis affectibus duci, aut informationibus extraneis in iudicando, aut regendo impelli viderentur. Præterea hac via cautum est honori ministrorum Curiæ, ne in similibus causis infamentur, vel de odio, vel de amicit a speciali circa extraneorum negotia. Quintò, quod Victoria, Caietanus, & alij dicunt, si necesse fuerit, armis resistendum esse cuilibet Principi Ecclesiastico sacros Canones, aut decreta Conciliaria violare conanti, pendet maximè ex voluntate Pontificum, si forsan illi ad maiorem satisfactionem fidelium hanc potestatem, aut facultatem Principibus concesserunt. Sunt qui dicunt, ita fuisse concessum: nam aliter titulus protectorum, & executorum in Principibus vacuæ essent voces, & inania nomina. Ego pro illius explicatione nihil inuenio certũ: idcirco Ecclesiæ, & S. Sedis expositionem desidero, præsertim circa eam difficultatẽ, an pactũ contractus, aut quasi contractus ex acceptatione Conciliorũ insit inter Principes Ecclesiasticos, & seculares. Tãdem circa singulares casus ex ijs principijs dependentes maximæ difficultates emergere solẽt. Verissima est Alberti Magni doctrina, docẽtis in 3. dist. 37. valde esse difficile singulares casus cõscientię determinare,

Duæ aliæ viæ opinandi ex potestate Ecclesiastica ad ædificationem solùm collata, & ex obligatione vitandi scandala.

DOctores nonnulli ideo arbitrantur licitam esse defentionem eorum Breuium, in quibus aliquid contra sacros Canones, vel noxium, vel culpabile, vel contra vtilitatem publicam haberetur, quia ad ea nulla insit potestas, aut iurisdictio in Ecclesiasticis Pastoribus: nam iudex inferior solùm ea potest, quæ à supremo Principe committuntur, iuxta illud Pauli 2. Cor. 10. *Nam etsi amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram, non erubescam.* Vnde inferunt, Christum Dominum nullam Ecclesiasticis iudicibus potestatem, aut iurisdictionem reliquisse, quæ ad ædificationem non sit: atque idcirco, vbi aliquid ab illis vel culpabiliter, vel noxiè, vel scandalosè præcipitur, ea mandata procedere à non habentibus iurisdictionem. Allegant Diuum Bonauenturam in opusculo quare Fratres Minores prædicent, & confessiones audiant, dicentem in eo casu, quo noxia, aut inutilia iuberentur: *Talis Pontificis voluntas caret effectu Pastoralis potestatis, quæ solum in ædificationem, & non in destructionem animarum data est ab ipso Principe Pastorum.* Eamdem expositionem admittit S. Thomas opusc. 19. cap. 3. prædictum testimonium Apostoli allegans. Ex hoc principio colligunt, Principes detinentes Breuia Apostolice, si noxia, aut inutilia fuerint, nihil agere contra iurisdictionem habentes, nec supprimere mandata Pastorum, sed particularium hominum, quibus ad eos vsus, vel casus nulla est collata potestas.

Alij Doctores ex obligatione, qua tenentur Reges ad euitandum scandala, etiamsi ab Ecclesiasticis dimanent, hanc praxim detinendi Breuia honestare moliuntur. Non tractant de scandalo passiuo, seu Pharisaico, sed de scandalo

dalo actiuo,& pusill'orum. Certum est plebem Christianã & turbari,& scandalizari,& odio impleri aduersus Ecclesiasticos,si violenter,aut noxiè, aut scandalosè, aut cum specie mali præcipiant,aut iudicent; etiam non subsistente causa laici aduersus Sacerdotes efferuntur, vt refertur 11.q.2 *Cum hoc in more situm sit,vt profanus oderit Sacerdotem.* Ex præcepto igitur scandali vitandi existimãt prædicti Doctores, non solùm posse, sed etiam debere Principes eas litteras Ecclesiasticorum impedire, quæ vel culpam,vel transgresionem sacrorum Canonum,vel speciem mali, vel scandalum habeant. Quinta Synodus cum Iustiniano Imperatore Vigilium Papam ideo coegit,vt consulto Concilio dubia quædam determinaret: nam ex mandatis sine prædicto Concilio dimanantibus scandalum Patribus,& Imperatori obueniebat. Similiter Ferdinandus Rex Catholicus, cùm videret ex varietate, & contrarietate iudiciorum in tribunalibus Ecclesiasticis, dimanante ex diuersitate opinionum, scandalum generari, anno 1499. L.6.tit.4.lib.1.cap.37. iniunxit,vt pro ciuilibus negotiis Bartholi, & Baldi opiniones; & pro Canonicis, & Ecclesiasticis, Ioannis Andreæ,& Panormitani sententiæ præferrentur.

Resolutio, & conclusio hactenus dictorum.

HEc omnia,quæ examinatiuè,&recitatiuè solùm proluximus, referendo prædictos modos, aut vias opinandi, magnum quæstionum seminarium exhibent, in quibus satis difficilis est resolutio. Propterea nõ est meus animus subscribere,nisi ijs quæ proximè subijciam.

Primò statuo pro nostro casu nullam ex prædictis doctrinis esse necessariam: nam cùm præcisè disputemus de illis Breuibus, quæ ad Inquisitionem Hispaniæ destinantur, & illa habeat iurisdictionem Episcopalem, & quasi Patriarchalem, absque dubio id potest in causis ad illam pertinentibus, quod Episcopis à Sede Apostolica datum est; sed Episcopi possunt examinare, & detinere Breuia

Apostolicæ, ex commissione sanctæ Sedis, si noxia sint, aut subreptitia, vt probant Azor parr. 1. lib. 5. c. 14. Bonacina de legibus disp. 10. q. 2. punct. 1. & cōmuniter Doctores multis adductis iuribus, iuxta cap. Nobilissimus, dist. 97. ergo idem omnino præstare potest suprema Inquisitio Hisp[illegible] causis subsistentibus, tum ipsa Episcopalem, imò Patriarchalem, aut quasi Patriarchalem iurisdi ctio[illegible] ac[illegible]eperit à sancta Sede.

Secundò iudico, pro causis ad Inquisitionem Hispanam pertinentibus, Apostolicam Sedem Catholicis Regibus concessisse, vt sine illorum scientia, voluntate, & consensu nihil innouetur, nec acceptetur, vt constat ex literis Alexandri VI. anno 1498. & ex alijs Iulij III. anno 1551. & pluribus alijs superiùs relatis.

Tertiò, videtur certum correptionem fraternam executiuam impeditiuam culpæ indifferenter habere locum ab Ecclesiasticis in laicos, & à laicis in Ecclesiasticos, quando iubetur aliquid, quod absque vlla opinione, & dubio sine culpa non potest executioni mandari: nam tunc si non grauiora damna sequantur, debet quicumque potest, executionem criminis impedire. Cætera quæ desiderari possent, à nobis superiùs dicta sunt, dum aliorum de hac thesi opiniones aut limitauimus, aut emendauimus.

Postrema via opinandi sumpta ex auxilio debito violenter oppressis.

PLura ex ijs, quæ in superioribus producta sunt, eo solùm spectant, vt delinquentes iudices Ecclesiastici à patrandis criminibus impediantur. Hæc postrema via tunc singulariter admittit Apostolicarum literarum examen, & detentionem, cùm ex illis subreptitiè obtentis, violentiam sustinerent innocentes, si eædem litteræ executioni mandarentur. Idcirco huius opinionis assertores non pro opprimentibus, & peccantibus, sed pro illis, qui sine proprio delicto opprimuntur iniquè, disputa[illegible]t.

Est

Erigitur eorum ſenſus, vt ſi ex Breuium exequutione violentia aliqua emergat, tunc illa examinari queant, & detineri à Principe non exercente iuriſdictionem; ſed oppreſsis opitulante, ex præſcripto iuris naturalis, & diuini: ſi frater à leone, aut vrſo dilaniari incipiat, debet qui poteſt abſque periculo eum liberare; ſimiliter ſi à quocumque homine opprimatur in fortunis, honore, aut vita, idem auxilium ſub eiſdem circumſtantijs præſtandum eſt.

Hæc controuerſia licèt odioſa videatur, ſine vllius potentatus iniuria, aut querela examinari poterit, maximè quia recitatiuè, & ſub hypotheſi, atque vllo abſque præiudicio cuncta proponentur; cùm ſingulæ deciſiones innitantur vniuerſaliſsimo illi principio dictanti, vim vi repellere licere, plura poſſunt peccari in eius applicatione, ſi non debitæ limitationes, & ſub certis circunſtantijs adhibeantur. Noxius abuſus erit, ſi hæc vniuerſalis veritas vniuerſaliter denegetur, ita vt in nullo caſu violentia aliqua Eccleſiaſticæ poteſtatis impedienda ſit, etiamſi periculum immineat ex mora, ſi Princeps ſecularis illam extraiudicialiter non repellat. Similiter erit abuſus, ſi à Magiſtratibus ſecularibus ſub conſueta praxi reprimantur omnes, & ſingulæ Eccleſiaſticorum violentiæ, quantumuis ſint minimæ, & de minimis materijs, aut quantumuis maximæ, ſi æquè bene, breuiter, & feliciter per conductus Eccleſiaſticorum Antiſtitum emendantur, & reprimuntur. Eſt modus in rebus. Nihil timendum magis in diſputationibus moralibus, & politicis, quam confuſa quædam, & tumultuaria, & vniuerſalis ſine diſcrimine applicatio generalium principiorum. Propterea illa ſolùm a nobis timidè, & cunctanter proponenda ſunt, quæ lucem aliquam afferre poſsint, ad cognoſcendum quo moderamine, & cautela diuerſarum, & aduerſarum opinionum autores, & fautores circa præſentem controuerſiam in ſingularibus caſibus debeant decernere, & ad quas circunſtantias, & limitationes attendere neceſſe ſit. Tādem

iuxta

iuxta hæc facile erit expedire, an aliquando hæc via opinandi de retentione Breuium in causis violentiæ locum habeat, & quis ille sit, aut sub quibus conditionibus. Præmittamus aliorum placita, vt tandem nostram senté[illegible]m exponamus.

Proponitur status controuersiæ, & opinio plurium Doctorum, circa repellendas violentias.

§. 1.

PRimò certum est, ius Canonicum nullam iurisdictionem tribuere magistratibus secularibus contra iudices Ecclesiasticos opprimentes violéter partem aliquam ex litigantibus: neque alicuius momenti sunt ea quæ producuntur à nonnullis Doctoribus, ex C. filijs, & nepotibus C. Principes, C. Regum, C. administratores, C. Christianis, C. Petimus, C. Quidam Monachi, C. Boni Principes, C. Maximianus, & alijs similibus. Tum quia prædicta capita nulla iurisdictione spirituali muniunt seculares magistratus in causis violentiæ; tum quia licèt eam concessissent, per sess. 9. Concilij Lateranensis, & 25. Concilij Tridentini, & Bullam in Cœna Domini reuocata esse. Similiter certum est, nullum inesse priuilegium secularibus Principibus à Sede Apostolica, ad reprimendum violentias Iudicum Ecclesiasticorum, etiamsi illud affirment Bañez 2.2.q.67.art.1.dub.3.concl.6. Henriquez lib. 2. & 3. de Claue Pontificis. Tum quia illud authenticè scriptum non exhibetur: tum quia licèt exhiberetur, iam reuocatum est à Concilijs Lateranensi, & Tridentino, & Bulla in Cœna Domini. Tandem neque ex consuetudine, & praxi immemoriali potest iustificari recursus à iudicibus Ecclesiasticis ad Laicos magistratus, vt optimè probat Suarius lib. 4. contra Regem Angliæ, in postremis capitibus.

Sixtus V. & Clemens VIII. zelo iurisdictionis Ecclesiasticæ tuendæ, singulariter impedire curarunt recursus à iudi

à iudicibus Ecclesiasticis ad laicas potestates in causis violētiæ. Azor 1.p.instit.moral.c.13.& 14.ait ab anno 1586 & non ante cœpisse collocari in Bulla Cœnæ Dñi clausulam contra recurrentes ad laicas potestates in casu violentiæ, sub hac forma quæ nunc habetur. Ante horū Pontificatum duæ fuere classes autorum, qui similes recursus approbarunt. Ecclesiæ Gallicanæ Doctores, qui innitentes Concilio Basileensi, & Constantiensi, existimabant generale Concilium esse supra Papā: pro eo tempore, in quo prædictum Concilium non celebraretur, dicebant si fortè violētiam inferret summus Princeps Ecclesiæ, aut quiuis alius Antistes, licitum fore oppresionem manu secularium Principum repellere: at Doctores alij, qui seditiosam, & scandalosam opinionem de autoritate Concilij supra Papam repudiarunt, adstruentes certissimam doctrinam de autoritate Papæ supra Conciliū, & tractantes qua ratione prouidendum esset violentijs Ecclesiasticorum iudicū, statuerunt vim vi esse repellendā per seculares Principes. Qui post Sixtum V. & Clem. VIII. dicunt in causis violētiæ illatæ à iudicibus Eccl. licere recurrere ad magistrat⁹ seculares, expendunt Bullā in Cœna Dñi solùm loqui aduersus eos, qui ita se gerunt, prætextu violentiæ tollēdæ, vel iniuriæ depellendæ; id est, cùm violentia est prætextualis, & fucata, vel affectata: nā si vera sit, & realis violentia, aut iniuria, non credunt de illa Pontifices loqui. Primò, quia Alfonsus Viualdus in candelabro aureo prædictā distinctionem adhibuit, & plures illam amplexi fuere; nec tamen ideò aliquid in Bulla Cœnæ immutatū est. Secundò, quia cū doctrina de violentijs repellendis, etiam à iudice Ecclesiastico illatis, sit iuris naturalis, iuxta pluriū, & grauissimorum Doctorum interpretationē, incredibile est, vt sine Ecclesiarum consultatione illā Apostolica Sedes condemnaret. Probant hāc partem propositis innumeris testimonijs, quorum nō pauca ordine temporū digeremus.

Ab anno 1594. vsque ad ann. 1500. retrocedendo, sequentes autores docuerunt, licitum esse in causis violētiæ ab Ecclesiastico iudice, aut Principe, ad Reges, non vt iudices, sed veluti ad potentiores fratres iniuriā repulsuros conuolare.

 Anno

Anno 1590. Stephanus de Auila Iesuita, in tract. de censuris, 2.p.c.7.disp.2.dub.5. cùm eo tempore nec dum esset cognitus sanctissimorum DD. Sixti V. & Clementis VIII. zelus contra magistros huius doctrinæ. Plures è Societate Iesu illam in Stephano de Auila approbarunt, qui initio prædicti voluminis affiguntur.

Anno 1588. Gregorius de Valentia Iesuita eandem sententiam tenuit, lib. 8. analysis fidei, c. 7. vbi ait se Turrecrematam in ea parte sectari.

Anno 1584. Cardinalis Bellarmin. Iesuita, lib. 2. de Conciliorum autoritate, cap. 19. docet resistendum vi, & armis, sine autoritate iudiciali, siquando Pontifex grauia, & iniusta damna induxerit, & allegat pro se Turrecrematam lib. 2. summ. cap. 106. Idem lib. 4. de Rom. Pontifice, cap. 19. ait, nomine Imperatoris Marciani plures iudices seculares interfuisse Chalcedonensi Concilio, vt siquæ violentiæ Episcoporum occurrerent, ipsi eas compescerent.

Anno 1580. Cardinalis Toletus Iesuita, in cap. 6. Lucæ, annot. 41. ex Amb. 1. offic. cap. 36. probat esse in linea iuris naturalis violenter oppressos liberare, atque id sine vlla iurisdictione exerceri; & quamquam non exprimat Ecclesiasticos iudices, omnes sub ea doctrina comprehendit. Ideò lib. 1. summ. cap. 26. nulla commentatione adhibita, solùm refert excommunicationem Bullæ in Cœna, contra prætexentes friuolam quandam appellationem: quasi Pontifex solùm de friuola, & apparente, & prætextuali violentia sermonem habeat, non de legitima, & reali, & subsistente oppresione iniqua.

Anno 1578. Franciscus Turrianus Iesuita, tribus in libris de autoritate Pontificis, & Concilij, doctrinam Valentiæ, & Bellarminij relatam nuper, sæpius ingeminat, vt probet non esse necessariam illam doctrinam seditiosam de Concilio generali supra Papam, cùm oppresiones, & violentiæ, siquando à Pontificibus emanauerint, armis secularium Principum retundantur.

Anno 1576. Antonius Corduba Minorita, lib. 4. de potestate Papæ, q. 7. remittens se ad quæst. 10. disp. 3. in-

numero s

numeros pro se Doctores producens, ait, non solùm esse licitum, verumetiam necessarium, Regum, & secularium Magistratuum auxilium, contra oppressiones Ecclesiasticorum iudicum.

Anno 1570. eandem sententiam tenuit Nauarrus, in cap. Nouit. de iudicijs, & in cap. cum contingat, de rescriptis.

Anno 1564. Didacus Couarruuias, in practicis quæstionibus cap. 25. eundem sensum expressit.

Anno 1555. Thomas Campegius Episcopus dicat librum de potestate Rom. Pontificis Paulo IV. & in c. 25. expressè ait, licitam esse resistentiam Principum secularium aduersus violentias Pontificum.

Anno 1554. Driedo Theologus Doctor secularis libro 2. de libertate Christiana, cap. 2.

Anno 1548. Dominicus Soto Ordinis Prædicatorũ, lib. de tegendo secreto, q. 5.

Anno 1545. Bartholom. Fumus, eiusdem Ordinis, in summ. aurea armilla verbo Papa, prædictis nuper autoribus subscribunt.

Anno 1540. Franciscus Victoria, eiusdem instituti, relect. de potestate Papæ, & Concilij, licèt nolit decidere quæstionem de autoritate Põtificis supra Concilium, ait in propositione 22. magna cum asseueratione resistendum vi, & armis Pontifici aut violentiam inferenti, aut sine causa in iure Canonico dispensanti, præsertim si id frequenter accidat.

Anno 1530. Ioannes Cochleus in libro de Concilijs. Cardinalis Iacobatius lib. 10. de Concilijs, art. 7. Ioannes Faber libro de potestate Romani Pontificis, contra Lutherum, Alberrus Pighius lib. 6. Hierarchiæ Ecclesiasticæ, Ioannes EKius in Enchiridio vel vt respondeant quid faciendum sit, si Concilium non est supra Papam, cùm violenter opprimit, vel tyrãnicè imperat, vel sacros conciliares Canones violat, vel cùm disputant quid in ijs casibus præstandum sit, recursus ad Reges, & seculares Principes commendant, vt ab eis similes repellantur violentiæ extraiudicialiter.

Anno 1520. Ioannes Maior, Doctor Parisiensis, in c. 18. Math. & in tractatu an Papa sit subditus Concilio vniuersali, subscripsit Doctoribus hactenus allegatis, quā-quam excedit in sectando opinionem illam seditiosam de autoritate Concilij supra Papam.

Anno 1518. Franciscus Ferrariensis, Generalis Ordinis Prædicatorum, 4. contra gentes, c. 72. in fine superiorem doctrinam approbauit.

Anno 1516. Iacobus Almainus, Doctor Parisiensis, tract. de autorit. Papæ, contra Caietanum similiter sensit: verùm reprehendendus in eo, quòd dicat generale Concilium superius esse Papa.

Anno 1510. Cardinalis Caiet. opusc. de autoritate Concilij, c. 27. reprehendit Principes non impedientes vi, & armis, ne Pontifices aut violentiam inferant, aut scandala patrent, aut sacros Canones transgrediantur.

Ab anno 1500. vsque ad 1400. referendi Doctores eumdem tenuere sensum.

Anno 1494. Syluester, Generalis Ordinis Prædicatorij, in summa, verbo Papa.

Anno 1476. Cyprianus Venetus Theolog. Hispanus Ordinis S. Dominici, in tractat. de prima orbis Sede, de Concilio, de potestate Ecclesiastica, de Pontificis maxima potestate, eandē doctrinam sæpe repetit, & approbat.

Anno 1464. Dionysius Carthusianus, in libris sex de Conciliorum autoritate sæpè huic principio subscribit.

Anno 1460. Cardinalis Nicolaus de Cusa, ex instituto Prædicatorum, in concord. canonica, & in libris de docta ignorantia, licèt doceat opinionem illā, quæ Concilium supra Papam statuit, quā postea retractauit in epist. ad Rodericum, sentit tamen in casu violentiæ, aut transgressionis sacrorū Canonum, Principes auxiliari debere, etiam vi, & armis, ne similia scandala fiant.

Anno 1458. Ioannes Turrecremata Cardinalis, Ordinis Prædicatorij, lib. 2. summæ de Ecclesia, c. 102. 106. eandem sententiam tenet, vtens exemplo mariti, qui violenter resistere possèt adulterari volenti cum sua coniuge Romano Pontifici.

Anno 1456. Æneas Sylvius, postea Rom. Pontifex, cùm in minoribus esset, scripsit opera nonnulla in fauorem Concilij Basileensis, Papam inferiorem esse generali Concilio: & licèt postea hanc doctrinam retractauerit, non tamen illam, quam docuerat de repellendis violentijs Pontificum auxilio secularium Principum.

Anno 1450. S. Antoninus tit. 22. c. 4. suæ summæ superiorem doctrinam expressè approbat.

Anno 1442. Cardinalis Panormitanus, Benedictinus eidem menti subscriptis accedit in determinando Concilium generale esse supra Papam.

Anno 1441. Abulensis, in 18. Math. q. 108. & sæpe in defensorio similiter opinatur: docet tamen, & sequitur intolerandam illam opinionem de potestate Concilij supra Papam.

Anno 1440. B. Ioannes Capistranus Minorita, in duobus opusculis, de potestate Papæ, & Concilij, & de autoritate Concilij, siue Ecclesiæ, præfatam opinionem tenet.

Anno 1434. Augustinus de Roma, Augustinianus, in libro de potestate Papæ sæpe idem repetit; quod tamen opus non est prohibitum, sicut alia ipsius monumenta, donec expurgentur, v.g. de sacramento diuinitatis Christi, & Ecclesiæ, de Christo capite, & eius inclyto principatu, & de charitate Christi circa eius electos.

Anno 1430. Thomas Vvaldensis, Carmelita, tom. 1. doctrinalis fidei, lib. 2. art. 3. cap. 80. eandem opinionem sectatur, dicens Principibus vt extraordinarijs patribus, & potentissimis fratribus licere præfatas violentias impedire. Hoc opus Romæ examinatum à pluribus, simul & approbatum autoritate Martini V. vt constat ex literis Apostolicis initio tomi secundi præfixis. Displicet tamen in eo, quòd sententiam Sancti Augustini existimet esse, Concilium generale autoritatem habere supra *Papam*.

Anno 1427. Ioannes Gerson in varijs tractatibus, præsertim circa autoritatem Concilij, & *Papæ*, superiori sententiæ subscripsit; asserit tamen Concilium generale esse supra Papam.

Anno 1420. Cardinalis Aliacensis, in libro de autoritate Papæ, & Ecclesiæ in omnibus assentitur Gersoni, non solùm circa violentias Ecclesiasticorum Iudicum à Regibus coercendas, verumetiam in seditiosa illa sententia de autoritate Concilij generalis supra Papam.

Anno 1414. Cardinalis Zarabella, libro de schismate similiter sensit; verùm languet illius autoritas, propter alia plura in eo opere expurganda. Possent innumeri alij produci ex ijs duobus seculis, vt Petrus de Monte, libro de potestate Papæ, & Concilij: Antonius Delphinus lib. de Ecclesia: Nicolaus Sanderus lib. 7. de visibili Monarchia, & plures commentatores Magistri in 4. dist. 19. sed nonnullos allegasse sufficiat.

Ab anno 1400 vsque ad annum 1300. regrediendo, sequentes autores prædictam sententiam tenuere.

Anno 1330. Petrus Paludanus Dominicanus, in tractatu de causa immediata Ecclesiasticæ potestatis.

Anno 1324. Aluarus Pelagius, & Guilielmus OKam Franciscani, in tractatibus de potestate Pontificis, & Ecclesiæ in eandem mentem circa hanc thesim sæpè conuenerunt; quanquam Aluarus efficacissimè OKamum impugnet in causa Ioannis XXII. & certè in ijs rebus OKā debilis est autoritatis.

Anno 1318. Herueus, Generalis Ordinis Prædicatorum, in libris de potestate Papæ, & de vtraque potestate, papali, & regali, præmissam opinionem tenuit.

Anno 1315. Durandus libro de origine iurisdictionum præfato principio, & opiuioni de repellendis violentijs Ecclesiasticorum iudicum adhæret.

Anno 1304. Augustinus Triumphus de Ancona, Augustinianus, in summa de potestate Ecclesiæ relatis Doctoribus subscribit.

Ab anno 1300. vsque ad 1200. regredientes, pro eadem opinione sequentes Doctores producimus.

Anno 1296. Ioannes Parisiensis, in libro de potestate regali, & papali, cùm arderent contentiones inter Bonifacium VIII. & Philippum Regem Galliarum, plurima scripsit in fauorem prædictæ sententiæ. Eius testimonium

nium debile est, quòd plus æquo regios conatus promouerit.

Anno 1290. Ricardus de Mediauilla Franciscanus Thomista, quodlib. 2. q.28. etiam pro Religiosis exprimit, licitos esse recursus ad seculares principes ad repellendas violentias Ecclesiasticorum iudicum.

Anno 1286. Henricus de Gandauo, eminentissimus Theologus, quodlib. 10. q. 17. ex professo disputat hanc thesin, & recursus ad Reges approbat, pro repellendis violentijs Ecclesiasticorum.

Anno 1260. S. Bonauentura præfatam opinionem sæpe laudat, & probat: in opusculo Quare Fratres Minores prædicent, & confessiones audiant, eas clausulas producit, quas in hoc tractatu alium in finem allegauimus.

Anno 1255. S. Thomas opusculo 19 sæpe præmissam opinionem laudat: cap. 5. ait; *Licet perfectis viris libertatem sui status defendere, præcipuè in iudicio Ecclesiastico.* Illud præcipuè declarat, id interdum licere apud Magistratus seculares, quemadmodum ex Actor. 23. probat, vbi S. Paulus contra violentias Sacerdotum, & Pharisæorum muniuit se vmbra Cæsaris, & postulauit auxilium hominum armatorum. Vrgentius est, quod paulopòst addit ex Gregorio Magno; ***Ex quo patet, quòd perfecti viri debent se vltrò ingerere ad aliorum iniurias repellendas, etiam non prouocati.*** Itaque iuxta D. Thomam, etiamsi non postuletur auxilium aduersus violentias, impendendum est à Regibus: persuadet hanc doctrinam ex libris Psalmorum, & Prouerbiorum, & alijs argumentis. Idem S. Doctor 22. q. 69. art. 4. hæc ait; *Condemnatur quis iniustè, & tale iudicium simile est violentiæ latronum, secundùm illud Ezechielis; Principes eius in medio illius quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem: & ideò sicut licet resistere latronibus, ita licet resistere in tali casu malis Principibus.* Ezechiel loquitur de Sacerdotibus, & Prophetis Ierusalem; non enim spiritualia officia Ecclesiasticos eximunt à dictamine iuris naturalis, quo vim vi repellere licet. Idem omnino scribit S. Doctor in 2. ad Galat. lect. 3. satis expressè.

Omit

Omittimus intermedia secula, per quę regredi possemus, quòd Imperatorum, & Doctorum decreta, & volumina, quæ in hanc partem afferri possent, plurimis machinis aleuientur: nonnihil infra allegandum. Nunc solùm expendamus quid senserint Ecclesiæ Patres.

Anno 630. Sanctus Isidorus Hispalensis, relatus ab Henrico Gandauensi, loco proximè allegato, opinionem de recursu ad Reges in casibus violentiæ stabiliuit.

Anno 527. Aurelius Casiodorus lib. 8. cap. 24. refert, Athalaricum Regem, quanuis Arrianum, eam scripsisse epistolam, quæ habetur in Baronio, tomo 7. Annal. anno supra notato. Hic Rex summè coluit sanctam Sedem, licèt ea labe Arrij infectus, & sic pro hac thesi loquitur. *Considerantes Apostolicæ Sedis honorem, & consulentes desiderijs supplicantium, præsenti autoritate moderato ordine definimus, vt si quispiam ad Romanum Clerum aliquem pertinentem in aliqua causa probabili crediderit actione pulsandum, ad Beatissimi Papæ iudicium prius conueniat audiendus, aut vt ipse inter vtrosque more sua Sanctitatis agnoscat; aut causam deleget æquitatis studio terminandam: & si fortè, quod credi nefas est, desiderium fuerit petitoris elusum, tunc ad secularia fora iurgaturus accurrat, quando suas petitiones probauerit à supradictæ Sedis Præsule fuisse contemptas.* Hoc testimonium infirmum est, si autoritatem dicentis consideres; at non leue, si pondus rationis, & de extraiudicialibus sit sermo.

Anno 553. celebratur Quinta Synodus, in cuius collatione 2. pag. 51. editionis Coloniensis, anni 1618. voluit vt Vigilius Papa circa trium librorum doctrinam simul cum ipsa ferret sententiam, non verò solitario suo iudicio ductus; cúque illa Concilij monitis non acquiesceret, eadem Synodus ijs verbis per internuncios eum est alloquuta. *Si non vultis secundùm ea quæ in scriptis nobis placuerunt conuenire, cognoscat vestra Beatitudo quòd oportet & nos in vnum conuenientes nostram manifestare voluntatem: neque enim iustum est, vel tam Christianissimum Imperatorem, vel fidelem populum scandalizari ex dilatione, quæ in medio circa responsionem efficitur.*

tur. Et paulopòst sic ait. *Postulauimus à Pontifice, vt conueniret vnà nobiscum omnibus, & tractaret de tribus capitulis, vt per communem consensum omnium finem acciperet causa trium capitulorum. Nos uerò ad Vigilium Papam diximus, quòd solus quidem sæpius in scriptis, & sine scriptis condemnasti tria ista capitula: pijssimus autem dominus Imperator in communi vult te unà cum alijs conuenire, & sic iudicium fieri.* Iudicauit hæc generalis Synodus vnà cum Imperatore, violenter, & scandalosè processurum Vigilium, si ipsa inconsulta, & Imperatore non audito quidquam decerneret; vel si ad ipsorum supplicationes, & postulata nollet attendere: & hanc mentem, sensumque Pontifici insinuauerunt.

Anno 451. celebratur Concilium Chalcedonense, in quo plures facti sunt recursus ad Imperatorem, & Magistratus seculares ibidem assistentes pro repellendis violentijs. Actione 1. pag. 2. edit. Colon anni 1618. Dorileus sanctissimus Episcopus supplicem libellum offert Martiano Imperatori pro repellẽdis violentijs Patriarchæ Alexandrini, in quo hæc sunt verba, *Intentio, & propositũ est clementiæ vestræ uniuersis quidem sibi subditis prouidere, & manum porrigere omnibus iniustè oppressis, præcipuè tamen fungentibus Sacerdotio, in hoc diuinitati placẽtes, à qua uobis imperare, & dominari sub hoc sole donatum est. Quoniam & multa, & dira, & contra omnem consequentiam fidei, quæ in Christum est, & nos sumus perpessi à Reuerendiss. Dioscoro Episcopo Alexandriæ, adimus uestram pietatem supplicantes iustitiam promereri.* Potuit quidem à Leone Magno Pont. auxiliũ poscere; potuit à Concilio; verùm quia hic recursus non erat iudicialis, sed ad repellẽdam violentiam, arbitratus est licuisse adire Imperatorẽ: neque id Synodus improbauit. Iungit simul violẽtias sibi & fidei à Dioscoro illatas, illis verbis. *Quoniam igitur nõ modica sunt quæ ab ipso usurpata sunt aduersus Christi fidem, & aduersus nos.* In Concilio aderant septendecim iudices Imperiales pro repellendis violentijs, & innumeri Episcopi: postulat Dorileus, vt ad ipsos supplex libellus ab Imperatorib. remittatur, & post determinatio-

nem ipsi informentur Imperatores quid factum sit. Vbi primùm iudicibus secularibus missis est hic supplex libellus, vt refertur in dicto loco; *Gloriosissimi iudices, & amplissimus Senatus dixerunt, soluantur quæ ingeruntur.* Expendendum est pro repellendis violentijs, & pace cōseruanda in omnibus actionibus interfuisse synodo septendecim illos Senatores, seu iudices Imperatorios, vt patet ex pag. 34 & 153. actionis secundæ, & ex principio quartæ, quintæ, septimæ. Ij cogebant Episcopos, ne quidquam contra sacros Canones determinarent, quemadmodum ijs verbis dicitur pag. 245. actione 5. *Gloriosissimi iudices dixerunt, sacratissimo Domino orbis placuit, non iuxta sacras literas, id est Imperiales, aut pragmaticos typos res sanctissimorum Episcoporum procedere, sed iuxta regulas à sanctis Patribus latas.*

Sunt alia similia exemplaria in prædicto Concilio, actione 11. pag. 298. Basianus Episcopus Ephesinus, per vim ab alijs se Episcopis sua Sede expulsum cōqueritur, & supplicem libellum ijs verbis offert Imperatoribus. *Omnis salus violentiam patientium post Deum vestra tranquillitas est, præcipuè autem Sacerdotum Christi, qua propter & ego ad has preces veni prouolutus vestigijs vestris, vt in ijs mei misereamini. Hoc insuper sancire uestrā diuinitatem exoro, ut nulli liceat uexationem aliquam mihi inferre, donec ad finem perueniant ea, quæ inter me, & aduersarios meos aguntur.* Iusserunt Imperatores, vt sine mora à iudicibus secularibus, & Concilio contenta in hoc supplici libello determinarentur.

Actione 13. pag. 308. Episcopus Nicomediæ Aluim supplicem libellum Imperatoribus obtulit, aduersus violentias Archiepiscopi Niceni. *Prosternimus nos Maiestatis vestræ vestigijs, vt iubeatis arceri iniustitiam, quæ aduersum nos est præsumpta à Reuerendissimo Episcopo Niceno Anastasio, per cupiditatem opprimere nos & conturbare cœpit.* Examinatus est à Senatoribus Imperatoris, & Concilio articulus violentiæ.

Actione 14. pag. 312. Sabinianus violenter ab Episcopatu priuatum queritur ab Alexandrino Patriarcha, postu-

postulat à Imperatoribus auxilium contra violentiam: misso decreto cum supplici libello ad Concilium, & Imperiales iudices causa terminatur.

Ex ijs, & alijs testimonijs decernunt plures, quid sentiendum sit de illa doctrina Azorij supra cap. 14. quæst. 6. ijs verbis contenta; *Quid si ipse quoque Romanus Pontifex canones, legesque, & iura negligat, innocentes opprimat, vim inferat, res Ecclesiæ dissipet, Regum, & Principum iura peruertat. Respondeo superiorem esse qualibet humana potestate, & lege; licèt non diuina, & naturali, & quolibet canone, siue iure Ecclesiastico scripto: quare si legi ciuili, si canoni deroget, vel iuri scripto, Regi, vel Principi iniuriam non facit, vim non infert; & ideò quamuis peccet, id si absque iusta causa faciat, iudicari, aut condemnari à Rege, vel Principe non potest; sed monendus, & orandus est, ne id faciat.* Ex ijs verbis inferunt nonnulli plura contra ipsum Azor. Primum, cùm sit iuris naturalis, & diuini vt vim vi repellamus, posse violentias Principum Ecclesiasticorum manu Regia depelli. Secundò quod ait non posse Pontificem iudicari, & condemnari ob similes violentias, certum est de iudicio, & condemnatione iurisdictionali; at non inde fit non posse resisti ex iure naturali, & impediri executionem mandatorum, quibus violentia, & manifesta iniquitas fuerit adnexa: tum per supradictum principium, tum per fraternam correptionem executiuã. Tertiò, cùm Pontifex peccat est frater: ergo si executio peccati impediri non posset, miserior multò esset cæteris hominibus, quibus ex charitate, & misericordia est debita fraterna correctio impeditiua culpæ, si ex impedimento non maiora scandala consequantur. Quartò, cùm in eodem libro 5. Pater Azor dicat, Pontificem teneri seruare sacras leges, & Canones quoad vim directiuam; & peccare in transgresione, consequenter asserere debet, impediri posse ab executione peccati, non subsecuto maiori scandalo; nam ad id obligat fraterna correptio; de qua Ecclesiasticis c 17. vt alibi referimus ex alijs. Quintò dicunt constare non esse admittenda verba illa Azor, ibidem; *Cùm iudex publica autoritate agit, si vexet, oppri-*

O 2 *mat,*

mat, & condemnet innocentem, peccat quidem. Et paulò post: *Quod si supremus iudex damnet innocentem. Respondeo innocentis esse pœnam patienti, & æquo animo sustinere, non iudici manus, vim, & arma inferre.* Nam cùm sit contra ius naturale debitam appellationem denegare, non aliter illi resisti potest, ac si videret sponsus ab Ecclesiastico Antistite propriam vxorem per vim adulterium pati. Et certè supra S. Thomas in casu violentiæ ait iudices non fungi officio iudicum, sed esse similes latronibus. Sextò dicunt, homini oppresso duas esse rationes violentiam repellendi; vnam via iuridica, atque in ea seruandos esse gradus appellationum, & recursuum in iure præscriptos; alteram via naturali extraiudiciali, atque in ea posse extraiurisdictionaliter violentiam patientes ad Reges confugere. Septimò addunt prædicti Doctores, quemadmodum iudices violentiam inferêtes extraiudicialiter procedunt, quamquam sit apparentia iudicialis; sic Reges & Magistratus licèt pro repellenda violentia acta iudicialia aduocent, & alia quædam similia præstent habentia colorem iuridicum, omnia tamen ab illis extraiudicialiter fieri: nam certè si violentia infertur, processus non est iudicialis, nec minæ, aut pœnæ ad coercendum sunt iudiciales; sed quædam defensiones factæ extraiudicialiter, sumpta notitia ab instrumentis ad speciem iudicialibus. Tandem addunt doctrinam de repellendis violentijs Ecclesiasticorum manu Regia, intelligêdam esse cum debitis conditionibus, vt scilicet non maiora damna, & scandala consequantur ex propria defensione. Ideò quia semper ex occisione Principis tyrannicè gubernantis grauiora scandala, & damna emergunt, meritò definitum est à Cõcilio Constantiensi illicitum esse necem illius intentare.

Ex hactenus dictis superiores Doctores aiunt, nõ posse negari doctrinã de recursu ad Principes seculares in causis violentiæ ab Ecclesiasticis iudicibus illatæ: quam certissimam esse fatetur Gabriel Vazquez in tractatu manuscripto de hac thesi; & Franciscus Suarius lib. 4. contra Regem Angliæ, c. 34. licèt addat, rarissimos esse casus, in quibus iste recursus fieri queat, illæsa iurisdictione, & immuni

muni

munitate Ecclesiastica: qui vt in sua opinione persistant, dicunt primò, contra Suarium, non esse mandatum iudiciale, quod à Magistratibus secularibus emanat, cùm iubent adduci ad se acta, & processus iudicis Ecclesiastici, neque examen ipsorum esse iudiciale, si fiat titulo extraiudiciali subueniendi extraiudicialiter oppressis, aut impediendi correptione fraterna executiua ipsos oppressores, aut alio simili motiuo extraiurisdictionali. Probant hoc assertum ad hominem ex ipso Suario suprà, num. 14. & 15. Nam & ipse ait, ministros laicos comprehendentes Sacerdotem in fraganti delicto, aut paratum ad illud patrandum, vel spoliantes illum armis, non procedere vt iudices, sed vt defensores iuris naturalis, vel impedientes culpam ex charitate: quod idem scribit Bonacina, tomo de legibus, disp. 10. q. 2. puncto 2. §. 1. num. 21. allegans pro se Menochium, Iulium Clarum, Duardum, Grafiis, Farinacium, Decianum, Ambrosium, Reginaldum dicentes id extraiudicialiter licere: ergo similiter, etsi Magistratus seculares aduocent ad se acta iudicis Ecclesiastici, illaque examinent, & illis inesse violentiam decernāt, per cōsuetos officiales possunt procedere, non vt iudices, sed vt tutores fratrum oppressionem sustinentium, vt patres extraordinarij Ecclesiæ, vt protectores, & executores sacrorum Canonum, vel ex alijs motiuis extraiudicialibus. Dicunt secundò contra ipsum Suarium, sufficere probabilem, & verisimilem narrationem de oppressione facta à iudice Ecclesiastico, vt Magistratus seculares aduocent extraiudicialiter ad se acta, & processus: nam si euidentia facti violenti sine instrumentis scriptis deberet esse Magistratibus perspecta, vt dicit Suarius, nulla violentia illata in prouincia repelli posset ab ipsis, cùm non vbique presentes esse queāt; imò nec in singulis partibus ipsius curiæ in qua commorantur. Ex opinione inquiunt Suarij infertur aut singulis omnium vrbium, & oppidorum secularibus iudicibus dandam esse Regiam facultatē, vt violentias Antistitum Ecclesiasticorum repellant extraiudicialiter; aut, si solùm supremis Senatoribus, & Magistratibus ea cura iniungenda est, fit omnes, & singulas violentias totius regni nullo remedio iuris naturalis posse coerceri.

Dicunt tertiò contra eundem Suarium, sufficere opinionem manifestè probabiliorem de illata violentia, licèt in se euidentiam non contineat, vt Magistratus secularis auxilium præstet pro ea repellenda; atque adeò arguunt Suarium de inconsequentia; nam ipse lib. 6. de legib. c. 8. num. 6. ait esse practicè certam sententiam Caietani, & Soti, asserentium per solam opinionem, & iudicium probabile posse adhiberi epiiKiam, id est, correctionem legis, aut mandati, vbi non est recursus proximus ad superiorem. Prudentia humana in agibilibus duci nequit mathematicis demonstrationibus, vt ipse ibidem Suarius profitetur: ergo quemadmodum in vsu epiiKiæ, qui est extraiurisdictionalis à dictamine tantùm prudentiæ, sufficit opinio probabilis ad impediendum, aut suspendendum executionem legis, vel mandati, similiter sufficiet eadem probabilitas, vt Magistratus seculares præstent auxilium Regium contra violentias Ecclesiasticorum, etiamsi non sint euidentes prædictæ violentiæ, sed maior solùm probabilitas habeatur quòd violenter Ecclesiastici iudices procedant.

Vt magis prædicti Doctores suam sententiam illustrent, quamdam magistralem censuram adhibent circa aliorum dicta: Gabrina tomo 4. præscriptionum, controuers. 5. art. 5. dubit. 2. pag. 115. asseueranter ait, nullum decretum Romanæ alicuius congregationis ex ijs, quas Sixtus V. erexit, posse esse fallibile, propter assistentiam summi Pontificis in ea curia, & quia nunquam potest esse deceptio, aut error in Clero Romano. Inde argumentum extenditur ad probandum opinionem, quę tuetur licitum esse recursum extraiudicialem ab Ecclesiasticis iudicibus ad laicas potestates, sine graui nota, temeritate, & errore sustineri non posse: Cùm sacra Congregatio de indice omnes, & singulos libros prædictam doctrinam continentes prohibeat, vt suspectos, erroneos, & noxios immunitati, & libertati Ecclesiasticæ.

Verùm prædicti Doctores impugnant assertum Gabrinæ; tum quia solus Clerus Romanus cum Pontifice, vt est Episcopus solius Diœcesis Romanæ, non est Eccle-

-sia

sia Catholica, sed membrum illius: at promissio Christi de non defectura fide, intelligitur de Ecclesia Catholica vnita Romano Pontifici, vt vniuersali Pastori omnium Ecclesiarum, quemadmodum ex communi sententia statuit Suarius lib. 1. contra Regem Angliæ, cap. 5. Deinde quia semper quæ à Romano Pontifice determinantur, vt certa recipiuntur ab vniuersali Ecclesia: at plures Catholicæ prouinciæ illa decreta Congregationis non acceptant, vt notum est. Tertiò quia cùm opinio de recursu ad laicos Principatus, ad vitandas Antistitum Ecclesiasticorum violentias sit in materia grauissima, & tot, & tam grauium Doctorum, qui nuper relati sunt, & à plurimis Catholicis prouincijs ex parte approbati, & ad praxim recepti, incredibile est sine consultatione omnium Ecclesiarum diuisiuè, aut in Concilio generali eorum sententiã fore condemnandam. Quartò quia sacra Congregatio de iudice non tam prohibet ratione conclusionis eos libros de violentijs Ecclesiasticorum manu regia propulsandis, quàm ratione principiorum, & fundamentorum, quibus illam stabiliunt, nonnulli debitum modum excedentes, vt non multò post referemus. Contra eundem sensum Gabrinæ innumera alia conflantur manifesta argumenta ab illis Doctoribus. Nullus à condita Ecclesia dixit de Pontifice quod ibidem Gabrina scripsit de Romanis Congregationibus, scilicet Congregationes sacras de ritibus, de regularibus, de iudice, de sancto Officio errare non posse, etiam in quæstionibus de facto, neque decipi per subreptionem, vel fraudem informantium, neque etiam inaudita parte illarum iudicium esse fallibile. Notat ibidem vt suspectum de fide quendam aliter decernentem. Idem Gabrina tomo 4. præscript. parte 1. controuers. 7. asteris 1. pag. 323. cùm dixisset illud principium, vim vi repellere licet, & innocentis causam suscipere, & tueri, l. vt vim, ff. de iustitia & iure, intelligi solùm de violentia illata à priuatis personis, non à Magistratibus laicis, vel Ecclesiasticis, addit opinionem, quæ docet licere recursum à violentijs Ecclesiasticorum ad Reges esse suspectam de hæresi; nam in Concilio Constantiensi, sess. 15. decretum

est,

est, nullum priuatum posse occidere legitimum Regem tyrannicè gubernantem. Verba Concilij sunt; *Declarat insuper, & decernit sancta Synodus, quòd pertinaciter doctrinam hanc perniciosissimam defendentes sunt heretici.* Ex quibus infert Grabina, definitum esse, non licere priuatis, resistere Principibus, & Magistratibus, quantumuis tyrannicè, & iniustè dominentur. Hac censura absque dubio vulnerat Grabina illustrissimos sui Ordinis viros, S. Thomam, S. Antoninum, Turrecrematam, Ferrariensem, Caietanum, Victoriam, Sotum, & alios, suprà allegatos. Verùm prædicti Doctores hanc Grabinæ doctrinam extra rem esse, & manifestè falsam ijs argumentis suadent. Primò, nam aliud est occidere, aliud est resistere; non ipsi dicunt licitum esse occidere Pontificem, aut Episcopum violentiam inferentem, sed solum illam propulsare: Concilium meritò definiuit, eam occisionem cuiuscumque legitimi Principis Ecclesiastici, aut secularis, esse grauissimam culpam, quia ex ea praxi, & doctrina grauiora multò incommoda, & Regnorum subuersiones consequerentur; at tueri se, executionem iniquorum mandatorum eludere, adire ad potentiores, qui sine damno opprimentium liberent oppressos, absque mutatione principatus, & monarchiæ, vel alio detrimento vniuersali, thesis est nullatenus à Concilio tractata. Secundò, absurdissimum opinantur prædicti Doctores illam Grabinæ expositionem, aut distinctionem, aut limitationem, qua principium de vi repellenda, & innocente oppresso liberando, coercet ad violentias illatas priuatis hominibus, ita vt eis quibus violenter opprimit iudex non possit homo resistere, quando ex resistentia non consequntur seditiones, & maiora damna. Meritò Franciscus Suarius lib. 4. contra Regem Angliæ, cap. 34. num. 30. hæc ait. *Defensio ex suo genere omnibus licita est, si necessaria sit, & debito modo fiat: vnde etiam contra Papam licitam esse Regibus, vel Ecclesiæ, in tertio libro notatum est, cum Caietano opusc. de potestate Papæ, cap. 27.* Idem Suarius ibidem citat Victoriam, Couarruuiam, Didacum Perez, Didacum Castello, Matheũ de Afflictis, Decium, Piatcam, & alios. Henriquez lib. 3.

de claue Pontificis, tractans de hac thesi refert in glossis innumeros Doctores, præsertim Magistros, & Cathedraticos Academiæ Salmantinæ, pro opinione laudante, & approbante extraiudicialem recursum ad laicas potestates, quando violenta oppressio Ecclesiasticorum grassaretur. Similiter opinatur Nauarr. cap. nouit. de iudicijs, Menoch. de retinenda possess. remedio 3. num. 354. Clar. lib. 5. §. vltimo, qu. 36. In hoc autore prædicti Doctores præcipuam conclusionem admittunt, fundamenta probationis repellunt. Primò illud priuilegium Pontificiũ è tabularijs Vallisoletanis productum ab Henriquez in fauorem Regum, ad cognoscendum de violentijs Ecclesiasticorum, dicunt esse suspectum; & licèt verum esset, iam legitimè per bullam Cœnæ reuocatum esse. Etsi Fillucius tract. 16. cap. 10. & Suarez 4. contra Regem Angliæ, cap. 34. allegantes Bellarminium, non audent condemnare liberum vsum, & exercitium huius priuilegij per solas clausulas generales bullæ in Cœna Domini, si tale priuilegiũ datum fuisset. Secundò addunt, non iustificari hos recursus in casu violentiæ, per dispositiones iuris canonici, tum quia illis non succurrit, tum quia licèt aliquando succurrisset, iam per nouissima Concilia, & Decretales reuocatum est.

Couarruuias in practicis cap. 35. ait per immemorialem consuetudinem aliquarum prouinciarum amissam esse immunitatem Ecclesiasticam, atque ratione huius consuetudinis posse laicos Magistratus cognoscere de violentijs Ecclesiasticorum. Subscribunt Garsias de nobilitate Hispana, glossa 9. Salgado de protectione Regia, tomo 1, parte 1. cap. 1. præludio 3. Simancas de Cathol. instit. tit. 45. num. 35. Michael Zanardus in directorio Theol. p. 3. cap. 31. Auila de censuris, p. 2. c. 7. disp. 2. Et licèt non ita vniuersaliter idem adstruunt Bañez 22. q. 67. art. 1. dub. 2. Ioannes de la Cruz in director. part. 1. præcept. 8. q. 3. art. 1. dub. 11. Zanardus in director. Confess. tom. 3. cap. 50. Pessancius de immunitate Ecclesiastica, disp. 3. Verùm prædicti Doctores efficaciter impugnant Couarruuiam, producentes eadem fundamenta,

quibus illum refellunt. Suar. lib. 4. contra Regem Angliæ cap. 31. Tannero 2. 2. disp. 5. q. 5. dub. 4. Layman in Theologia morali, lib. 4. tract. 9. cap. 10. Comitol. in Apolog. contra Venetos, cap. 3. Bellarm. in defensione Itala contra eosdem Venetos. Addit Couarruu. si Prælati Ecclesiastici negligentes sint in infligendis pœnis contra scelera tos, & scandalosos Sacerdotes, posse laicas potestates in illos animaduertere, & vindictam publicam exercere. Hanc doctrinam Doctores prædicti, vt contrariam Ecclesiasticæ immunitati constantissimè repellunt. Propter illam, & similes alias opiniones. Tannerus suprà, & in defensione Ecclesiasticæ libertatis, lib. 2. tract. 16. Suarius tom. 1. de Religione lib. 1. de diuino cultu cap. 38. Madriaga tract. de Senatu cap. 39. Bellarm. suprà, vehementer incusant virum quoad alia magnum Couarruuiam.

Ex autoribus qui scripsere contra prædictos recursus extraiudiciales à violentijs Ecclesiasticorum ad seculares Magistratus, Martinus Bonacina magis ex professo thesin disputauit tom. 3. de censuris. In eo autore prædicti Doctores succedentia asserta improbant. Disput. 1. q. 15 punct. 4. §. 1. allegans Bannez, Menochium, Bellarminium, ait ex priuilegio Romani Pont. in Hispania seculares Principes cognoscere de violentijs Ecclesiasticorum. Verùm nec istud priuilegium vnquam fuit, nec si fuisset iam extaret post reuocationem factam in pluribus Cõcilijs, & Decretalibus; neque ipse Bonacina seriò, & ex animo prædictum priuilegium agnoscit, cùm illud postea artificiosè impugnet. Quod ipse addit §. 3. licitam esse defensionem naturalem, tunc solùm quando ex illa multò maiora damna non consequuntur, admittunt prædicti Doctores: verùm impugnant, quòd infert ex quacumque naturali defensione sequi detrimenta grauiora, scilicet quòd immunitas, & libertas Ecclesiastica funditus pereat: dicunt esse argumentum infirmissimum. Primò quia per eam defensionem naturalem nihil vsurpat de Ecclesiastica iurisdictione. Secundò fallit eius discursus in eo, quòd statuat ex ea defensione perire totam Ecclesiasticam immunitatem, cùm solùm coerceatur, & reprimatur aliquorum

rum

rum iudicum abusus, illæsa manente tota iurisdictione. Tertiò, quia argumentum efficacissimè retorquetur ad hominem; quia si ex vnius, aut alterius Ecclesiastici Antistitis violentijs prouocatione extraiudiciali ad seculares Magistratus perit tota immunitas Ecclesiæ, etiam ex vnius aut alterius violenta oppressione illata ab Ecclesiastico iudice, peribit funditus totum ius naturale: constat autem maius incommodum esse subuertere vniuersum naturale Ius, quàm ius positiuū Ecclesiast. immunitatis, & libertatis. Alia, quæ adducit Bonacina dicunt esse extra rem, aut falsas suppositiones continere: nam neque admittitur ab ipsis licitam esse vsurpationem iurisdictionis Ecclesiæ; neque dicitur acta, & processus iudicialiter cognosci à Magistratibus, neque ab illis puniri posse Sacerdotes. Tandem ex ipso Bonacina volente nolente, disput. 1. de censuris, quæst. 2. plura argumenta congerunt prædicti autores, quibus prædicti recursus ad laicas potestates à violentijs Ecclesiasticorum iudicum confirmantur.

Iudicium circa prædictam controuersiam.

§. 2.

Ego in præsenti controuersia dicam quæ certa sunt primùm; deinde quæ incerta.

Primò certum est iustam defensionem naturalem, qua vim vi repellere possumus, & iniustè, atque violenter oppressos liberare, esse omnibus, & singulis hominibus licitā, dummodò ex ea non sequantur grauissima Reip. incommoda, & seditiones, & ruinæ tranquillitatis publicæ. Hoc optimè probant omnia illa testimonia Scholasticorum, Patrum, & Conciliorum superiùs ab illis Doctoribus allata, & rationes communiter ab autoribus productæ. In hac parte conueniunt nobiscum etiam Doctores illi, qui dicunt esse illicitū semper, aut ferè semper recursum à violenta oppressione iudicis Ecclesiastici ad laicas potestates, præter Azorem, Grabinam, & Bonacinam: nullus ante illos eam distinctionem, aut limitationem probauit, quà dicitur non licere resistere magistratui violentiā inferēti.

Secundò

Secundò certum est similiter in hac via defensionis naturalis posse Ecclesiasticum Principem repellere vim illatam à Magistratibus secularibus, si non consequantur maiora incommoda, aut seditiones, ex præmissa protectione, aut liberatione. Ratio est euidens, quia in iure naturali omnes homines sunt æquales, nec est differentia inter Ecclesiasticum, & laicum, nulla est alterutrius supra alterum prærogatiua, aut præeminentia. Siquæ autem præcedentia in hoc tramite iuris naturalis excogitari posset, ea in fauorem Ecclesiæ inueniri deberet: verùm nulla nunc occurrit in hoc genere præeminentia, sed omnimoda æqualitas. Non ideò negamus, grauius delictum esse, si quis opprimat Ecclesiasticos, quàm laicos; similiter nõ negamus, imò constanter fatemur, maius meritum esse posse, si quis succurrat eisdem Ecclesiasticis violenter oppressis. Manente iure naturali æquali occurrunt circunstantiæ, ratione quarum aut obligatio, aut meritum inæqualitatem habeant.

Tertiò certum est, plurima fieri posse à Magistratibus laicis manu officialium suorum, quæ licèt emanent à iudicibus, non fiant iudicialiter. Sic Franciscus Suarez, & alij ab ipso allegati, scilicet Felinus, Decius, Nauarrus, Iulius Clarus, Panormitanus suprà docuere, etiamsi laicæ potestatis ministri spolient armis Clericos, pro ea tantùm occasione, qua timetur, aut dubitatur an aliquid mali aggrediantur, & etiamsi illos comprehendant ad sistendum eos in potestate iudicis Ecclesiastici, non id præstare vt iudices, sed veluti defensores, & coadiutores naturalis iuris; quod idem scripsit Sousa in bulla Cœnæ, cap. 16. disp. 82. Ioannes de la Cruz in directorio conscientiæ, part. 1. præcepto 8. q. 3. art. 1. dub. 3. concl. 3. Bañez 2. 2. q. 67. art. 1. dub. 2. Lorca de legibus, disp. 25. memb. 4. Bonacina locis supra allegatis, & innumeri alij etiam ex ijs, qui negát licere propter violentias Ecclesiasticorum recurrere ad laicas potestates.

Quartò certum est, Magistratus seculares cùm vident subditos ab Ecclesiasticis oppressos; vel iudices Ecclesiasticos, cùm experiuntur oues suas à Magistratibus secu- laic-

liribus opprimi violẽter, teneri in conscientia auxiliarem manum præbere; ita vt peccent grauissimè, si violentiam sustinentes non liberent, dummodò non sequantur grauiora incommoda, & seditiones. Hanc obligationem esse de iure diuino liquet Ierem. 21. *Eruite vi oppressum de manu calumniātis, ne fortè egrediatur vt ignis indignatio mea, & succendatur.* Ergo manifestè diuinam indignationem meretur, qui non liberat violenter oppressos, quod sine culpa graui non contingit. Psal. 81. *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Quicumque Magistratus opprimit, non procedit vt iudex, sed vt peccator. Ecclesiastici 4. *Libera eum, qui iniuriam patitur, de manu superbi.* Isai. 1. *Subuenite oppresso.* Quæ omnia sunt vniuersalia principia iuris diuini, omnes generaliter, & indiscriminatim obligantia, si non grauissima timeantur incommoda.

Quintò certum est, tam Principes seculares, quàm Ecclesiasticos teneri impendere prædictam auxilium contra violentias, etiamsi oppressi ipsorum opem non implorẽt. Hanc conclusionem veluti patentem, & manifestam docuit S. Thomas opusc. 19. cap. 15. ijs verbis. *Ex quò patet quòd perfecti viri debent se vltrò ingerere ad aliorum iniurias repellendas, etiam nõ prouocati. Ad officium charitatis pertinet, quòd aliquis oppressos ab opprimentibus liberet.* Hoc præceptum subueniendi oppressis est de iure diuino, & vniuersale, nullum casum excipiens, etiam quandò oppressus non auderet præ metu, aut pudore auxilium postulare. Allegat ad idem intentum S. Thomas Gregorium dicentem. *In quantùm causa exigit, debemus pro defensione iustitiæ nosmetipsos obijcere, & peruersis ad iniusta erumpentibus, etiam cùm ab eis nõ quærimur, obuiare.* Addit sanctus Doctor sequentia. *Ad officium charitatis pertinet, quòd aliquis oppressos ab opprimentibus liberet, secundùm illud Iob 29. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Concludit dicens. *Ex omnibus prædictis patet, quòd Religiosi non solùm licitè, sed etiam laudabiliter interdum resistunt violentiis, & fraudibus malignorum.*

Sextô

Sextò certum est, non singulas oppressiones, & violentias pro rebus leuioribus illatas, debere à Magistratibus secularibus, & Principibus Ecclesiasticis propulsari: tum quia sequerentur grauiora multò incommoda, & perturbationes, & inutiles distractiones iudicum, cum detrimento maiorum causarum; tum quia ad bonum Reipublicæ regimen pertinet, vt circa minutias non potentiori brachio, & remedijs vrgentissimis prouideatur, sed vel illæ contemnantur, & omittantur, vel remedijs leuioribus curentur. Ideò sapienter cautum est ab Hispaniarum Regibus, ne admittantur recursus à superioribus regularibus ad Magistratus laicos; quia si quas oppressiones sustinent, illæ sunt circa res, quæ leuissimæ debent à Religiosis existimari, imò ad imitationem Christi eas appetere debent. Excipio illas violentias, quæ sunt contra libertatem status, aut contra bona spiritualia, aut contra bonum nomē ipsorum in re graui, quemadmodum excepit Angelicus Doct. opusc. 19. non solùm cap. 14. vbi ex pluribus locis Pauli, Gregorij, Augustini, & aliorum, probat Religiosos debere resistere detractoribus; sed etiā principaliter cap. 15. vbi pluribus argumentis conuincit, sanctis viris licere se per iudicium tueri, quemadmodum Paulus Act. 25. ne Sacerdotibus Hebræis traderetur, ad Cæsarem appellauit: Post alia subdit S. Doctor. *Licet perfectis viris libertatem sui status defendere, præcipuè in iudicio Ecclesiastico.* Expende illam particulam *præcipuè*, quæ ostendit alium etiā esse modum naturalis defensionis, confugiendo ad potestates quælibet maiorem vim habentes. Idcirco Regia voluntas denegans regale auxilium pro violentijs, quas sustinent Religiosi, solùm extendi potest ad ordinarias causas, in quibus libertas regularium, aut bona spiritualia, aut bonum ipsorum nomen nullatenus periclitantur. Quòd si hæc per oppressionem in graue discrimen adducuntur, debent Principes mundi, etiam non rogati subuenire, auxilium impertiendo contra violentias, quas contigerit ab Ecclesiasticis iudicibus sustinere; atque similem autoritatem iuris naturalis debent exercere Principes Ecclesiastici in prædictis casibus, contra Magistratus seculares, si

fuerint oppressores. Quare in illa infestatione Regum Hispaniæ non potuit excludi auxilium, aut beneficium iure naturali debitum Religiosis in violentijs grauioris momenti, v. g. si defraudarentur per vim à cognitione primæ instantiæ apud suos ordinarios Iudices, & Prælatos; si obligarentur ire ad locum non tutum, si cogerentur ad deserendam Religionem, si priuarentur cum ignominia totius Ordinis aliquibus indultis, aut nouis oneribus grauarentur.

Septimò certum est, in ijs recursibus à violentijs Ecclesiasticorum ad seculares potestates, & à violentijs secularium potestatum ad Ecclesiasticos seruandum esse moderamen inculpatæ tutelæ, ita vt grauissimè peccetur ab ijs, qui extraiudicialiter procedere intentant per viam naturalis defensionis, cùm æquè bene, & sine maioribus expensis, aut sine damnis irreparabilibus iustitiam suam consequi valent per formam iudicialem, prouocando, & appellando ad iudices superiores, aut inferiores, inhibendo, vel recusando. Ratio huius dicti est manifesta, quia extraordinaria media, & extraiudiciales recursus ordinantur in defectum, & supplemētum eorum, quæ iudicialiter præstari non possunt ad obtinendum legitimum ius parti debitum: ergo cùm sine maioribus expensis, & absque damnis irreparabilibus æquè bene debita iustitia impetratur per viam iudicialem, non sunt aduocanda, & intentanda media extraordinaria, & extraiudicialia; nam frequenter durissima sunt, & cùm ignominia Magistratuum tam secularium, quàm Ecclesiasticorum, cùm veluti oppressores violenti, & tyrannidem exercentes, & homines sine timore numinis infamentur. Hanc conditionem de non excedendo moderamen inculpatæ tutelæ semper præ oculis habendam censeo; grauiter enim peccari potest, si illa non obseruetur, præcipuè circa Ecclesiasticos. Licèt generaliter pro omni defensione, doctrina hæc valdè sit necessaria, singulariter aduertenda est, & præ oculis habenda in recursibus à violentia Ecclesiasticorum ad laicas potestates, pro reuerentia singulari ipsis Ecclesiasticis debita.

Quan-

Quanuis hactenùs dicta principia vniuersalia vera sint, in eorum applicatione ad singulares casus innumeræ difficultates occurrunt. In primis cùm procedunt in cognitione causæ duo iudices, alter Ecclesiasticus, alter secularis, quorum vnusquisque competens videatur, tunc examinandum superest dubium; an vterque cessare debeat, vel an dignior, id est Ecclesiasticus debeat procedere; vel an duo illi conuenire debeant in eligendo arbitro iudice, seu compromissario; vel an formandum sit quoddam quasi tribunal competentiæ; & dato quòd dignior iudex determinare debeat, superest inuestigare ordinem dignitatis: nam vel eligendus est dignior secundùm hominum existimationem in pompa mundana, vel iuxta debitum cultum spiritualibus rebus, & functionibus. Prorex, & Cancellarius secularis dignior est, & honorabilior, quàm simplex Sacerdos, aut Vicarius Episcopi in prima acceptione, licèt iuxta secundam dignior sit quiuis simplex Sacerdos. Sic alia innumera dubia emergunt, quæ etiam post concessum principium vniuersale maiorem considerationem postulant. Aliqui Doctores arbitrantur indubitatũ esse, per dispositiones Iuris canonici debere semper in ijs controuersijs determinare iudices Ecclesiasticos.

Deinde contingere potest, vt litigans secularis iurisdictionem Ecclesiastici iudicis declinare velit; & tunc emergunt aliæ quoque difficultates examinandæ, an appellandum sit ad Ecclesiasticum alium iudicem superiorem, vel an à digniori res sit decidenda, vel an quia partes sunt in hoc casu iudices, ad compromissarios, & arbitros; vel ad tribunal quoddam veluti competentiæ conuenire debeãt: & ex ijs aliæ etiam quæstiones pullulant, quæ difficulter ex communissimis, & vniuersalissimis principijs inuestigantur.

Præterea contingit, vt iudex Ecclesiasticus non obstante interposita appellatione exequi velit sententiam suam, & tunc tam pars grauata in denegatione appellationis, quàm Magistratus, ad quem fit recursus per modum violentiæ, plures habent decidendas quæstiones circa factum, & ius: an æquè bene, & minoribus, aut æqualibus expen-

expensis recursus ille fieri possit ad superiorem aliam iudicem Ecclesiasticum viciniorem, vel æquè vicinum; an damna ex denegata appellatione sint irreparabilia, aut quæ ex æquo postea non soleant compensari; an expressè ius canonicum absque vlla tergiuersatione violetur; subinde ex ijs aliæ difficultates in iudicando emergunt, quæ poscunt subtiliorem inuestigationem.

Item contingit, vt Princeps secularis per suos magistratus ordinet Ecclesiastico iudici, vt reuocet decreta, quæ à se emanarunt, & tūc si appellationem admisit idem Ecclesiasticus iudex, vel aliter functus est officio suo per prolationem sententiæ, examinandum est, an possit cogi à Principe ad iteratam cognitionem, vel an ratione nullitatis in determinando non expirauerit ipsius iurisdictio, atque adeò illam reassumere valeat, quantumuis sit appellatio concessa, aut prolata sententia.

Item communis praxis est, vt in casu prætensæ violentiæ processus, & acta originalia Ecclesiastici iudicis ad magistratus seculares deferantur; in quo examinandū est, an excedatur moderamen inculpatæ tutelæ, cùm ad repellendas violentias sufficiat testimonium, vel relatio causæ, non extrahendo processus originarios è potestate iudicis Ecclesiastici: an verò hæc praxis iustificetur, quia Ecclesiastici iudices plura irreparabilia possint innouare, si acta, & processus apud se retineant.

Item quando Episcopi, aut Ordinarij partem aliquā iniustè, & violenter grauant, sæpissimè pars læsa per recursum appellationis ad Legatum Apostolicum, qui aut inhibeat, aut absoluat, breuius, & facilius ius suum consequetur, quàm si ad magistratus seculares accedat per viā violentiæ: nam ij frequenter decernunt, non habere causam statum determinationis iudicialis: ex qua declaratione ad Episcopum, vel ordinarium iterum deuoluitur causa cum maioribus dilationibus, & expensis. Videndum igitur est, an in hoc casu recursus ad laicas potestates illicitus sit, & pœna dignus, an verò sit legitimus, quia naturalia remedia defensionis naturalis ciuilibus anteponenda sunt.

Item ad dato quòd remedia prædicta naturalia ciuilibus sint anteponenda, atque adeò recursus per viam violentiæ ad laicos magistratus prior sit appellatione iudiciali ad antistitem alium supremum Ecclesiasticum, videdum est, qua ratione possit esse euasio à grauissimo incommodo, quod ex hac doctrina sequeretur, scilicet posse violenter oppressum resistere ministris exequentibus mandata iudicum, & legitimum creditorem posse per remedium naturale iustæ compensationis palàm rapere bona debitoris: quæ sequelæ admitti nequeunt sine perturbatione publicæ quietis, & pacis. Quòd si, vt necesse est, aliquæ limitationes addendæ sunt illi principio de antelatione naturalium remediorum ad ciuilia, quæ illæ sint, & sub quibus circunstantijs expendendum est.

Item in hac materia Reges Catholici promulgarunt leges seuerissimè prohibentes, ne laici ad iudices Ecclesiasticos accedant pro impetranda iustitia, etiam per viam violentiæ, vt habetur l. 13. tit. 1. lib. 4. recop. Nec laicus ita se gerens quocumque prætextu naturalis defensionis, impunis esset, quòd Reges meritò velint ciuilia remedia naturalibus anteponi. Ergo similiter Pontifex impedire potest, ne aliquis Ecclesiasticus in causis fori sui, vllo prætextu, etiam violentiæ, & titulo naturalis defensionis, ad laica tribunalia accedat. Regula illa naturali lumine nobis insita, *Quod tibi rationabiliter non vis, alteri ne feceris*, viget in hoc casu: nam si Reges iubent, & rationabiliter volunt, ne prætextu violentiæ, omissis ciuilibus medijs, laici ad Ecclesiasticos iudices accedant; ergo idem omnino decernere possunt Romani Pontifices. Quare, ne hoc argumento Magistratus seculares grauentur, videndum est, an solùm illi velint ne laici ad Ecclesiastica tribunalia confugiant iudicialiter; quæ verò extraiuditialia sunt, maneant in suo robore, vt quacumque via sine scandalo, & grauiori detrimento possint, laici auxilio Ecclesiasticæ potestatis violentiam secularium magistratuum propulsent.

Item circa hanc thesim necesse est cauere, ne laicus Magistratus exponat se periculo peccandi, præsertim in

causis

causis executiuis testamentorum, & operum pietatis, & eleemosynæ, quando iubet Ecclesiasticus iudex, vt non obstante appellatione executio non retardetur; potest enim peccare retardando executionem, sumpto originali processu, si sufficiat testimonium de statu causæ, & excedatur moderamen de inculpata tutela, & opera pia differantur cũ detrimento animarum in purgatorio existentium. Videndum etiam est à recurrente ad laicas potestates, an sit æqua de discrimen de iniustitia præstanda à laico Magistratu, cũ propterea Conc. Carthag. 3. cap. 9. docuerit, malè sentire de vniuersa Ecclesia, qui à iudice seculari poscit auxilium. Videndum, & expendendum est circa hos singulares casus, quibus circunstãtijs procedatur; nam facile est in rebus ad defunctos, vel opera pietatis pertinentibus grauiter excedere. Verùm de singularibus satis ad exemplum diximus, vt constet etiam admisso principio de violentia repellenda per laicas potestates, innumeras esse difficultates circa particulares causas, & casus, quæ iusta volumina poscant ad decisionem magistralem.

Circa regulam quintam, & nonam de libris absque Autoris, & Typographiæ nomine: & quando libri excusi sine consuetis licentijs non comprehenduntur in prohibitis.

Hoc caput pro sui defensione edidit Mag. Ioannes Tappia Stobza.

ECclesia iubet Autoris nomen libris tractantibus de rebus sacris adhiberi, Typographi, & Typographiæ locum, & editionis tempus designari; & facultates præuias Ordinarij, consuetasque approbationes præscribi. Singulariter à Leone X. in Concilio Lateranensi, & à Concilio Triden. sess. 4. super hac re cautum est. Caietanus verbo excommunicatio, in fine: Carranza in fine summ. Concil. Lateran. Nauar. cap. 17. num. 148. Suar. tomo de censuris

disp.22.in fine: & disp.23. sect.7. aiunt, pœnas impositas in Concilio Later. contra imprimentes absque debitis facultatibus, non esse vsu, & consuetudine receptas. Id nequeunt dicere de decreto Concilij Trid. circa quod legen dr Castro lib.1. de lege pœnali, cap.8. Suar. & Nauarr. vbi proximè. Reginaldus lib.9. num.259. Tolet. lib.1. cap.42. Quoniam verò prædictum Conc. Trid. solùm loquitur pro libris impressis absque facultate, & nomine, si de rebus sacris tractent, quid sacrorum nomine intelligatur, varijs interpretationibus exponitur, quas hic non expedit memorare. Regula nona expurgatorij nouissimi Hispaniaru decernit, omnes libros, & tractatus, qui post annum 1584. excusi sunt, & quotquot in posterum excudentur non præmissis nominibus Autoris, & Typographi, habendos esse pro interdictis, & suspectis de falsitate doctrinæ. Quoniam verò nonnulla opuscula ex ijs, ex quibus hoc volumen compilauimus, absque nomine proprio Autoris, & Typographiæ versabantur, aut cum nomine per anagramma inuerso, libet dicere quid de ijs regulis Autores senserint.

Regula proximè allata, tum per epiikiam, tum per consuetudinem nonnullas exceptiones admittit, quarum aliquas Doctores obseruant cum Gæssero, libro 2. de iure prohibendi, cap.4. Prima est, quam ipse Index expurgatorius regula 5. declarat, dicens plures libros in regionibus Septentrionalibus dissimulato vero nomine, aut eo suppresso, editos esse à Catholicis Doctoribus, qui, vbi constiterit de puritate doctrinæ, permittentur. Hæc regula manifestè ostendit, sic intelligere supremam Inquisitionem Hispanam leges illas Ecclesiasticas Pontificum, & Conciliorum, vt cessante fine illarum, ipsæ etiam cessent.

Secunda exceptio est, quando iustis de causis Autor nomen dissimulat, obscurat, aut ad tempus commutat in libris editis, verùm illos sua manu subscribit, & exhibet Inquisitoribus, & Ordinarijs locorum, & alijs Magistratibus, siue iudicialiter, siue extraiudicialiter; nam tunc cessat omnino finis legis, & constat Autorem esse Catholicum, nec lucem fugere; sed palàm se exhibere iudicibus puniendum, si doctrinam damnabilem sparserit, aut laudandum, & com-

& commendandum, si debitis titulis nomen suum, & Typographi suppresserit. Nullum est incommodum, quod lateat vulgus nomen Autoris, si ipse ante euulgationem operis prodit se Inquisitoribus, & Ordinarijs locorum, propositis legitimis causis, quæ ad eam deliberationem impulerunt: Idcirco Benedictus Iustinianus, in defensionem gestorum Pauli V aduersus Venetos, sub nomine cuiusdam Siculi Doctoris librum euulgat, conniuentibus Ecclesiasticis Magistratibus, quibus sciebat non displicituram defensionem similem.

Tertia exceptio est, cùm periculum adest, vt amore, vel odio plures incitentur ad infestandam doctrinam; vel cùm timetur, ne libertas iudicij viris doctis, & prudentibus eripiatur, ad absoluendum, vel condemnandum, quando nominetur, si patria, professio, ordo, & status cognoscantur. Ideò S. Gregorius Nazianzenus opus de fide vulgauit, tacito proprio nomine: & Vincentius Lyrinensis sub nomine Peregrini publicæ luci dedit librum commonitorij, aduersus prophanas hæresum nouitates: & S. Paulus in ea quam scripsit ad Hebræos epistola, autore diuo Hieronymo in catalogo Scriptorum, propter inuidiam sui apud eos nominis, titulum salutationis in principio amputauit. Idem scripserat Clemens Alex. apud Euseb. lib. 2. hist. Eccl. c. 11. & 18. Nostro æuo propter vitandam inuidiam Ludouicus Richeomus ex Societate Iesu, in Gallia ficto nomine aduersus errores nonnullos opuscula varia publicauit: & Carolus Scribanius Iesuita similiter se gessit, euulgando veridicum Belgicum, & Apocalypsin Batauicam, & nonnulla alia ingenij sui monumenta; Christophorus Scheiner etiam Iesuita librum excusit sine nomine, sub eo titulo: *Apelles post tabulam latens*: Cardinalis Bellarminus ad Iacobum Angliæ Regem, sub nomine Matthei Torti respondet; & Robertus Personius edicto Elisabethæ, nomine Philopatri.

Quarta exceptio est, cùm quis celat suum nomen, & proprios libros sub titulo grauis, & spectatæ alicuius personæ iampridem mortuæ inscribit, vt melius alienæ vtilitati, & commodo possit consulere. Sic Saluianus Massi-

liensis,

liensis libros suos ad vniuersam Ecclesiam sub nomine Timothei publicauit; & cùm Salonius Episcopus ab eo posceret, cur ita fecisset, rescripsit, quia dicta, aut scripta tanti existimantur, quantus est ipse, qui dixit. Tam imbecillæ, aut pene nullæ sunt plurium hominum mentes, & iudicia, vt non considerent quid legant, sed cuius legant. Propterea Autor de virtutibus cardinalibus Christi, monet se, suum nomen, titulumque celare, *ne fortè nobilis materia, cuius explanationi studium adhibemus, decoloratam se potiùs, quàm ornatam nostra præsumptione queratur.* Solùm in hoc casu de alieno graui titulo præfixo timendum, ne mendacij labes intercedat. Hæc vt vitetur, curandum vt tam aptè æquiuocatio statuatur, vt in aliquo significatu appositus titulus sine iniuria veritatis præfigatur. Sic Stephanus Dinet è Societate Iesu varia opuscula luci dedit sub nomine Renati de Fonte: legitimè, & verè sic se nominauit, quòd de fonte Baptismi renatus fuerit. Semper autem in ijs casibus obseruandum est, quod ijs verbis scripsit Concilium sextum Mediolanense. *Moris olim fuit, vitandæ gloriæ, ostentationisue causa, libros aliquando alterius nomine, & iam assimulato euulgari; sed quoniam hæc tempora, quibus impressoria editione aditus esse potest ad nefaria quæque proseminanda, diligentiorem cautionem requirunt, interdictum esse volumus, mentito, fictove alterius nomine, libros, volumina, literas, scriptavè cuiusvis generis, argumentivè de quibus in indice, seu Concilio Tridentino cauetur, euulgari, edi, typisve imprimi, nisi consensu illius, cuius nomine edentur, & Episcopi permissu.*

Quinta exceptio est, cum quis opera sua euulgat, proprio suppresso nomine, alteri personæ committens iustis de causis, vt se appellet eorum autorem, & vt sub consuetis facultatibus indicato nomine Typographi publicæ luci committat ea ingenij monumenta. Sic nonnulli arbitrantur D. Paulum epistolam ad Hebræos Barnabæ tradidisse, vt ipse eam quasi nomine suo vulgaret; ac propterea Tertullianum, lib. de pudicitia prædictam epistolam attribuisse Barnabæ: si ita est, voluit Paulus cap. vlt. vers. 23. seipsum, & nomen suum Hebræis indicare, vt quando maior Dei

gloria videretur, se autorem prędictarum litterarum profiteretur. Barnabas absque mendacio potuit ad tempus eam epistolam propriam nominare eo sensu, vt illius doctrinæ magister diceretur. Vt securiùs hæc exceptio procedat, siquis habuerit causas celandi proprium nomen, id ita præster, vt opera, quæ ex iustis titulis euulgare necesse est, committat alteri, qui dicat se eorum collectorem, aut compilatorem fuisse, & cum permissu ipsorum, ad quos illa studia pertinebant, publicare voluisse cum approbationibus ordinarijs magistratuum tam secularium, quàm Ecclesiasticorum: sub hac forma plures siue coacernatores, siue collectores, & rhapsodi quotidie prodeũt. Neque est magnum discrimẽ si quis à pluribus, vel paucioribus, vel ab vno colligat quæ euulgat, dũmodo nulli faciat iniuriã, quod cum beneplacito Autorum, aut ipsis rationabiliter nõ inuitis ita se gerat, iuxta præscripta Conc. 6. Mediol.

Sexta exceptio est, quando modestia vrgente cogitur quis ad silendum proprium nomen. Hanc causam occultati à se nominis scripsit Saluianus Masiliensis suprà; & longè ante Clemens Alexandr. apud Eusebium suprà, & Theodoretus in epist. ad Hebr. aiunt, Paulum idcirco non expressisse nomen suum in epistola prædicta, quòd & celebraret Christum vt primum Hebręorum Apostolum; & præterea quia Hebræi alijs Apostolis essent commissi, scilicet Petro, & Iacobo. Igitur cùm Paulus non primariò esset Iudæorum, sed gentium Doctor, & Apostolus, Christus autem, Petrus, & Iacobus pro Hebræis hoc munus gerentur, non ipsis scribit vt Doctor, & Apostolus, sed vt socius, & amicus, quemadmodum liquet cap. vlt. vers. 22. quando similes causæ gloriæ vanæ euitandæ, aut conseruandæ modestiæ, aut suspiciẽdi honori alieno succurrere, licebit tunc similem stylum imitari, præmonitis Magistratibus Ecclesiasticis.

Septima exceptio est, cùm doctrinæ aliquæ in censuram adducuntur, & earum autores certissimè nouerunt à nonnullis sanctis Patribus, & grauissimis Scholasticis fuisse traditas: verùm aut ex zelo plurium, non secundùm scientiam, aut ex multorum factione, & conspiratione,

-aut ex sinistra informatione, & intelligentia, aut ex odio alicuius nationis, professionis, ordinis, status, vel personæ, aut ex oppressione potentissimorũ hominum in summum discrimen, & periculum iactari veritatem, aut piam probabilitatem, tunc licet suppresso proprio nomine, aut dissimulato per anagrammata, vel synonima alterius linguæ, aut supposito alieno cum æquiuocatione non mendaci, defensiones tacitas eulgare, pro consultatione doctorali, aut magistrali Academiarum, vel Episcoporum, vel aliorum virorum illustris doctrinæ, & sanctitatis; cùm defensio veritatis, vel piæ probabilitatis sit de iure naturali, & diuino, nec possit aliter cum multis fieri consultatio, nisi excussis pluribus exemplaribus: at in hoc casu, & alijs minoris momenti, qui doctrinam non spectant, sed rem familiarem, aut adeptionem alicuius muneris Ecclesiastici, regnorum legibus, & consuetudine permittitur, vt quilibet causam suam agat, informationes, & defensiones excudat, si sit pars legitima in iudicio pendente; neque est vllum periculum de suppressione nominis, cùm iudicibus manifestè innotescat, & adsit qui puniri debeat, si excedatur moderamen inculpatæ tutelæ. Plurimæ nominum simulationes, aut suppressiones ex superius relatis per hanc etiam exceptionem laudari debent: qua ratione, alio tamen fine, Carolus Scribanius in Amphitheatro honoris, nomen supposuit, literis per anagramma inuersis: sub eo ordine, Clarus Bonarscius. Sic pro occulta defensione quarũdam doctrinarum, quæ in sanctis Patribus, & Scholasticis, & aliorum grauissimis monumentis reperiebantur, quidam hoc tempore flexerunt, & contorserunt per varia anagrammata, nomina, & cognomina editis defensionibus, vt odio, vel amore semotis, magistraliter, aut doctoraliter examinarentur. Ego hæc quidem anagrammata legi: Ioannes Tappia Stobza; Ionas Azonttas Beippo; Ioannes Zappata Bistõ; Ioannes Baeza Stappio; Ioãnes Pioz Pabattas; quæ omnia, & singula nomina cum easdem nouendecim literas solum ordine inuersas contineant, credo eundem hominem esse, qui per anagramma diuersis nominibus appellatur.

F I N I S.

TABVLAE,
VEL
SILLABI,
IN QVIBVS DOCTRINÆ, ET PROPOSITIONES

Historicæ, Philosophicæ, Medicę, Theologicę, circa prærogatiuas Deiparæ, aut earum confirmationes proponuntur solum recitatiuè, aut inquisitiuè, aut examinatiuè, aut problematicè, aut suspensiuè, aut præsumptiuè, aut coniecturaliter, exemplo Aristotelis, & S. Augustini, & grauissimorum Doctorum, qui plurimos libros simili stylo sub formidine scripserunt.

NVLLA EX PROPOSITIONIBVS, & doctrinis prædicta cautione exposita, aliter quam ex consensu, & iudicio præfectorum, & Tribunalium fidei constanter, & assertiuè enuntianda.

Index ex tabulis excerptus earum doctrinarum, & propositionum, quæ in suspicionem notæ Theologicæ, aut improbabilitatis, apud nonnullos venire potuerunt.

Non omnes doctrinæ, & propositiones in ijs tabulis, & syllabis referendæ in suspicionem notæ, & censuræ Theologicæ vocatæ sunt, sed quasdam veluti inutiles nonnulli repudiarunt, eas in hoc indice tabularum supprimimus, breuiter earum Authores allegantes, qui illas veluti vtiles, aut necessarias commendarunt. Ordine partium, & numeris earum ad finem cuiusque parrafi consignatis, singulas proponemus.

Ex prima parte, de locis, & temporibus mysteriorum Virginis.

1 QVod sententia S. Damasceni, & traditio fidelium de Maria Hierosolymis nata apud Templum, & Probaticam Piscinam, vera sit, & multorum Pontificum authoritate firmata. Num. 12.

2 Quod Maria biennio exulans in Ægypto loca locis commutauerit propter Herodis metum, qui eam Pro-

Prouintiam Romano Imperio subiugauerat; & quod sic cōponantur Doctores Hermopolim, Memphim, Tanaim, Heliopolim, & alias vrbes exulanti Deiparæ, pro habitatione diuisiue consignantes. Num. 14.

3 Quod Maria post reditum ab Ægypto annis vigintiquinque, tribus saltem vicibus quotannis, è Nazareth conscenderit Hierosolymam, vt docuere S. Vincentius, S. Antonin. Albertus Magnus, Paludan. Bonauent. Gerson, Toletus, & alij. Num. 16.

4 Quod Epiphanius, Augustinus, Bernardus, Guarricus, S. Antoninus, S. Vincentius, S. Bonau. Canisius, Castro, & alij innumeri, Patres, & Doctores, docuere Mariam toto tempore prædicationis Iesu, ipsum peregrinantem, & prædicantem sectatam fuisse, nihil habuit eo seculo insolens, aut indecens; sicut nec quod nobiles fœminæ, S. Petrum, & cæteros Apostolos, præter Paulum comitarentur, vt habetur 1. Cor. 9. & quod ex non plenaria notitia eorum temporum huius veritatis lux, quosdam offenderit. Num. 17.

5 Quod Maria post Christi in cœlos ascensum loca filij vestigijs illustrata frequenter inuiserit, vt iam olim docuere plures cum Sophronio, Ildephonso, Antonino. Num. 19.

Ex secunda parte, de parentibus Deiparæ.

6 QVod quemadmodum duodecim Patriarchæ cum Dina, ex sententia Ambrosij, Augustini, & aliorum grauium Doctorum fuere filij Iacob sanctificati in vtero, sic Maria habuerit genitores in vtero sanctificatos.

Quod non fuerint Ioachimus, & Anna, inferiores Isaac, Samsone, Nicolao, Dominico, Remigio, Benedicto, Victore, Gregorio Suellensi, Bernardo, Asella, & alijs, de quibus magni Doctores, & Annales Ordinum, testantur in vtero sanctificatos. Num. 1.

7 Quod Iesus ratione prosapiæ ex Maria, & Ioachimo, habuerit proximam actionem ad Regnum Iudà, vt plures arbitrantur cū S. Bernardino, Baccone, Burgensi, Azore, & alijs, & quod idem fuerit apud Matthæum lineam paternam Iosephi, & lineam paternam ascendentium Deiparæ supputare ex manifesta luce scripturarum, & grauissimorum Doctorum. Num. 2. & 3.

Quod

8 Quod si admittatur sanctorum Ambrosij, & Augustini sententia, de Baptista fuisse filium Zachariæ, & Elisabeth, qui nunquam venialiter peccauerint; & si vt veræ aliæ similes opiniones admittantur ex singulari priuilegio gratiæ Dei, potest legitimè dubitari, an Maria parem habuerit prærogatiuam, quæ filia fuerit parentum, qui nunquam venialiter peccauerint. Num. 13.

9 Quod Mariæ nomen sit Sacramentale ex institutione diuina aliquos effectus ex opere operato causans, sicut cætera Ecclesiæ Sacramentalia, & orationes; & sicut clausulæ sacri Textus, & sicut nomen Iesu prolatum, aut scriptum; vt diffusè docet Chrisostomus, Hieronymus, Iustinus, Ambrosius, Antoninus, Gretserus, Serarius, Caietanus, Ledesma, Medina, Corduba, Sanctius. Num. 16.

10 Quod Mariæ nomen ex diuina benignitate citiùs, & efficatiùs interdum operetur, quam nomen Iesu iuxta dicta Anselmi, Mendozæ, & aliorum. Num. 17.

11 Quod miraculosior existat conceptio Mariæ, ex vtroque parente sene, & sterili, quam conceptio humanitatis Iesu; siue quia Christi conceptio ex opinione Aleusis, & grauium Theologorum, etsi fuerit valdè mirabilis, non tamen miraculosa extiterit, conceptio verò Mariæ miraculosa sit: siue quia extensiue maius miraculum est duos parentes omnino inhabiles ad generandum, cooperari ad productionem sobolis, quam Mariam fœcundam, adolescentem, & habilem suppleto vno solum comprincipio paterno filium generare: vt innotescit ex Hugone Cardinali, Antonino, Salmerone, Toleto, & alijs, aut proprio, aut alieno nomine disputantibus. Num. 18.

12 Quod supposita opinione Abulensis, Sabbæ Abbatis, & plurium aliorum dicentium Ioachimum, & Annam, pluribus annis post ortum Christi, simul cum ipso, & Maria conuixisse, probabile sit asserere de Ioachimo, & Anna, quod de S. Iosepho, & Baptista, opinantur plures, aut æquales, aut superiores fuisse Apostolis in gratia habituali interius sanctificante, etiamsi nullus ex ijs quatuor superstes fuerit tempore Dominicæ Passionis, & Pentecostes: habuerunt vtque Ioachimus, Anna, & Ioseph, ministerium attingens ordinem vnionis hypostaticæ, pertinens ad Authorem vtriusque

vtriusque testamenti, quod iuxta Suarium, altius quodam modo est gradu Apostolico, cuius doctrinæ plura alia fundamenta numerantur. Num. 20.

Ex tertia parte, de pertinentibus ad infantiam Virginis.

13 QVod Maria habuerit appetitum sensitiuum instructum ad omne opus bonum, & fomitem virtutum vniuersarum, siue id emanauerit ex dependentia ab speciebus sensibilibus insensatis, siue ab speciebus sensatis, per quas bona secundùm virtutem, quantumuis ardua, grata, & excitantia sui amorem viderentur; & mala in genere moris quantumuis pulchra, & suauia, vt ingrata, & molesta appetitui representarentur, quemadmodum ex Theologis persuadetur. Num. 5.

14 Quod Maria nullam passionem, vel affectum materialem habuerit, præuenientem in voluntarie ipsius libertatem, vt opinantur Ægidius, Medina, Toletus, Suarius, Sorius, & alij ex communiore Patrum, & Theologorum sententia. Num. 6.

15 Quod Maria etsi plures habuerit Legiones Angelorum, pro custodia quæ obsequium, & famulatus nominatur, nullum habuerit cui commissum sit exercitiū protectionis superioritatem importans, ex Francisco Marone, Odone Cameracensi, & alijs, & quod Doctores alij exponendi sint de custodia famulante, & obsequente, non de custodia instar superioris protegente. Num. 9.

16 Quod Maria infans, & adolescens abdita in Templo Domini, sæpè non communibus alimentis, sed alijs purissimis, selectissimis, potentissimis, ex Angelorum ministerio vsa fuerit, vt Andreas Cretensis, Georgius Nicomediensis, Ioãnes Geometra, Menologia Græca, & plures alij testantur. Num. 11.

17 Quod vox ambrosia, etsi falsorum Deorum alimentis, Gentilium Poetarum ritu fuerit attributa, optimè à Patribus, Scholasticis, Historicis, & Menologijs accomodetur alimentis Deiparæ commorantis in Tem-

Templo: sic sacræ scripturæ voces Titanum, Sirenum, Onocentaurorum, Orionis, & similes alias Gentilicas vsurparũt. Num. 12.

18 Quod multæ sint opinandi semitæ quibus pia, probabilis, & valdè credibilis reddatur sententia Enodij, Germani, Georgij Nicomediensis, Menologij Græcorum dicentium Mariam plures annos in Sanctis Sanctorum traduxisse. Numer. 13.

19 Quod votum virginitatis ante omnes fœminas, & viros à Maria emissum, non fuerit notum Sacerdotibus Hebræis, vsque ad Christi in cœlos ascensum, ex sententia Damasceni, Magistri, Gratiani, & aliorum Patrum, & ex efficacia rationum id persuadentium. Num. 16.

20 Quod historiæ sub falso nomine Hieronymi, circa sponsalia Virginis, de coactis consangineis Mariæ, secum virgas deferentibus, & nonnullæ aliæ falso adscriptę Hieronymo, sint non solum contra graues Doctores, sed etiam contra veritatem, & exigentiam scripturarum. Num. 17.

Ex quarta parte, de pertinentibus ad corpus Deiparæ, & iustitiam originariam corporis ipsius quoad intrinsecã.

21 QVod de corporibus conditis in statu innocentiæ, vel cum perfectione eiusdem status, non formemus legitimos, & veros conceptus, quia sumus assueti miserijs, iuxta Alensem in summa approbata ab Alexandro IIII. ex prefatione huius quartæ partis.

22 Quod de corpore Christi, quoad excellentiam, & prærogatiuas corporeas multo sublimius, quam de cæteris corporibus humanis post lapsum Concilium Ephesinum, Chalcedonense, & sexta Synodus, Patres, & Doctores philosophentur, & ex consequenti similiter sit statuendum de corpore Deiparæ. Num 1.

23 Quod grassantibus initio Ecclesiæ erroribus veram carnẽ Christo denegantibus, Tertullianus, & alij quidam cum Hieronymo, solum per condescentiam, & excessum, & quasi ex donatione superabundanti facta hæreticis, admiserunt in corporibus Christi, & matris abiectiones quasdam naturæ

vulre-

vulneratæ peccato, quas ipsi Doctores non ex proprio sensu admittebant imo repudiabant. Num. 1.

24 Quod primæuum peccatum, non solum humanorum corporum, sed etiam aliorum mixtorum excellentias, quoad accidentalia vulnerauerit ex Basilio, Chrysostomo, Aymone, Vincentio Veluacensi, Alberto, Carthusiano, Palacios, Aluarez, Salazar, Siliceo, & alijs innumeris. Num. 2.

25 Quod corpus Christi, quoad intrinsecam constitutionem nullum acceperit vulnus peccati, nec substantialiter, nec accidentaliter, sed fuerit sicut in prima plantatione ante peccatum ex Ambrosio, Thoma Hierosolymitano Patriarca, Alberto, & innumeris Patribus, Doctoribus, & Concilijs, & quod idem ex consequenti, dicendum sit de corpore Mariæ. Num. 1. 2.

26 Quod corpus Mariæ in sua specie, & sexu, maximè perfectum, aut æqualem, aut sublimiorem excellentiam facultatum, & temperamentorum habuerit, quam humana corpora ante peccatum, ex communi Doctorum sensu cum Antonino, Alberto, Suario, Corduba, Canisio, Salazar, & plerisque alijs. Num. 2.

27 Quod ex corporibus infirmis, læsis, & vulneratis à primæuo peccato, non sint in omnibus, aut plerisque sumenda argumenta Philosophorum, & Medicorum, à simili ad probãdum inesse corporeas seruitutes peccati in Maria, & Iesu cõditis cum prærogatiuis intrinsecis primæ plantationis ante peccatum. Num. 1. & 2. & 3.

28 Quod singulares qualitates, & virtutes occultas potentissimas ad extraordinarios effectus, tam intrinsecæ constitutionis, quàm extrinsecę operationis impresserit Deus corpori Iesu, ex opinione Alberti, Paludani, Capreoli, Ferrariensis, Vincentij, quibus Ephesinum Concilium, & sexta Synodus suffragantur, & ex parte similiter sit philosophandum de corpore Deiparæ. Num. 3.

29 Quod virtutes potentissimæ, & extraordinariæ prærogatiuæ inditæ sint corpori Mariæ, ex Alberto, Gersone, & alijs plurimis. Num. 3.

30 Quod corpora Mariæ, & Iesu, considerato aggregato omnium circumstantiarum, cum decreto Dei, naturaliter nouem mensibus in maternis visceribus fuerint gestata; & retardatio ortus, & incrementi vtriusque facta sit propter peculiarem

rem naturalem legem ipsis latam, ex qua nobis assimilari oportebat in ijs quę indecentiam non importarent, ex communiori Doctorum sensu. Num. 4.

31 Quod nihilominus, quia materiæ quas informare debebāt animæ Christi, & Deiparæ, nullam habebant cruditatem, spurcitiem, rebellionem, immaturitatem, sed erant purissimæ, & limpidissimæ ex communi Patrum, & Scholasticorū sententia, naturale fuit, vt idem esset dies primæ conceptionis, & animationis humanæ in ipsis. Num. 4.

32 Quod primo die coniunctionis parenrum, non habeat soboles animam rationalem, sed illius ingressus diebus aliquot retardetur effectus pœnalis est originariæ culpæ, iuxta S. Eligium, Iacobum de Voragine, Gabrielem Barcleta, Salmeronem, & alios, ideò Iesus, & Maria, cum nullo effectu pœnali originariæ culpæ, quoad intrinsecam constitutionem grauarentur, non habuere materias corporum, sub embrionibus vegetatiuis, & sensitiuis. Num. 4.

33 Quod Spinelus, cum alijs, ait miraculum fuisse, vt Maria cum perfectissimis prærogatiuis corporis, quoad valida tēperamenta, & facultates fuerit fœmina, valdè est verisimile, maximè si vnica causa huius sexus post peccatum in vitium seminalis materiæ, & virtutis formatiuæ reducitur, & non in conceptionem, aut dextra, aut sinistra parte elaboratam, vt Dionysius Carthus. & alij existimauerunt. Num. 4.

34 Quod cum alijs pluribus Alexander Alensis, in summa ab Alexandro IV. approbata, dixerit corpora humana in statu innocentiæ, pro formatione prima maiora esse debuisse, quā nunc in secunda conceptione animata, parem habet probabilitatem pro Maria, & Iesu, conditis cum prærogatiuis intrinsecis primæ plantationis ante peccatum; & quod sic Hieronymus Natalis, & Cardin. Toletus senserint. Num. 4.

35 Quod corpora Mariæ, & Iesu, quatenus miraculose formata in prima conditione, nihil à cœlorum influxu acceperunt, iuxta Sorium, & omnes illos Doctores, qui tuentur solam Dei omnipotentiam miracula huius generis operari, sine concursu cœlorum. Num. 5.

36 Quod quanquam Augustinus dubitanter, Oleaster, & alij apud Bellarminium assertiue dicant in statu innocentiæ eūdem fore diem conceptus, & ortus infantium; & quanquam supposita maturitate, & perfectione Christi, & matris quodam-

dammodo hæc prærogatiua deberetur, absolutè tamen naturale fuit, vt tam Deipara, quam Filius nouem mensibus gestarentur in visceribus maternis. Num. 6.

37 Quod etiamsi quidquid substantiæ comitatur primam animarum introductionem ex parte corporum Mariæ, & Iesu, totum fuerit acceptum à generante, plurima tamen de accidentalibus perfectionibus, nec formaliter, nec virtute in generante continerentur, ex Medicorum, & Theologorum sententia, circa ea præsertim quæ cum alijs scripsit Gerson. Num. 7.

38 Quod etiamsi omnes potentiæ rectrices sint exquisitè in qualibet cerebri parte, non repugnet Mariam, & Iesum habuisse singulos internos sensus perfectos in summo; ita vt licet identificentur prædicti sensus interni, secundùm diuersas partes cerebri singulæ facultates rectrices vrgerent in summo. Num. 8.

39 Quod doctrina Patrum ducentorum & viginti in Synodo Trullana denegantium partui Virginis secundinas, & doctrina sanctæ Brigittæ vnicam tantum secundinam, eamque limpidam, & nitentem concedat, validâ secundùm Philosophiam probetur; ex doctrina Theologorum denegantiū sordes in statu innocentiæ, & conferentium plures circumstantias prægnantium fœminarum in peccatum originarium, cuius effectus quoad intrinsecam constitutionem corporū Mariæ, & Iesu, nullatenus admittuntur. Num. 9.

40 Quod in statu innocentiæ proximè ab ortu infantes dependenter à phantasmate, cognoscere, & expedite moueri potuissent, docuere Augustinus, Anselmus, Alexander Alensis, Estius, Angles, & plures alij cum D. Thoma, in sententiarijs ad Annibaldum; atque idem omnino tribuunt non pauci Christo Domino, cum Alberto, Antonino, & alijs, & Beatæ Virgini cum Vincentio Veluacensi, Antonino, & alijs: atque id plurimis argumentis, & testimonijs confirmant, addunt tamen semper instar aliorum infantium se gessisse: inde etiam probant stato tempore liberam fuisse, vtriusque natiuitatem, quoad modum è maternis claustris exeundi. N. 10.

41 Quod in statu innocentiæ, nullum esset sordidum excremētum ex cibo, aut potu docuere S. Thomas, Albertus, Alensis, Marsil. Scotellus, Ægid. & alij innumeri; idque Philosophicè, & Medicè pluribus validis argumētis adstruitur ab alijs.

B Cum-

Cumque Christi corpus ex Concilijs,& Patribus, aut æquè perfectum, aut perfectius fuerit, quam Adami corpus ante lapsum, similis ipsi prærogatiua defertur. Pariter de corpore Virginis iudicatur, quod Patres, & Scholastici sublimius de illo, quam de Eua ante peccatum philosophentur. Ex hac opinione plura commoda venantur pro firmanda munditie partus Virginei, pro explanatione mysterij purificationis, pro declaratione sudoris sanguinei in horto, pro defensione tunicæ inconsutilis, quæ Christo crescente crescebat, pro cõmoratione Deiparæ in Sanctis Sanctorum, pro illustratione iustitiæ originariæ Christi,& Matris, & pro alijs prærogatiuis, historijsque similibus. Addunt, quod quemadmodum corpora Paradysi verè essent eiusdem naturæ cum nostris, nec phantastica crederentur, similiter pro Christo,& Matre decernendum esse. Num.11.

42 Quod ex communi doctrina S. Thomæ, Alberti, Bonau. & plurium Scholasticorum denegantium sudorem, & madorem in Paradyso, similiter sit philosophandum de corporibus Christi, & Matris, quæ nec propter debilitatem facultatis conuersiuæ, nec propter indigestam, crudam, & fœtidam materiam, quæ illis non infuit, aut sudore, aut madore fœdarentur: & quod propter defectum prædictæ materiæ Christus in horto sanguinem sudauerit, ex Caietano, Medina, Suario, Salmerone. Quod autem S. Ephrem, & alij interdum Christo peregrinanti,& laboranti sudorem attribuant, non de sudore consuetæ materiæ, sed de sudore ex nobilissimis humiditatibus vi caloris, aut laboris expressis intelligendi sunt. Num.11.

43 Quod ex communiori Patrum Theologorumque sententia Deiparæ, tam grauidæ, quàm panenti summa corporis mundities deferenda sit. Nec eius,& Christi vestes consuetis seruitutibus peccati fuerint contaminatæ. Num.12.

44 Quod ex Ruperto, Alberto,& alijs plurimis menstrua sint effectus peccati, & in Paradyso non essent: ac proinde ab Antonino, Toleto, & alijs plurimis Virgini denegentur. Num.13.

45 Quod licet Anaxagoras, Plinius, Vincentius, & plures alij dicant, fellis foliculum, non esse de integritate naturæ humanæ,& licet plura exempla memorent Nicolaus Nancelius, Cornelius Gemma,& alij, verius est corporibus condi-

tis

tis iuxta primam plantationem ante peccatum hoc receptaculum concedendum. Quod verisimilius est horum corporum folliculum, aut vesicam caruisse mordaci illa materia excrementitia, & adaptari possunt huic opinioni verba S. Augustini, & D. Thomæ tractantium de felle Christi. Nu. 14.

46 Quod lien, seu splen, non sit de integritate naturæ humanæ, sed illi accidentaliter insit ex Aristot. Alberto, Vincent. SchenKio, & alijs, nihilominus verius sit, quod hoc receptaculum, etiamsi limpidissimum, & defœcatissimum à sordibus infuerit corporibus cōditis ante peccatum, & in Maria, & Iesu, cum prærogatiuis primæ plantationis formatis. Num. 15.

47 Quod licet in corporibus status innocentiæ, & Christi, & Matris essent saliuæ, ex nobilibus humiditatibus cerebri descendentes, non tamen saliuæ pituitosæ, aut rheumata ex cruditate ventris, aut cerebri grauatione: erat quidem in illis pituita vnus ex quatuor humoribus, at non saliua pituitosa. Certe Medina temerarium credit hanc saliuam pituitosam, & rheumaticam Christo concedere. Num. 16.

48 Quod Scotus dubitat de præcisis vnguibus, & capillis Christi: & quod Anselmus asserit, nunquam Iesum barbæ, aut capillorum tonsione indiguisse, est æquè credibile iuxta Philosophiæ, & Theologiæ leges, atque illud dictum S. Hieronymi de filijs Israel palantibus in deserto annis quadraginta, quod nec vnguium, nec capillorum incrementa senserint. Num. 17.

49 Quod licet infantes Paradysi vulgares ætates infantiæ, pueritiæ, adolescentiæ, & iuuentutis percurrerent, & eas de facto Maria, & Iesus percurrerint, vt ex Concilijs, Patribusque innotescit, verum non mutauerint varias ætates perfectiuas Philosophicè, & Medicè consideratas propter plura fundamenta, & maximè propter defectum cruditatis, immaturitatis, & resistentiæ materiæ, ex sanctis Ambrosio, Bernardo, Antonino, Bonau. Gersone, & alijs quibus succurrunt valida Medicorum, & Philosophorum, & Theologorum fundamenta. Num. 18.

50 Quod somnus Paradysi, nec libertate, nec merito priuaretur ex Alensi, Isidoro, Gregorio, Patriarcha Ximenio, & alijs plurimis, & non tam esset somnus consuetus, quàm somnus qui sopor dicitur. Idem graues Doctores opinantur de

de somno Virginis, quo non obstante, & libertate, & meritò gaudebat per scientiam à phantasmate dependentem, ex S. Bernardino, Brigitta, Patriarcha Ximenio, Mendoza; & alijs. Num. 19.

51 Quod cum lac Annæ in senio permanentis ex miraculo continuo produceretur, & lac Deiparæ fœcundæ, & adolescentis, supposito partu naturaliter gigneretur, miraculosior fuerit lactatio Mariæ ex Anna, quam Iesu ex Maria. Num. 20.

52 Quod in quæstione Philosophica, & Medica, an cum certis circunstantijs, & principijs homo mortalis possit non mori, parem habeamus causam opinandi pro corporibus Iesu, & Mariæ; vt qui dicunt cum Galeno, posse hominem mortalem non mori, idem asseuerent sub eisdem conditionibus, & suppositionibus de Christo, & Matre. Num. 21.

53 Quod qui cum Ægidio à præsentatione docent, saltem pro aliqua vitæ parte sanitatem Christi mortalis, aut æquè perfectam, aut perfectiorem fuisse, quam corporum beatorum in patria, similiter opinabuntur de sanitate Mariæ mortalis. Et quod hæc quæstio de nomine sit, pendens à varietate definitionum circa essentiam sanitatis. Num. 21.

54 Quod pulchritudo Christi, & Deiparæ ante mortem substantialiter, maior fuerit saltem in aliqua vitæ parte, quã corporum beatorum, lis est, quæ pendet ex quæstione de nomine, & ex varijs Authorum definitionibus pro pulchritudine, iuxta nonnullas substantialiter fuit maior, iuxta alias esse non potuit æqualis. Num. 22.

55 Quod Maria à mortuis resurgens, quoad pulchritudinem summam substantialiter, vitæ mortalis non acceperit incremẽtum, quæstio de nomine, & definitione est, sicut præcedens: iuxta quorundam definitionem, quidquid additum fuit in resurrectione supra pulchritudinem summam substãtialiter acceptam vitę mortalis, non ad pulchritudinis essentiam, sed ad elegantiam pertinebat: ex confusione pulchritudinis, & elegantię varia opinionum diuortia possunt oriri. Num. 22.

56 Quod sicut Sara nonagenaria, ex Scripturis, Antonino, & alijs, summam pulchritudinem conseruabat, ita Maria septuagenaria similem florentem pulchritudinem retinuerit

non

non immeritò plures, cum eodem Antonino defendunt. Num. 22.

57 Quod liber Canticorum, in Sponsa pulchritudinem corporalem Deiparę adumbret, & describat in toto corpore, & in singulis membris, iuxta Petrum Damianum, Ludouicum Legionensem, & alios grauissimos Doctores: quod Anselmus, Nicephorus, Epiphanius, Albertus, Antoninus, sigillatim describant, & delineét staturam Deiparę, colorem cutis, colorem capillorum, colorem oculorum, & similia, non minutię sunt contemnendę cum à tot, & tam grauibus Doctoribus hęc cura suscipiatur. Num. 22.

58 Quod magna pars sanguinis, & lactis Deiparę sub alia tamen forma substantiali, & supposito, permanserit in Christo vsque ad mortem, & nunc permaneat in Eucharistia, communissima Theologorum sententia est, cui adhęrent S. Bernardinus, Scotus, Suarius, & plerique alij. Validissimisque Philosophorum, & Medicorum fundamentis, simulque experimentis solidatur. Num. 23.

59 Quod aliqua pars sanguinis Deiparę, cum eadem numero forma substantiali, quam habebat in ipsius venis, fuerit in Christo vsque ad mortem sub alio supposito, scilicet diuino, & nunc permaneat in Eucharistia, dicent quotquot idem affirmant de plurimis filijs conseruantibus vsque ad mortem partem eiusdem numero sanguinis, quæ sub eadem numero substantiali forma, per vmbilicaté sanguinem transiuit è venis matris in venas sobolis; & quotquot Theologi dicunt in resurrectione supplementa, & addicamenta necessaria sanguinis, sumi ex primigenio sanguine. Num. 24.

60 Quod omnibus hactenus dictis succurrant, quotquot iustitiam originariam animæ, & corporis, quoad intrinseca Mariæ deferunt, ex Dominicanis, Minoritis, Iesuitis, & ex alijs gremijs qui allegantur in hac quarta parte. Num. 1. 2. 11.

(.✝.)

Ex

61 QVod ad perfectionem, & munus matris, vel ad essentiam generationis, non est necessarium depellere contrarias dispositiones, & oppositas formas substantiales, spectantes ad terminum à quo, qui est extrinsecus, & accidentarius; sufficit producere, aut vnire terminum ad quem formalem. Quidquid spectabat ad terminum à quo prædictum, & ad apparatum organorum, & corruptionem contrariorum, solus Spiritus sanctus præstitit in generatione humana Iesu; at generationem substantialem, seu productionem physicam humanitatis Christi momento peractam, tam validè, & integrè operata est Maria, quàm aliæ matres. Num. 3.

62 Quod in sententia Nominalium, Scoti, Bassolis, & aliorũ plurium docentium, nullum patrem effectiuè concurrere ad generationem filij, sed solam matrem, nullum concursum actiuum patris creati, tendentem ad terminum ad quem suppleuerit Spiritus sanctus: & cum aliunde Maria omnem materiam corporis à patre creato tradendam ex suo concesserit, integrum pręstiterit concursum paternum, & maternum, tendentem ad terminum ad quem pro generatione Iesu. Iuxta horum Doctorum sententiam verè fuit Deipara Matripater Christi interueniente miraculo, sicut naturaliter apes, & pisces matripatres suorum fœtuum à Philosophis nominantur. Neque verò idem sunt matripater, & Hermaphroditus, cum matripater vnicum tantum habeat sexum; Hermaphroditus verò duos. Ex Doctoribus autem qui docent Patres actiuè concurrere ad productionem filij, nonnulli sic opinantur, vt etiam intercedente miraculo, & obumbratione Spiritus sancti, Maria verè sit matripater Christi, quod cum ex arbitrarijs philosophandi semitis dependeat, multiplex est arbitrandi via, ex Vincentio Beluacensi, Antonino, Bonauentura, & pluribus alijs Doctoribus: quædam ex illis Matripatrium deferunt Virgini, quædam illud tueri non valent. Num. 6.

63 Quod vox matri patris, id est, matris & patris, simul à sanctis Anselmo, Antonino, & alijs, Mariæ atributa, iuxta quasdam opiniones Philosophicas, & Medicas, propriè, & sine metaphora adaptari nequeat Mariæ; iuxta alias verò cũ proprietate, & integritate ipsi possit attribui, ex proximo

nu-

numero infertur. Neque ideò siue sic, siue aliter arbitreris sequitur duas habere matres Christum Iesum, alteram propriam, alteram metaphoricam, sed vnam tantum legitimam genitricem, cui præter proprietatem, & integritatem materni muneris absque metaphora, aliquid addatur in re ipsa, quod metaphorica voce explanetur: similiter Patres, & Doctores, qui cum Synesio hymno 3. primam Trinitatis personam Patrem, & Matrem nominant; & qui cum August. 7. de ciuitate, cap. 9. Deum Patrem, & Matrem appellant, non ideò duos patres in Trinitate confitentur, quorum alter sit pater proprie, alter metaphorice ratione metaphoricæ maternitatis: sed vnum tantum, qui secundum respectum proprium, & adæquatum muneris paterni sit proprius Pater, secundum alios verò respectus, & comparationes nomine declaretur, quòd aliquid metaphoricum contineat. Num. 6.

64 Quod vox matripatris, aut patrimatris, idest eius qui simul pater, & mater nominetur, non sit noua, neque indecēs, inde constat, quia Doctores eam æterno patri adaptarunt, & S. Anselmus, & S. Antoninus, & plures alij eam Deiparæ applicauerunt. Num. 6.

65 Quod Maria sola plures gradus gratiæ, & meritorum habuerit, quam omnes Angeli, & iusti, qui fuerunt, & futuri sunt, si in vnum cumulum aggregentur, grauium Doctorum opinio est, quam nemo, vt absonam, vel improbabilem hoc seculo contemnit: illud ægrè audierunt nonnulli, vt hunc excessum gratiæ, & meritorum, veluti certum enuntiaremus: illum tamen si quædam suppositiones apud Theologos receptæ admittantur, indubitanter esse concedendum per demonstrationem Mathematicam euincitur, ita vt negari non possit ineffabilis excessus gratiæ Deiparæ in termino vitæ mortalis supra collectionem plurium millionum millionū mundorum, quorum singuli multo plures haberent Angelos, & iustos beatos, quam de facto erunt, atque id certissimum est, etiamsi gradus gratiæ ætherogenei essent, & etiam si mēsura vltimæ gratiæ Angelorum, & iustorum ignoretur, & etiamsi Angelorum, & beatorum numerus nobis sit incognitus. Num. 15. & 16.

Ex

66 QVod ex mente Seraphini Porrectæ, Ioannis à S. Thoma, & aliorum quorumdam Thomistarum, nunquam S. Thomas disputauerit, an Deipara in prima animatione fuerit sancta, sed vtrum ante animationem habuerit sanctitatē, atque contra Pelagium solum disputauerit, vtrum Deipara ex vi principiorum generantium illam possederit in prima animatione. Quod ex eorundem mente, nunquam assertiuè negauerit sanctus Doctor, Mariam ex priuilegio gratia habituali in primo animationis instanti fuisse donatam. Ex hac, & alijs opinionibus Thomistarum, graues Doctores aiunt nunquam, & nusquam Angelicum Magistrum, opinioni affirmatiuæ sui contrariæ, licet sæpè negatiuæ sententiæ in thesi de Conceptione Virginis suffragatus fuerit. Additur, quod nec S. Thomas, nec Albertus, nec plerique alij grauiores, & antiquiores Scholastici vnquam, aut usquam docuerint Mariæ animam, in prima animatione habuisse peccatum originale, formale, & actuale, licet senserint propter durantem efficaciam seminis in primo eodem instanti, illi infuisse peccatum originale in debito, quod extinctum fuit tempore immediatè sequenti primam animationem, propter destructam vim generatiuam seminis paterni, quæ iam generatum hominem generare non valebat. Hæc declarantur, & proponuntur, vt legitima asserta D. Thomæ, & Scholasticorum. Num. 1. & 2.

67 Quod ex antiquis Scholasticis Parisiensibus ab anno 1275. vsque ad annum 1370. nonnulli propter decretum Episcopale Mauritij, aut obscurè loquuti sunt, aut per condescendentiam, in thesi de Conceptione Deiparæ, etsi firmiter crederent Mariam, absque originaria culpa formali, & actuali fuisse productam. Num. 3.

68 Quod licet dicatur ex decreto Gregorij XV. declaratum esse quid nunc sub conceptionis voce Ecclesia intelligat, nulla imponatur nota doctrinæ à quibusdam Thomistis Angelico Doctori attributæ: cum solum affirmetur iam Ecclesiam aliquid publico cultu venerari, quod illius tempore nō celebrabat. Præterea, quia licet Ecclesia suam mentem declarauerit, non illam definiuit, sed etiam exposuit sub probabilitate ad cultum publicum exhibēdum, sicut alias quasdam

dam

dam circunstantias de festo Præsentationis. Num. 5.

69 Quod opinio Cyrilli, Chrysostomi, Theophilacti, Nicephori, & aliorum Græcorum dicentium, Christum pridie Paschæ celebrasse, anteponendo per vnum diem Paschalem cultum, quando panis fermentatus non erat prohibitus, & quod deinde peracta cœna legali in pane Azymo, posteà pro cœna vsuali redierit ad panem fermentatum, & in illo Eucharistiam consecrauerit, nec dum sit à Concilijs, & Sede Apostolica nota, & cẽsura Theologica condẽnata, iuxta opinionẽ pluriũ: atque adeò Latinã Ecclesiam permittere Gręcis, vt iuxta hanc opinionem in fermentato celebrent. Ex quo inferunt, nonnulli plura permitti Græcis pro sua opinione, intra limites Ecclesię Latinę, quam permittantur tutoribus opinionis affirmatiuę, in controuersia de conceptione. Pręterea ex hóc capite, fœliciorem habere statum opinionem negatiuam cótra affirmatiuam, de prędicta thesi conceptionis, quam habeat opinio de Azymo pro Encharistia, contra opinionem Græcorum de fermento. Num. 7.

70 Quod coniectare, & opinari cum Gregorio de Valentia, & alijs, sententiam negatiuam temporum progressu futuram esse, ęquè certam, atque illam, quę ait Deiparam à mortuis surrexisse, nullam inferat censuram Theologicam opinioni affirmatiuę, quemadmodum Grabrina contendit. Nam quę coniecturaliter, & opinatiue dicuntur in futurum euentura, ex prędijs circunstántijs nullam inferunt cẽsuram, quę semper importat certum iudicium Ecclesię, aut vnanimis consensus Patrum, vel Scholasticorum. Num. 8.

71 Quod ex decreto Pauli V. & Gregorij XV. etiam si nulla Theologica nota imponatur opinioni affirmatiuę, illa in deteriori statu fuerit collocata, nam licet dicant Pontifices se relinquere opinionem prædictam in eisdem statu, & terminis, addunt tamen, *Præterquam quod in supra dicto Pauli V. & in hoc decreto disposita* Num. 8.

72 Quod Ægidius à Pręsentatione, Franciscus Suessa, Suarius, & alij dicunt solemnitatem de immaculata Conceptione, & sententiam negatiuam, aut esse canonizatam, aut quodam modo canonizatam, nullam infert censuram opinioni affirmatiuę: quia benè stat solemnitatem, & sententiam negatiuam in ratione maioris probabilitatis esse canonizatam, quin ipsa Cõceptio canonizetur, sicut tempore Pij V.

C ca-

canonizata erat solemnitas Præsentationis Virginis, non tamen ipsa præsentatio gradum canonizationis habebat: sic etiam negatiua sententia in ratione magis probabilis ita canonizata est, vt nullus possit interius sentire, hanc sententiã non esse talem, vt merito Ecclesiam mouere potuerit ad solemnem cultum, & venerationem. Ipsa verò Conceptio, quoad externum cultum sine definitione obligante interiorem assensum imperfectè solum canonizata dicetur. Num. 9.

73 Quod plures cum Ægidio de præsentatione, & cum Salazar asseruerant esse de fide sententiam negatiuam, in thesi de Conceptione, opposita esse probabiliorem. Num. 10.

74 Quod sola Conceptio Christi ex Deipara, & sola Conceptio Deiparæ ex Ioachimo & Anna, fuerint miraculosæ in se, & non in solis causis, quales sunt conceptiones Isaac, Iacob, Sansonis, Samuelis, & aliorum, pluribus documentis, & testimonijs suadetur, quinta parte tabularum, num. 17. & ex ea doctrina in sexta parte, num. 11. aliquæ oriantur opiniones probabiles ex quibus Deipara à proximo debito originariæ culpæ liberetur. Num. 11.

75 Quod pactum Dei initũ cum Adamo, solum comprehenderit naturales generationes humanas, etiam si in causis fuerint miraculosæ, non verò generationes miraculosas in se, qualis certo fuit sola conceptio Christi, & opinatiuè sola Conceptio Mariæ; atque hac ratione Mariam habuisse debitum remotissimum, & secundùm quid, non verò debitum proximum, aut absolutum remotum, id est haberet absolutũ debitum peccati, si ex meritis Christi non formaretur miraculose in se, aut ex alio titulo eximeretur. Num. 11.

POSTVLATA.

POssunt legitimæ partes in iudicio id suo iure postulare, quod sacri Canones, & Concilia, vel praxis Ecclesiæ, vel Sanctorum Patrum, & Scholasticorum sententia, vel communior sapientium sensus firmauit, & approbauit. Neque vero dum hæc præstant, leges ferunt & indicunt, sed iam latas, & indictas poscunt executioni mandari. Quemadmodum neque, qui suas producit actiones, aut ex-

exceptiones coram iudicibus, aut legibus, aut argumentis munitas, is quidquam sibi arrogat imperij supra Magistratus, imò ipsos, vt legum diuinarum, & humanarum executores honorat.

Considerandum maximè si doctrinæ obnoxiæ censuræ ab ea liberentur, Ecclesiam, & fidem lædi, & vulnerari. Quod si probabiles sint, & à Theologica censura immunes, & nihilominus condemnentur doctrinam, & Religionem Christianã in maximum discrimen adduci, & eos qui sic deliquerint à Sixto IIII. Concilio Constantiensi, Pio V. Gregor. XIII. Augustino, Nazianzeno, & grauissimis Doctoribus allegatis in voto Platonis, tractatu de examine doctrinarum, cap. 12. & in præludio 8. aut velnti præsumptuosos, aut veluti in fide suspectos, aut veluti disciplinæ Christianæ euersores cõdemnari. Quicumque in adhibenda censura ad dextram, vel sinistram declinauerit violator est fidei, & Religionis. Superest, vt postulata nostra proponamus.

In primis Synodus Tridentina, ses. 18. nomine totius Ecclesiæ pollicetur Authoribus librorum, illos indubitatè benignam audientiam accepturos. Hanc iuxta Concilij promissionem, & perpetuam seculorum consuetudinem exhibẽdam nobis ab æquissimo, & sanctissimo, semperque melioribus, & tutioribus inhærente Inquisitionis Supremo in Hispanijs Senatu, speramus, & postulamus, iuxta ea quæ latè proponuntur ex varijs locis, & gestis Concilij Tridentini, & Basileensis, & sanctorum Cypriani, & Basilij, & alijs, in voto Platonis, tractatu de examine doctrinarum, cap. 22.

Secundum postulatum ea continet, quæ in præmisso tractatu exposita sunt, cap. 20. vt scilicet simul etiam cum Theologis consulantur periti in ea parte, ad quam controuersiæ spectare videbuntur, v.g. quæ parte quarta tabularum de prærogatiuis corporum Christi, & Matris, & quinta parte de essentia maternitatis exponuntur, ad doctissimorum Medicorum consilium, & examen aduocentur, cum ipsi eas theses magis ex professo disputent, quàm Theologi; & in similibus potius standũ sit rationibus, & experimentis, quàm humanæ authoritati solitarie sumptæ.

Tertium est, vt Censores non propriam opinionem priuatam, sed Ecclesiæ sensum, aut vnanimem Patrum, vel Scholasticorum sententiam producant: nam decisiones volun-

luntarię, aut irrationalia vota, nec ratione, nec authoritate vallata, nec in Concilijs, nec in Tribunalibus admittuntur pro causis doctrinalibus, vt prędicto capite dęmonstratur.

Quartum est vt in illis doctrinis, quę pro se habent graues Authores, producantur ad earum condemnationem à Censoribus irrefragabiles definitiones Conciliorum, aut Decretalium, vel euidentes rationes, & demonstrationes, vt prę-misso capite ex Innocentio Papa, & alijs fundamentis euincitur esse faciendum.

Quintum est ad cōdemnationem alicuius doctrinę, etiam in Concilijs Generalibus non sufficere aliqua suffragia, imo nec maiorem partem suffragiorum, vt in prędicto tractatu per totum cap. 21. ex Salmerone, Bellarmino, Vincentio Lyrinensi, & grauissimorum Conciliorum praxi stabilitur. Idcirco si multi scientia, & veritate pręstantes propositas doctrinas â censura liberent, non obstabit aliorum aduersa censura quominus illę probabilissimę iudicentur.

Sextum est, quoniam etiamsi fideliter, & legitimè Authorum testimonia allegentur ex causis productis 3. cap. prædicti tractatus de examine doctrinarum, continget eas non inueniri, aut interdum ex errore Amanuensium, aut Typographi numeri allegationum, aut inuertuntur, aut commutantur, poscimus, vt si aliquod testimonium non concordet cum producto, Authore, vel libro, â nobis exigatur legitima collatio, aut editio, ex qua illud mutuati fuerimus. Sic 1. p. Tabularum, num 7. vbi dicitur, *Iosephus 3. de bello Iudaico*, est error præli, legendum *lib. 7. cap.* 18. & num. 15. vbi dicitur Cassiodorus lib. 3. legendum *lib. 6.* Tertia parte tabularum, num. 21. 22. emendādæ fuit litteræ Dominicales vitio Amanuensis, aut Typographi transpositæ: nam annus 25. ante ortum Christi fuit bissextilis, eiusque litteræ Dominicales F. E. quo ordine reliquæ sunt emendandæ. Num. 21. & 22. Et in eadem parte num. 4. linea 5. post illud, *Franciscus Suarius tom. 2. in 3 p disp. 4 sect. 4.* addendum, quod omisit Typographus, *Si iungantur, quæ scripsit lib. 10. de gratia, cap. 8.* Et quarta parte tabularum, quaternione R. fol. 1. vbi dicitur, *pag. 2. Brigitta, lib. 1 cap. 2.* legendum, *cap. 20.* Et fol. sequenti, pag. 1. vbi dicitur, *Vincentius lib 22. speculi naturalis, cap. 1.* legendum *lib. 16. cap. 8.* Et in quaternione AA. pag. vltima, pauló ante med. vbi dicitur, 1596398044. *id est*

mil-

millies, millies quingenties, &c. legendum, 15969 38044. *id est millies, millies, millies, &c.* In quaternione BB. pag. 2. in medio scriptum est, *bis mille milliones quingenties*, legendũ, *bis mille millies, &c.* In eodem quaternione, & pag. paulò vltra medium scriptum est, *Sexcentesies, ac sexagesies sexies*, legendum, *Sexcenties, ac sexagesies sexies*. Propterea poscimus, vt in alijs similibus erratis ad satisfaciẽdum cogamur.

Septimum postulatum plura comprehendit quæ in præludijs, & tractatu de examine doctrinarum fusius tractantur, & probantur.

Postulata pro censura hæresis, vel erroris inferenda propositionibus ventilandis.

VT, quæ proponuntur 4. & 5. præludio, & in voto Platon. cap. 6. tractatus de examine doctrinarum, obseruentur: & singulariter inter alia.

Opponi ventilatam doctrinam necessario, clarè, & euidẽter, aut per consequentiam necessariam, claram, & euidentẽ alicui loco Scripturæ, aut Definitioni Conciliari, vel Pontificiæ, aut traditioni Apostolicę vniuersali, aut communi sensui Pastorum, & Doctorum Reipublicæ Christianæ.

Vel quòd opponatur manifestè, directè, irrefragabiliter conclusioni Theologicæ, id est illi quæ ex præmissis fidei manifestè, & euidenter deducitur.

Vel quòd opponatur alicui doctrinæ, quam omnes sapiẽtes iudicant vehementer ad fidem pertinere; non tamen affirmant aperte esse de fide.

Et quod præterea consignentur loca Scripturarum, Conciliorum, & Doctorum, ex quibus dictæ probationes ad inferendam censuram constent, & innotescant.

Et quod consequentiæ, & illationes non sint probabiles tantùm, aut probabiliores, sed euidentes, necessariæ, irrefragabiles. Hæc si desint, non erit doctrina obnoxia huic censuræ Theologicæ.

Postulata pro censura inferenda de sapore, aut suspitione, aut periculo hæreticæ, vel erroneæ doctrinæ.

VT, quæ proponuntur præludio quinto, & cap. 6. voti Platonis, circa necessaria ad inferendas has censuras, explorentur, & singulariter inter alia.

Quòd notetur, quam hæresim sapiat, vel foueat doctrina in controuersiam adducta.

Et quòd eadem non inueniatur in Doctoribus Catholicis secundùm sensum, & phrasim loquendi Authoris.

Et quòd Author sit suspectus, vel in loco suspecto.

Et quòd ita Doctores graues suspicentur absolutè: atque illi notatis locis, & fundamentis consignentur. Hæc si desint non erit doctrina obnoxia huic censuræ.

Postulata pro inferenda censura de malo sono in fide, aut moribus, & de piarum aurium offensione.

VT, quæ scribuntur præludio 6. & in voto Platonis, cap. 6. pro inferendis his censuris, inuestigentur; & singulariter inter alia.

Quòd specificetur quis, & cuius erroris, aut malæ doctrinæ sit prauus ille sonus, aut piarum aurium offensio.

Et quod malus ille sonus, & offensio non sit apud paucos, neque ex ignorantia, aut praua affectione, sed apud plures pios, & sapientes.

Et quòd dissonantia illa, & offensio non per probabiles consequentias, sed per necessarias, & indissolubiles, vel per certa experimenta, vel per communem sensum piorum, & Doctorum innotescat. Hæc si desint, non erit doctrina obnoxia huic censuræ.

Postulata pro inferenda censura doctrinæ, veluti scandalosæ, Theologicè, aut vulgariter.

VT, quæ proponuntur 6. prȩludio, & cap. 9. 11. 13. 14. voti Platonis pro inferenda hac censura, explorentur: & singulariter inter alia.

Quòd detur occasio ruinȩ in materia morali; per modum dictaminis, aut sit prudens timor periculi ipsius.

Et quòd doctrina ventilata in grauibus Doctoribus non reperiatur.

Doctrina vulgariter solum scandalosa, non est Theologicè damnabilis, vt autem aliquam doctrinam eius coloris esse, conuincatur, probari debet sermone vulgari esse traditam, & cum seditione, & tumultu fidelium fuisse auditam. Hæc si desint, non erit doctrina obnoxia huic censuræ.

Po-

Postulata pro inferenda censura temeritatis.

VT, quæ scribuntur præludio septimo, & in voto Platon. cap. 13. pro inferenda hac censura, intelligentur: & singulariter inter alia.

Quòd materia, de qua tractatur, sit Theologica, id est ad fidem, aut bonos mores pertinens.

Et quòd non sit solum priuatiuè temeraria, id est, quæ nec pro se, nec contra se habeat Authores, vel argumenta.

Et quòd positiuè sit contraria communi sensui Patrum, vel Scholasticorum, qui non obiter, aut opinatiue solum, aut per condescendentiam fuerint loquuti; sed ex professo, & firmiter.

Et quòd nullus grauis Doctor, aut ferè nullus eam doctrinam asseruerit, aut quòd sit euidens ratio, vel irrefragabilis authoritas, ex quibus fuerit antiquata.

Et quòd nulla sit efficax ratio, aut firmum testimonium, vnde licitè potuerit deseri communior sensus Scholastico-rum. Hæc si desint, non erit doctrina obnoxia huic censuræ.

Postulata pro inferenda censura doctrinæ illusoriæ iurisdictionis Ecclesiasticæ.

VT, quæ scribuntur in voto Platonis, cap. 9. & in prælud. 9. ad hanc censuram inferendam explorentur, & singulariter inter alia.

Quòd doctrina qua, & se, & sua quis tuetur non sit in Prouincijs Catholicis bene recepta, nec authoritate Theologorum, & Iuris Canonici peritorum munita.

Quòd non ea à religiosissimis Principibus, & Catholicis Senatibus in praxi habeatur, nec fauor, aut auxilium pro illius executione præstetur, nec pij, docti, timorati, & graues viri diuersarum Prouinciarum ita consuluerint, & senserint. Hæc si probari nequeant, non erunt doctrinæ tractatus de primis instantijs, & recursibus alijs examinatiuè propositæ; obnoxiæ huic censuræ, etiamsi assertiue, & constanter affirmentur.

Vltimum postulatum.

QVoniam ex disputationibus, & controuersijs plurima emergunt, & ex obiectionibus, & defensionibus in multo maiorem molem hoc opus consurgeret, volumus solum valdè summariè opinionum firmamenta producere: quæ tamen sufficiant ad probabilitatem inducendam. Idcircò si pro aliqua ex doctrinis ventilatis necesse sit plura exhibere fundamenta, postulamus vt ad illa exhibenda cogamur.

PROMISSA.

Plura quæ ex recitatiuè, vel dubitatiuè, vel examinatiuè scriptis, aut ex falsò impositis nobis obiecta sunt, ijs nostris declarationibus, & promissis faciles dissoluuntur.

Mox dicenda omnes residuas obiectiones contra nostra scripta dissoluent ex sequentibus promissis.

PRimum sit, ea quæ dixerimus, aut scripserimus, etiã si, quia nulla illis Theologica nota, vel censura debeatur, nobis permittantur, veritatis causa à nobis refutanda, & retractanda, si maior aliunde probabilitas colluceat: Nolumus ab ethnicis sapientibus ingenuitate superari. Imitabimur exemplum Hyppocratis idem pollicẽris, vt testatur Plutarchus, lib. de profectu morum, indicio 13. & documenta Marci Tullij exequemur lib. 2. de inuentione, num. 124. & 2. Tuscul. num. 4. Non satis est veritatis causa amicos deserere, quod olim magnum arbitrabantur, Arist. 1. Ethic. 6. & Clem. Alex. 5. strom. 1. nisi etiã se ipsum quisque pro veritate deserat, & impugnet.

Secundum sit, licèt in his tabulis paucissimæ sint contrariarum opinionum impugnationes; eas tamen iubentibus, aut postulantibus à nobis exhibendas. Illas præteribimus consulentes breuitati, & innitentes Sanctorum Doctorum exemplis. D. Dionysius Areopagita in epist. ad Polycarpũ, sic

sic ait: *Quidquid est de lege veritatis, rectè demonstrato, & integrè stante, omne quod aliter se habet, verique speciem præsefert, & aliud esse, atque id quod verè est, & dissimile, & videri magis quàm esse, eo arguetur; superuacaneum igitur est veri interpretem cum his velle pugnare.* Summus Doctor Platonicus Dionysius Socratem Platonis Magistrum imitatur, de quo hæc Laertius in ipsius vita: *Nitebatur summo ingenij acumine, non tam illos ex sententijs refellere, quàm ipse quid verum esset, definire.* Ideò S. Athanasius, oratione contra Gentes, probat disputationem de veritate, natura, ordine, & vtilitate priorem; at disputationem pro veritate natura, & potentia posteriorem, quamquam ipse in eadem oratione, & Athenagoras in principio orationis de resurrectione mortuorum, iustis de causis aliter se gesserunt. Consonant Nazianzenus, orat. 3. de Theologia. Hilar. 8. de Trinitate, & Arnobius initio lib. 1. contra Gentes.

Tertium sit, nos libenter expuncturos, & postulaturos, vt expungatur ad libitum partis læsæ, quidquid in libro quarto acerbè dictum videatur aduersus opinionem affirmatiuam in thesi Conceptionis Deiparæ. Contra Authores, & personas nihil dictum, scriptumvè est: dolemus quidquam positum, quod ex depressione opinionis (quamquam nulla illi nota Theologica vsquam à nobis imposita) exacerbare potuerit opinantes.

Quartum sit nos circa præstantiam, dignitatem, & prærogatiuas doctrinæ Angelici Doctoris, cum summa honorificentia semper fuisse loquutos. Vt in Philosophia Dux, & Princeps est Aristoteles, in Medicina Hyppocrates, Euclides in Geometria, Vitruuius in Architectonicis, Strabo in Geographicis, Archimedes in Mechanicis, Theobanus in Arithmeticis, Tullius in Oratorijs, in Poeticis Virgilius; sic in Theologia Scholastica Ducem, & Principem esse S. Thomam, diximus, & professi sumus vbique. Antequam promissio nostra proponatur, supponendum est protestum Academiæ Parisiensis contra Montesonum, qui est ad finem Magistri Sententiarum in omnibus editionibus, & opusculum aliud, cuius initium est: *Quid lucidius Sole, & hic desinit.* Hugonem Magnesium in Apologia pro Scoto, Hugonē Cabellum, de eadem thesi, & Dermicium Thadæū in Nitela Franciscana, & nonullos alios, syllabos opinionū euulgasse,

easque

easque Diuo Thomæ adscripsisse, quas aut notam Theologicam mereri, aut valdè esse obsoletas, & improbabiles prædicarunt. Nos nihil aliud fecimus, nisi horum dicta referre, nullam ex nostro cerebro propositionē adiungentes, sed solùm, ab his & alijs Authoribus productas recitantes; quorum tamen mentem semper impugnauimus, & impugnandam iudicamus, quia Doctores Parisienses illius temporis ex contentione, & cæteri ex litigandi feruore nimium excesserunt, neque vlli ex illis fidendum est. Nos Angelicum Magistrum, vel propter intelligentiā prauam interpretātium, vel propter errorem Amanuensium, & Typographiæ ab omni nota, & censura, & improbabilitate semper liberauimus. Quoniam verò similes allegationes, etiamsi à nobis repulsæ fuerint, male sunt acceptæ à nonnullis, quasi illis conniuere videremur, aut eas artificiosè producere, vt lensim aliorum animos occuparent, pollicemur, vel eas à nobis nunquam proponendas, aut in alterutram partem quouis prætextu allegandas, vel nos multo verisimilius, & robustius, quam Alphonsus Baptista, Dominicus Grabrina, & Ioannes à S. Thoma, inferius allegandi, explicaturos, & defensuros Angelicum Magistrum, vt exemplo adhibito non multo post constabit. Quæcumque verò ex occasione prædicta contra nos scripserunt Alphonsus Baptista, in sua Apologia Cæsaraugustana, anno 1628. & qui proximè antecedenti anno 1627. sub nomine Antonij Montoy, aliam etiam Apologiam Hispanā excuderunt, & Dominicus Grabrina tom. 3. præscript. p. 1. controu. 2. Generali, q. 1. art. 9. pag. 270. & 280. & seq. & pag. 416. & seq. vsque ad pagin. 430. & in lib. cuius titulus, *Depositum veritatis*, & sæpè alibi, & Fr. Ioannes à S. Thoma, disp. 2. ante Commentarios 1. p. posita art. 1. pag. 220. 221. & seq. & alij quidam nullatenus impugnant mentem, & reuerentiam nostram erga Angelicum Magistrum. Dicunt ipsi, & probare contendunt nullum esse errorem qui à mente, & calamo Diui Thomæ emanauerit; idem nos semper diximus; & scripsimus: nulla igitur est causa propter quam impugnemur. Solum nostra culpa est, quòd ex processu Parisiensi, Hugone Magnesio, Hugone Cabelo, Dermicio Thadeo, & alijs, eos catalogos opinionum adduxerimus ipsorum mentem, & sensum repudiantes. Grabrina, & Ioannes à S. Thoma expressè fatentur illos syllabos propositionum ex anti-

antiquioribus Scriptoribus, à nobis fuisse decerptos, & recitatiuè solùm absque vllo assensu à nobis productos. Nulla superest alia via amouendi suspicionem de artificiosa allegatione, nisi vel promissam nuper diligentiam exequentes, vel remouendo à nostris scriptis prædictis catalogos aliàs publicos, & euulgatos ab antiquioribus, & recentioribus nonnullis, qui nos tempore præcesserunt; cum hac tamen differentia, quòd illi eas opiniones imponebant Angelico Magistro, atque eas, vel inter damnatas, vel inter improbabiles numerabant; nos autem constanter diximus, nihil aut notatu dignum, aut improbabile in legitimis scriptis Diui Thomæ reperiri. Ex quibus omnibus fit, non legitimè allegeri nos à Dominico Grabrina, tom. 3 præscript. p. 1. controu. 2. q. 1. art. 9. pag. 270. in eo quod scribit nos lib. 4. tract. 5. cap. 5. alios Doctores æquasse D. Thomæ, nullum ibi verbum de hac æqualitate inuenietur; semper eum Principem summum Theologiæ Scholasticæ professi fuimus. Ibidem Solem Theologiæ, Occeanum Christianæ sapientiæ prædicamus. Præterea verum non est, quòd in eodem volumine à pag. 416. vsque ad 430. nobis imponit D. Thomæ errores quosdam atribuisse: legatur totus tractatus ille quintus, in iudicijs de solutionibus aliorum, & manifestè constabit semper nos denegasse errorem vllum, & etiam improbabilitatē in doctrina S. Thomæ. Illustrius aliquid pollicemur circa eas propositiones, quæ indubitatē sunt D. Thomæ, & prædictis Authoribus visæ sunt difficiles, multò nos verisimilius, & robustius quam Alphonsum Baptistam, Grabrinam, & Ioannē à S. Thoma, illas esse explicaturos, & defensuros, v.g. docet Angelicus Doctor 1. p. q. 102. art. 2. ad 4. torridam Zonam esse inhabitabilem propter abundantiam caloris. Ioannes à S. Thoma seccumbit difficultati, & ea solùm responsione satisfacit, quod tempore Angelici Doctoris, necdum de veritate constabat, quia nauigationes sequentium seculorum nō fuerant susceptæ. Parum hæc solutio plausibilis, nam pro alijs opinionibus S. Thomæ, idem effugium ab aduersarijs excogitaretur, dicendo eius seculo, necdum earum fuisse exploratam veritatem: quare legitima responsio desumitur ex doctrina plurium cum Bozio tom. 2. lib. 15. cap. 13. acerrimè tuentium Zonas torridas, nunquam ante aduentum Christi ab hominibus fuisse penetratas, imo nec penetrari potuisse

tuisse propter abundantiam caloris, cuius plura fuerant experimenta. At Christi passioni congruebat, vt pro amplianda ipsius gloria, iam ex tunc pertransiri, & penetrari ab hominibus possent. S. Thomas loquitur de tempore primæ creationis, perseuerante vigore Paradysi ante aduentum Christi, in quo probabilissima eius opinio. Secundo adhuc in hoc sensu D. Thomas non loquitur assertiue, sed dubitans abstrahit à decisione huius quæstionis, addens, *Quidquid autem de hoc sit, &c.* Tertio, non ait esse probabilius torridam Zonam esse inhabitabilem, sed *videtur probabilius*, & vt expendit Canus lib. 8. cap. 5. quoties Angelicus Doctor, vtitur verbo *videtur*, non loquitur assertiuè ex propria sententia, atque adeo ibidem allegato Aristotele, in libris Meteororum, pro ea opinione ait dubitatiuè, & cum formidine, & remissiuè ad mentem Philosophi, videri illam probabiliorē, at non afirmat esse. Lucet hic profunditas verborum, & sensuum Angelici Magistri, sicut in vniuersis eius clausulis. Sic nos alias expositiones, & defensiones adhibebimus alijs doctrinis S. Thomæ, obiectis à processu Parisiensi, Hugone Magnesio, Hugone Cabello, Dermicio Thad. & ab Authore tractatu, cuius initiū, *Quid lucidius Sole*, & supplebūtur ea quæ non ita verisimiliter, nec robustè explicant, & defendunt Alphonsus Baptista, Grabrina, & Ioannes à S. Thoma, quam operam promittimus, & exequemur: & ea declarabit nos in prædictis allegationibus non cauillosè processisse, vt aliorum oppositiones in D. Thomam lectorum animos occuparent.

Quintum sit, nos semper habuisse, & habituros esse Aristotelem, veluti Principem Christianæ Philosophiæ, neque quidquam conuincere, quæ aduersum nos produxit Grabrina tom. 3. præscript. part. 1. controuers. 2. quæst. 1. art. 8. pag. 262. ad probandum omnes neruos contendisse nos ad diminuendam eius maiestatem, & simul Angelici Doctoris, qui tanti Philosophi fuit vindex, & assecla. Quòd enim summum Philosophum in quibusdam errasse; in alijs nonnullis thesibus minus probabiles opiniones sectatum fuisse diximus, non tollit illius Principatum propter innumeras veritates, & principia, quæ circa omnes Philosophiæ partes præclarissimè inuestigauit. Referam, quid ab alijs audiat

Ari-

Aristoteles, etiam si illum vt Principem reuereantur.

A Medicis refellitur in origine, & explicatione neruorum, in vtilitate vnguium, in necessitate cerebri, in numero ventriculorum, in sede primi sensus, in ratione videndi, in sectione cordis, in tribus facultatibus vnius naturæ, in somni ratione, in semine mulieris, in operibus seminis, & alijs.

Ab Astrologis non admittitur in ijs, quæ scripsit de numero cœlorum, de Sole posito in secundo cœlo, de eccentricis, & epiciclis prætermissis, & de galaxia cœlo sublata. Grauius est, quòd Theologi summum Philosophiæ Christianæ Principem arbitrantur Aristotelem, quamquam ipsum impugnent circa definitum intelligentiarum numerum, & circa virtutem infinitam intelligentijs omnibus ad ciendum cœlum infinito tempore communicatam, & circa mundi æternitatem tam serio ab ipso acclamatam: atque hæc quidem extra controuersiam sunt. Alia sunt non adeò explorata, quæ tamen Doctores, & Patres ipsi obijciunt, & legi possunt apud Eusebium lib. 15. præparat. à cap. 3. vsque ad 13. Canum lib. 10. de locis, cap. 5. Paulum Ben. in Timeum Platonis, lib. 1. Dec. 1. Ludouicum Viues lib. 1. & 3. de veritate fidei. Nempè materiam primam, & alia corruptionis expertia ingenita posuisse, idest non producta; quòd Aristoteles creationem ignorauerit; quòd animas hominum mortales fecerit; quòd Deo libertatem ademerit, & ex Principe mundi illum statuerit naturæ mancipium supremo affixum cœlo deseruientem, & ipsi, quasi pistrino per omnem æternitatem damnatum; quòd diuinam scientiam, & prouidentiam in suspitionem vocarit; quòd diuinam virtutem cuiusdam circuli finibus terminauerit; ac tam arcta Deum necessitate cum abstractis illis mentibus consociauerit, vt si ei credas, nullo ferè discrimine distinguatur; quòd ex nihilo nihil fieri queat; quòd in venereis medium laudat, & extrema vituperat; ac proinde virginitatem condemnat; quòd in topicis doceat, si amicus est diligendus, inimicos esse odio prosequendos; & 1. Rethor. laudabile esset dicat inimicos potius vlcisci, quam illis reconciliari, quia malum pro malo reddere iustum sit; quod 7. Politic. scribat monstra non esse alenda, & doceat partum ante animationē licitè abigi posse.

Has,

Hos, & similes alios errores diuisiuè obijciunt Aristoteli Franciscus Picus lib.4. Exam.doctrinæ Gentium, cap. 11. Canus lib.10.cap.5.& ex antiquis. Clemens Alex.1.strom. Iustinus de dogm. Arist. Tatianus, orat.contra Græcos. Nazianz.orat.1.de Theol. Ambros.1.de offic. Euseb.sup. Epiphan.lib.3.aduersus hæreses. Diogen.Laert.in Aristot.vita. Basilius in exam. Theodor.de curādis Græcis affectionibus. Athenagoras legatione pro Christianis. Antonin. tit.11. de Sacræ Scripturæ vtilitate, cap.4.& 5.& alij plures. Lib.10. Ethic.de Dei Prouidentia dubitat Aristoteles: lib.de bona fortuna, subtrahit fortuita diuinæ Prouidentiæ: lib.1.de cęlo omne incorruptibile, a t esse ingenitum, ideſt non cæpisse; lib.2.de cælo, & lib.5.& 12. Metaphis.nunc mentem Deū vocat, nunc cœlum cuius anima mens sit. In eod.lib de cœlo Deum extremo cœli affixit, & Dei Prouidētiam fabulam existimauit gratia vulgi continendi in officio politicè confictam: lib.12. Metaphis.absurdum docuit esse Deum de quibusdam intelligere: lib.de Mundo (si eius est) Deum similem fecit Xerxi, vel Cambysi, vel Dario, qui ipse per se maxima obeat Regni munia; minora & sordida mandat alijs. Quæ omnia siue certò, siue opinatiuè Aristoteli tribuantur, non obstant quominus, vt summus Princeps, & vertex Philosophiæ ab illis ipsis, qui has opiniones illi tribuūt, suscipiatur, propter innumera arcana, & solida principia quæ explorauit. Non igitur ex hoc capite euersores sumus Peripateticæ doctrinæ, & Thomisticæ Aristoteli innixæ, quia illam circa efficaciam muliebris seminis, & pauca alia, non prosequamur, vt Grabrina opponit. Ex his aliud in gloriam D.Thomæ deducitur, quod etiam data falsa hypothesi de opinionibus adscriptis Dino Thomæ ab Academia Parisiensi, Dermicio Thadeo, & alijs, non tolleretur supremus Principatus Angelici Doctoris in Theologia Scholastica: quemadmodū nec tollitur Aristoteli propter præmissas doctrinas ab omnibus, vel à pluribus ipsi adrogatas.

Sextum sit, nos immeritò, & absque vllo fundamento veluti sugillatores, & contemptores Patrum fuisse traductos, in ijs quæ de erratis ex aliena manu in eorum scripta irrepserunt: pollicemur, si quid forsan exciderit, quod minimam suspicionem huius delicti præbere queat, ex nostris scriptis expūcturos, atque ita fieri summopere desideramus. Verùm

post

post laboriosam speculationem inuenire non possimus vestigium aliquod, vnde ista suspicio tam seriè, & publicè à nonnullis proclamata, & euulgata dimanauerit. Incusat nos de nimia pietate, & religione erga sanctos Patres Dominicus Grabrina tom. 3. præscript. controu. 1. q. 3. art. 3. pag. 160. nos impugnans quod lib. 4. tract. 3. cap. 1. 8. 13. 14. ex professo docuerimus, quidquid inuenitur dissonum in scriptis Patrum, esse tribuendum non eorum calamo, sed corruptioni temporum, Traductorum, Amanuensium, Typographorum, & hæreticorum. Refellit hanc nostram doctrinam Grabrina, verum non mentem, sententiamque nostram: nam duplex potest esse genus errorum in antiquorum monumentis, alij obiter scripti, & qui ab vna affirmatione, & negatione, vel ab vnico nomine, & verbo dependeant, de quibus tractamus ibidem, & quod diximus, nunc rarum habemus: nam si plures emendationes fiunt à criticis in libris Poetarum, propter dissonantiam, & inconstantiam carminis, in libris Oratorum, propter absurdum sonum, aut leges Grammaticales, & Oratorias minùs bene obseruatas, & in libris pariter Philosophorum, Historicorum, & alijs propter similes causas laboratur: si ex his fontibus tot nascuntur variæ lectiones, castigationes, additiones, mutilationes, vt à profanis Authoribus inconcinne dicta contra ipsorum calamum, & mentem irrepsisse dicatur, nulla vtique est causa, quare simili obsequio scripta Patrum gaudere non debeant, cum error, aut obscuritas ab vna solùm voce, aut paucis dependeat, vt fecere plurimi ex castigatoribus operum sanctorum Dionysij, Ephrem, Basilij, Chrisostomi, Nazianzeni, & aliorum. Non fuit igitur nostra pietas in hac parte superstitiosa, sed debita: quam applicuimus nonnullis testimonijs Patrum, quæ obiter videbantur percellere opinionem negatiuam in tuisi de Conceptione. Et eandem doctrinam vniuersaliter docet idem Grabrina, q. 3. supra relata, art. 3. pag. 153. 154. 157. ex Euagrio, Marciano, Sixto Senensi, Roffensi 6. & 8 Synodo. Alij possunt esse errores in antiquorum monumentis, ex professo ab ipsis fundati, aut sæpè & constanter repetiti, & veluti de eorum mente, & calamo emanantes à viris doctis, & pijs euulgati, ac pro his nullatenus diximus valere excusationem Amanuensium, Typographorum, Traductorum, & hæreticorum: quemadmodum nec prodesse deberet ad nutilan-

andam decem versus Horatij, aut Virgilij, aut plures clausulas Oratorum, Historicorum, Philosophorum, nisi quando grauissima adessent rationis, & authoritatis fundamenta ad euincendum suspicionem corruptelæ. Solus Grabrina prædicto loco, & integer tractatus noster libri quarti, quem allegat, quando alia deessent omnia, euidēter summam nostram pietatem, & reuerentiam erga Patres commendaret.

Septimum sit, nos circa errata ex in Curia Amanuēsium, Typographorum, vel aliarum causarum in transcriptionibus ineuitabilium, quæ irrepserunt in opera D. Thomæ, & circa castigationes, & emendationes factas à sacro Prædicatorum Ordine, vel à grauibus eiusdem Doctoribus, nihil dixisse, nisi quod Vincentius Iustinianus Ordinis Prædicatorij Generalis Antistes, & Thomas Manrique sacri Palatij Magister, & Pius V. dixerunt, & scripserunt in præfationibus editionis Romanæ operum D. Thomæ anno 1570. & quod Franciscus Garcia in castigationibus, impressis anno 1578. iussu Seraphini Brixiensis Generalis Magistri; & quod Gregorius Donatus, Socius Magistri sacri Palatij, in editione summæ Theologiæ anni 1619. Neque in hac re quidpiam singulare de monumentis D. Thomæ scripsimus, quod non vniuersale esse dixerimus, vniuersis & singulis antiquorum monumentis, ex infirmitate humanæ prouidentiæ circa Amanuensium, Typographorum, & Traductorum diligentiam. Iuxta Anastasium Sinaitam, Antoninum, Turrecrematam, Sixtum Senensem, Oleastrum, Pium V. Clementem VIII. Religionem Seraphicam, & plures alios innumeræ contingunt deprauationes, & corruptela librorum, ex plurimis causis Amanuensium, Typographorum, Interpretum, Traductorum, quæ ineuitabiles sunt pro obiter dictis, aut scriptis, quemadmodū latissimè probat Grabrina tom. 3. præscript. p. 1. controu. 1. q. 3. art. 3. pag. 153. 154. 157. Diximus in genere, & latissimè hanc doctrinam, quæ probatur plurimis argumentis in Voto Platonis, tract. de exam. doctrinarum, c. 3. non verò quod aliquid singulariter contra D. Thomæ scripta moliremur.

Quod verò ad infirmandam authoritatem voluminum D. Thomæ, hæc à nobis dicta sunt, nec probat, nec probare potest Ioannes à S. Thoma, disp. 1. de approbatione doctrinæ D. Thomæ ad finem, quamquam insinuet, nos eo animo prædicta

dicta memorasse. Quoad hanc partem idem omnino à nobis dictum est, quod ipse Ioannes à S. Thoma scripsit; & promittimus nec aliud, nec alio fine in posterum à nobis pro hac thesi scribendum, dicendumque fore.

Optamus nunc sit, quoniam vt ait Grabrina tom. 3. præscript. pag. 303. & 304. nos scripsisse, lib. 4. tract. 7. c. 5. D. Thomam magna ex parte transcripsisse primam secundæ, & secundam secundę, ex speculis Vincentij, aduertimus nunquam, & nusquam, nos hanc opinionem sustinuisse, etsi retulerimus ex fr. Francisco Garcia, & alijs fundamentis, quæ retulit Ioannes à S. Thoma, propè finem disputationis primę allegatę, sic aliquos insinuare voluisse; cum tamen in odiosa controuersia nullo modo Francisco Garcia, Brulifero, & alijs, tunc adherere voluerimus. Posteà autem lib. 3. defensionum, cap. 21. à fol. 162. integrum tractatum euulgauimus ad probandum indubitatum esse primò summam Angelicam à sancto Doctore, post Commentarios in libros Sententiarum fuisse editam in postrema vitę ętate; atque id efficacissimè à nobis probatum est: secundò nullatenus D. Thomam à Vincẽtio Veluacensi; sed potius hunc ab illo fuisse mutuatum, quęcumque in amborum monumentis referuntur. Atque hunc tractatum firmiter, & constanter varijs testimonijs, & argumentis verumque assertum defendentem nos sectaturos pollicemur. Et quanquam Ioannes à S. Thoma loco prędicto summo nisu contendat id probare, quod nos etiam dicimus, & scribimus, dicturos, & scripturos pollicemur, non adeò copiose, & efficaciter probat intentum, atque nos in loco allegato, vt constabit conferentibus vtriusque tractationes. Eximia sanctitas, & sapientia D. Thomę euidens est argumentum de non vsurpatis, sibique arrogatis scriptis Vincentij Veluacensis eius suppresso nomine, contra illud elogium Eliphaz, Iob cap. 15. *Sapientes confitentur, & non abscondunt Patres suos.* Candor Nepotiani describitur à Hieronimo, epist. ad Heliodorum; *Quid cuiusque esset, simpliciter confitebatur.* S. Basil. epist. 1. ad Gregor. *Quæ ab alijs didicimus non nobis vendicanda.* Plato in Hippia. *Nec vlli vnquam ingratus extiti.* Cornelius Celsus lib. 2. de remed. ca. 14. satè probat Anthoribus debita reddenda. Plinius in prefatione naturalis historię ingenuum candorem in reddenda debita retributione Anthoribus ostendit luculenter.

Ingenuitas S.Thomę id ad vnguem obseruasset, S. Vincentij opera adoptare voluisset, nec Plagiarij crimen admitteret, quod vehementer, & latissimè exagitat Vitruuius lib.7. de Architectura; & propter hanc labem Isidorus 10. Originum in usat Virgilium, quod Homeri versus sibi adrogauerit. Propterea quando alię deessent solutiones, dicendum esset speculum morale Vincentij, aut esse alterius Vincentij iunioris D. Thom. aut sub falso titulo antiqui Vincentij opus magis modernum euulgatum.

Nouum sit, quoniam Alphonsus Baptista, & Ioannes à S. Thoma supra allegati, & copiosius Grabrina, tum in deposito veritatis, tum parte prima tertij tomi pręscriptionum plura dixerunt, vt persuaderent nos de gradu Doctorum in Ecclesia Dei, atque de eorum dignitate minus benè sensisse, & scripsisse, pollicemur nos si sublimiores opiniones, easque aptiores inuenerimus ad gradum, & maiestatem Doctorum extollendam, prioribus retractatis, eas sequuturos esse. Verum post sedulum examen nostrorum scriptorum nullam inuenimus, quæ non sit indubitata.

Prima propositio ex notatis in nostris scriptis certa est, scilicet ministerium, & gradum Doctorum Ecclesiæ semper in ea permanere, quam communiter omnes statuunt cum Tertul. lib. de præscript. c.14. ex D. Paulo 1. Cor. 12. & ad Ephes. 4. non aliter, ac semper sunt Pontifices, & Episcopi, & Sacerdotes, semper etiam erunt in Ecclesia Doctores Ecclesiæ. Itaque non solum sunt Doctores in Ecclesia singulis ætatibus, sed etiam Doctores Ecclesiæ, in quo distinctionem parum vtilem excogitauit Alfonsus Baptista, quam cæteri Thomistę, vel omiserunt, vel contempserunt. Hęc veritas adeò certa est, vt quia antistes quidam hanc propositionem docuit, quę fuit decima quinta ex sexdecim à se abiuratis, *Præsens Ecclesia non est eiusdem luminis, & authoritatis, cuius erat primitiua*, coactus est à Gregorio XIII. die Sabbati 14. Aprilis, anno 1576. illam abiurare, & oppositam ijs verbis profiteri, vt pertinentem ad Catholicam veritatem, *Quod Ecclesia præsens, cum perpetuo habeat eundem Spiritũ sanctum illuminantem, & sanctificantem, quem habebat Ecclesia primitiua, est etiam eiusdem luminis, & potestatis, cuius erat illa.* Hoc autem lumen non habet Ecclesia, pręsens nisi per Doctores viuentes sub obedientia, & directione Sedis

dis Apostolicę. Qua ratione Pontifices aliqui summi posteriorum ætatum, licet in personalibus comparari nō possent, cum Clemente, Euaristo, Higinio, & Magno Gregorio, in iurisdictione, & potestate æquales erant; sic Doctores viuētes, etiamsi in personalibus, quoad sanctitatem, ingenium, eruditionem, & doctrinam priuatam inferiores sint Dionysio, Augustino, Athanasio, & D. Thoma; verum in quidditate Doctoratus, pro necessarijs ad fidem, & bonos mores circa decisionem dubiorum emergentium simul sumpti pares sunt. Cum quo stat D. Thomam, v.g. in personalibus prærogatiuis, sanctitatis, & doctrinæ, longe esse superiorem, & eminentiorem cæteris Doctoribus sigillatim sumptis; qui post illum, vsque ad finem seculorum futuri sunt. Quidquid opponi potest in contrarium exemplo Pontificatus, & collatione facta cum Doctoratu facilè dissoluitur: legendus Abulensis, Matth. 24. q. 270. Canus 8. de locis, cap. 4. & alij. Hic addendum Grabrinam tom. 3. præscript. p. 1. controu. 1. q. 2. art. 4. pag. 122. 123. nobis opponere, quod lib. 4. tract. 4. c. 10. & tract. 7. c. 2. dixerimus omnes Doctores esse Patres, & idem opposuerat Alfonsus Baptista. Verum vtriusq; allegatio non subsistit, cum vestigium prædictæ impositionis nullibi in nostris scriptis inueniatur. Notum est Patres in proprissima significatione esse solum priorum seculorum Doctores, quibus ab antiquitate, & authoritate nomen cōuenit, atque adeo nouiores Doctores, quantumuis sapientes, & sanctos, non posse hoc nomen vsurpare, nisi late, qua ratione Episcopi in Cōcilio Patres nominari consueuerūt.

Secunda est, essentiam Doctoratus Ecclesiæ sicut & Pōtificatus separari posse à sanctitate personæ, & etiam in sceleratis posse conseruari. Hæc doctrina manifestè probatur: primò, quia gradus propheticus in illustratione mentis, multo superior est gradu Doctorum, vt omnes admittunt, sed gradus propheticus separatus est à sanctitate, imò interdum cum sceleratis, vel idololatris fuit coniunctus, vt patet in Balaam, Salomone, Propheta Bethel, Sybillis, & Caipha, & in illis qui cum multa prophetauerint audient in extremo iudicio illam Christi sententiam Matth. 7. *Nescio vos*. Ergo nec de essentia Doctoratus Ecclesiæ Dei, est gratia, & sanctitas personæ. Secundo probatur, quia gratiæ gratis datæ reperiri possunt, & [illegible] reperiuntur sine gratia gratum fa-

faciente ex communi Theologorum consensu, cum D. Tho. 1.2.q.66. art.3. sed Doctoratus, & gratia gratis data, sicut prophetia, operatio virtutum, & cæteræ, ergo sine personali sanctitate potest inueniri. Idcirco nihil ex ijs, quæ contra nos attulit Alfonsus Baptista, nec ex ijs quæ asseueranter scripsit Grabrina supra controuers. 1. quæst. 2. art. 5. & 6. pag. 124. ad probandum canonizationem Ecclesiæ esse de essentia Doctoratus, aliquid habet roboris, imò nec verisimilitudinis.

Tertia, diuisio Prophetarum, Doctorum, & Pontificum in iustos, & non iustos; in canonizatos, & non canonizatos; in Martyres, & non Martyres; in Confessores, & non Confessores; in approbatos ab Ecclesia, vel non approbatos, est diuisio subiecti in accidentia. Licèt enim gratia habitualis, Canonizatio, & Martyrium sint accidentia maximè perfectiua Prophetarum, Doctorum, & Pontificũ, atque illis magnam concilient auctoritatem; tamen graduum istorum munus, substantia, & essentia non pendet specificatiuè ab his accidentibus, vt constat manifestè ex superiori propositione. Quæ verò compilarunt aduersùm nos dicti Authores, solum probant secundùm locutionem reduplicatiuam, esse de essentia Prophetarum, Doctorum, & Pontificum, inquantùm Martyrologio, aut Kalendario adscribuntur, sanctitatem personalem, Martyrium, & Canonizationem. Sub hac reduplicatione idem nos dicimus; verùm est inutilis reduplicatio pro exploranda essentia Prophetiæ, Doctoratus, & Pontificatus, cum sub reduplicatione simili de eorum essentia possit esse Geometria, vel Musica, quatenus nonnulli Doctores Geometræ, aut Musici fuerint. Ex eo autem, quod Ioannes à S. Thoma, disp. 1. de approbatione doctrinæ Angelicæ, art. 1. adducat sex differentias, seu gradus approbandi, etiamsi in singulis verè decerneret, nullatenus hanc propositionem læderet, vel impugnaret: nam absque dubio sicut stella ab stella differt, sic Doctor à Doctore; & per accidentia, aut magis perfectiua, aut magis intensa, vel extensa alius alium longissimè excellit, manente tamen eadem essentia Doctoratus. Imò ipsa approbatio doctrinæ est accidens Doctoratus: nam qua ratione in Martyre est accidens, quod approbetur, & canonizetur, vel non approbetur, nec canonizetur; ipse enim etiam absque canonizatione veram habet

iureo'am:sic & in Doctore. Imò interdum contingit scripta aliquorum Doctorum, absque approbatione ipsorum, & canonizatione personæ, maius habere apud plures sapientes pondus authoritatis; quàm scripta quorumdam Doctorum, qui in sanctorum numerum ab Ecclesia referuntur, v.g. Abulensis in expositione diuinarum literarum, & illustratione veritatum, quæ ab illis pendent, vrgentiùs cogit, quàm S. Iustus Orgelitanus, S. Anastasius Synaita, S. Zeno Veronensis, S. Iulianus, & alij similes, qui pro sensibus asceticis, aut mysticis, aut concionatorijs, aut moralibus scripturas lectitabant, & commentabantur; quare apud sapientes, & exactos scripturarum interpretes, in sacrarum literarum intelligentia, & expositione hi sancti Doctores eam gloriam, & authoritatem consequuti non sunt, quam Abulensis occupauit.

Quarta est quoniam Grabrina supra controu. 1. quæst. 2. art. 3. pag. 120. docet esse falsam, erroneam, comburendam doctrinam illam, quam recitatiuè produximus ex aliorum mente, scilicet per approbationem Ecclesiæ in generali alicuius Patris, vel Doctoris, neque vnam propositionem illius definiri; expedit hic ostendere, quantùm excedat in prædicta censura. Primò: nam doctrina à nobis recitata est Abulensis, qui 2. p. defensorij, cap. 82. septem validissimis fundamentis eam stabilit; quem in hac parte plures alij sequuntur Authores. Secundò, quia vt latiùs expendimus in præludio 9. titulo de loco probabili ex Ecclesiastica historia, licèt scripta Patrum, & historiæ Ecclesiasticæ certissimas referant narrationes, vt scripturas, Apostolicas traditiones, & Canones Conciliorum, hæc per se habent certitudinem infallibilem; eam tamen formaliter non tenent ex Doctoribus, aut historijs, nisi solum materialiter, quia ibi continentur; aliunde enim certitudinem sortiuntur, vt ibi exposuimus. Propterea quando Ecclesia approbat in generali opera alicuius Doctoris, nihil in speciali de nouo definit; quæ autem ex iam definitis in illis monumentis referuntur, aut producuntur, non habent certitudinem fidei ex hac generali approbatione, sed aliunde. Ex quibus fit hanc doctrinam, neque esse erroneam, nec comburendam, nec falsam, vt Grabrina dicebat.

Quin-

Quinto loco producemus testimonia nonnulla, eorum qui de Doctoribus scripserunt, vt Alfonsus Baptista, Grabrina, & Ioannes à S. Thoma, vt facta eorum collatione, cum nostris scriptis videant nos multò fuisse moderatiores.

Primò, Turrecremata dist. 9. cap. *noli*, hæc habet: *Approbata sunt dicta Augustini, Hieronymi, non tamen vniuersaliter, sed ea quæ de fide Catholica, & condemnatione hæreticorum scripserunt.* Subscribit Grabrina, eisdem ferè verbis tom. 3. præscript. p. 1. pag. 19. Canus lib. 7. c. 3. imò Paulus Grisaldus, eiusdem sacri Ordinis Prædicatorum, in decisionibus fidei, verbo *Authoritas*, sic ait: *Hæc propositio, authoritas omnium Doctorum, in ijs quæ minimè ad fidem pertinent, certum facit argumentum, est temeraria. Non cogitur Ecclesia docere, quæ sancti simul docuerunt.* Iuxta allegatos Scriptores, constat Patres non esse Doctores Ecclesiæ, nec approbationem vllam habere, nisi pro ijs, quæ de fide, & contra hæreses scripserunt: ita vt pro cæteris arbitrarijs controuersijs extra necessitatem fidei, & bonorum morum positis, nec Doctores sint Ecclesiæ, nec ab ea approbationem habeant. Nos verò etiam pro ijs indifferentibus, seu arbitrarijs quæstionibus diximus, scripta Patrum, approbationem habere sub quibusdam distinctionibus, iuxta distributionem accomodam. Igitur erga Patres prædictis Authoribus fuimus scrupulosiores.

Deinde idem Turrecr. ibidem cap. *Ego solis*, sic ait: *Ecclesia approbans dicta aliquorum Doctorum, non approbat scripta quæ circa disciplinarum naturalium, vel mundialiũ materias scripserunt; patet, quia in talibus reperiuntur contrarij.* Subscribit latissimè Grabrina supra pag. 21. Canus lib. 7. c. 3. Bañez 1. p. q. 1. art. 8. & alij eiusdem sacri Ordinis Authores, vnde iuxta allegatos, nec Doctores Ecclesiæ sunt, nec approbationem habent sancti Patres, pro similibus tractationibus. Nos verò etiam in his dicimus, & conuincimus esse Doctores Ecclesiæ, & approbationem habere sub quibusdam distinctionibus, & per distributionem accomodam. Ergo adhuc cautiores, fuimus prædictis Authoribus in obseruantia erga Patres.

Tertiò idem Turrecremata ibidem, hæc habet: *Non omnia, quæ in scripturis sanctorum Doctorum habentur, sunt eis attribuenda, sicut Authoribus proprie, seu ... proprie,*

priè, quæ ab eis assertiuè, & definitè scripta sunt; id est, quoad opinatiuè dicta non sunt Doctores Ecclesiæ. Et subscribunt Grabrina tom. 1. præscript. part. 1. pag. 13. 14. 16. 19. Cano lib. 7. c. 3. Banez 1. p. q. 1. art. 8. & alij eiusdem Ordinis Prædicatorij, cum docent omnium sanctorum concordem authoritatem, certam fidem non facere in controuersijs, quæ ad fidem non pertinent. Nos autem diximus, & scripsimus, sub quibusdã verisimilibus distinctionibus, per distributionẽ accommodam, etiam quoad hæc non assertiuè dicta approbationem habere, & esse Doctores Ecclesiæ, igitur pietas nostra erga Patres, saltem inferior non est ea quam prædicti scriptores exhibuerunt.

Quartò, Turrecremata ibidem hæc dedit, *Non omnia assertiuè scripta à Doctoribus Ecclesiæ sunt ab Ecclesia approbata, sed ea tantum quæ fidei sunt, & ea quæ ad condemnationem hæreticorum scripserunt*. Eadem repetit dist. 15: & allegat Vincentium Veluacensem. Subscribit Grabrina tomo 3. præscrip. p. 1. q. 3 art. 3. à pag. 162. vsque ad 166. Canus lib. 7. c. 3. & alij eiusdem Ordinis Prædicatorij. Nos autem scripsimus sub quibusdam distinctionibus, per distributionem accommodam; quoad omnia assertiuè dicta errorẽ, non continentia Patres esse Doctores Ecclesiæ, & approbationem habere: ergo ab allegatis Authoribus pietate, & reuerentia erga Patres non superamur. Argumentum, quod Achileum, videtur Turrecrematæ, ex eo quod si Ecclesia approbaret similia scripta, fieret, vt contrarias, & contradictorias propositiones approbaret, valdè est imbecillum: nam Ecclesia solum laudat, probatque contrariarum, aut contradictoriarum probabilitatem. Duæ contradictoriæ in re non possunt esse simul veræ, at possunt simul habere probabilitatem laudandam.

Quas omnes doctrinas in hoc nono promisso contentas, circa authoritatem Doctorum, sub hac expresione verborum in posterum nos defensuros, & multis argumentis, & testimonijs illustraturos in posterum pollicemur.

Decimum promissum est circa libellum inscriptum, *Memoriale ad iudices veritatis, & doctrinæ*, & circa illa quæ in eo continentur. Antequam accedam ad promissa, facti veritas est declaranda. Anno 1626. iussu Supremi Senatus Regij D. Gabriel Cespedes, qui posteà Magister Scholæ Salman-

manticensis defunctus missus est Complutum occasione tumultuum, qui suborti fuerant inter Doctores quosdam seculares, & cuiusdam Religiosæ familiæ Magistros, de certitudine doctrinæ S. Thomæ; & ne in posterum alij tumultus emergerent, idem D. Gabriel Cespedes iudicialem, aut extraiudicialem informationem in scriptis accipiebat examinatis Doctoribus, & Magistris ordinum, pro necessitate exterminandi publico decreto à publicis Actibus, cæteras doctrinas, quæ Thomistis non viderentur esse de mente S. Thomæ. Controuersia hæc ad vtrumque Senatum Castellæ, & supremæ Inquisitionis delata est, eademque biennio durauit ad eundem finem conspirantibus Magistris nonnullis, & Doctoribus Academiæ Salmanticensis, vt ex eorundem allegationibus impressis manifestum est. Tandem lis hæc à supremo Regio Senatu composita rebus in antiquo, & primitiuo statu permanentibus. Vt Doctores, & Magistri, quorum excipiebantur vota, & sententiæ à D. Gabriele Cespedes plenius informarentur, exhibita fuit doctrina huius memorialis: fusiùs explanata, & confirmata: cum varia exemplaria transcripta fuissent, vtpotè pro tot Magistris Doctoribus, & Cōsiliarijs necessaria, aliqua ex illis Barchinonem, Cæsaraugustam, Hoscam peruenerunt, & in breuius compendium redacta, nobis inscijs, prælo mandata sunt. Fr. Franciscus Torres illa suo nomine euulgauit, vt fatetur Fr. Alphonsus Baptista Ordinis Prædicatorij in sua Apologia Cæsaraugustana, edita anno 1628. pag. 1. 2. & 3. Manifestum igitur esse editionem publicam huius memorialis, absque nostro consensu prodijsse: dolemus illam Hispano sermone euulgatam; & si quod est verbum, quod ex feruore controuersiæ exacerbare potuerit, illud maximè auersamur, & expungi poscimus. Quisquis nouerit, quæ illo tempore publicis vocibus, & scriptis obijciebantur, comperiet hunc excessum si quis est, esse condemnandum. Licet autem superiores societatis me destinauerint pro informandis Consiliarijs, & alijs, ad quos hoc negotium pertinebat; ipsi tamen superiores non approbarūt hoc memoriale, nec eorum nomine traditum est, neque quidquam ab illis iudicialiter factum.

Superest de doctrina memorialis statuere, quàm esse probabilissimam in omnibus, & singulis partibus certum est. Absque vllo fundamento nonnulli omnium errorum fontes

ab

ab eo exilire proclamarunt, simulque sanctorum Patrum, & nominatim D. Thomæ authoritatem, penitus conuelli, & Authorem ob hanc vnam causam, aut hæreticum esse, aut saltē de hæresi vehementer suspectū. Referuntur ibidē dicta.

Propositiones memorialis sunt, quæ succedunt. Prima, ex sufficienti fundamento potest stabiliri noua opinio in arbitrarijs, idest non fide definitis: & in his communis aliquis Doctor interdum assequitur, quod præstantissimi alij Doctores, & antiquissimi non sunt assecuti. Hæc doctrina est communis Doctorum tractantium, de probabilitate opinionum, eamque fusè probat Abulens. 2. p. defens. c. 18. & Grabrina tom. 3. præscr. p. 1. controu. 1. q. 1. art. 6. pag. 40. vsque ad pag. 76. & quotquot dicunt cum ipso Grabrina ibidem, & Grisaldo in decisionibus, & Sixto Senensi lib. 5. & 6. Bibliothecæ esse aliquos errores in scriptis Patrum, quos alij, & tempore, & dignitate inferiores deprehenderunt. ¶ Secunda, Academiarum Decreta, & Bullæ Pontificiæ pro legendis, & publicè docendis Authoribus opinatiuè contrarijs, quales sunt D. Thom. D. Bonau. Scot. Durand. & similes, iusta sunt, nec sine temeritate damnantur. Hæc item sæpè repetita à Grabrina supra, est certa pia indubitata ex dictis in Voto Platon. tract. de exam. doctrin. c. 19. ¶ Tertia: non est certa regula, & coniectura pro primatu Doctoris alicuius, aut Martyris, aut Confessoris, respectu omnium, & singulorum Doctorum, & Martyrum, quòd plura Elogia Sedis Apostolicæ de illo vno Martyre, aut Doctore reperiantur; si positiuè eadem sancta Sedes non præferat eundem Martyrē, vel Doctorem. Hæc item est indubitata, quam probat Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 8. sect. 2. ijs verbis: *Ecclesia non semper nititur maiori sanctitate in modo colendi aliquem sanctum, alias esset existimandus Laurentius, sanctior multis Apostolis; &c.* quæ ibidem prosequitur ad probandum opinatiuè Iosephum, Apostolos sanctitate interna superasse, & si de illo pauciora elogia sint, minorque celebritas. ¶ Quarta, si quis defendat iniuriosum, aut molestum esse sanctis Doctoribus, quod affirmetur eorum scripta interdum ex Amanuēsibus, vel Typographis, aut hæreticis fuisse deprauata, & in eis repertos errores ab Ecclesia fuisse damnatos, iniuriam illis facit, atque calumniam. Hæc item est certa ex tract. de exam. doctrin. c. 3. & ex eo quòd blasphemum est cu pa; tribuere

buere ſanctis cũ Chriſto regnãtibus, quaſi nõ amẽt veritatẽ. ¶ Quinta impugnat S. Thom. & S. Bonauenturam, & Scotum, & alios Scholaſticos, quiſquis ait in controuerſijs arbitrarijs, & indifferentibus ſub onere peccati alicui determinate inhærendum eſſe. Hæc eſt certa, quia omnes hi Doctores ſtatuunt in rebus arbitrarijs licitum eſſe, cuiuſlibet Doctoris opinioni probabili acquieſcere: eam latiſsimè probat Grabrina ſupra pag. 12. ab illis verbis: *Pugnant ſancti Patres adinuicem, & diſſentiunt interdum, &c.* Et ab illis, *Authoritas Patrum ſolum inducit probabilitatem opinionis circa ea dogmata, quæ ad fidem non pertinent.* Idem probat pagina 13 ex Cano lib. 7. cap. 3. & latiùs pag. 17. & pag. 19. ſic ait: *Clarè apparet, non ſemper in quacumque Scripturæ expoſitione Patrum ſententias ſequendas*, & adducit hæc verba S. Thom. quo, lib. 12. art. 27. *Expoſitores in alijs, quæ non ſunt fidei multa ex ſuo ſenſu dixerunt, & ideò in ijs poterant errare.* Plura congerit pag. 32. 38. 39. & ſæpè alibi. ¶ Sexta, contra præceptum diuinum eſt doctrinas quæ non ſunt de fide, nec veluti tales ab Eccleſia traditas, inter fidei neceſſariæ propoſitiones publicare. Hæc item propoſitio eſt certa, & latiſsimè probatur ex Concilijs, Decretalibus, & Doctoribus in Voto Platonis, prælud. 8. & tract. de exam. doctrin. integro c. 12. ¶ Septima veritas, in quæſtionibus indifferentibus, & arbitrarijs circa Theologiam Scholaſticam facilius, & cum minori periculo poteſt quis ex probabilibus fundamentis nouam opinionem inuenire, quàm in quæſtionibus indifferentibus circa expoſitionem locorum Scripturæ. Hæc item propoſitio eſt certa, quia facilius poteſt contingere, vt quod arbitrarium circa expoſitiones Scripturę videtur, non ſit arbitrariũ, quàm quòd ad metaphiſicas ſubtilitates pertinet. ¶ Octaua veritas: in materijs opinabilibus licet opinionem vnius Patris, aut ſancti Doctoris, pro oppoſita opinione alterius Patris, aut ſancti Doctoris deſerere: idẽ licet facere recentiores aliquos Scholaſticos ſectando, qui iuſtis, & probabilibus rationibus ducti ab aliquorum veterum ſententia diſceſſere. Hæc item eſt certa omnium Scholaſticorũ conſenſione firmata, præſertim cum de probabilitate opinionũ diſſerũt: & eam latiſsimè plurimis Authoribus productis, cõfirmat Grabrina in locis allegatis pro prima, & quinta veritate. ¶ Nona veritas: poteſt accidere, vt quis ſit vir

ſan-

sanctissimus,& Martyr Ecclesiæ; & tamen scripta talia esse, vt ab ipsa Ecclesia damnentur; qualia fuere Victorini Martyris,& aliorum qui millenariorum doctrinam tradiderunt, & libris mandarunt. Potest etiam accidere,vt quis sit moribus improbus, & illius scripta ab Ecclesia approbentur, vt constat de prophetijs Balaam,& Salomonis; & in nouo Testamento de scriptis Theophili Alexandrini, approbatis in Concilio Romano sub Gelasio. Ex mera relatione dicta cõstat veritas huius doctrinæ, & ex dictis in nono promisso, ibidéque allegatis. ¶ Decima veritas,potest quis esse Doctor Ecclesiæ, & accidere, vt in eius scriptis falsa quædam reperiantur. Hæc notissima est, quam nos multo moderatiùs dicimus, quàm plures alij, vt constat ex integris lib. 5. & 6. Bibliothecæ Sixti Senensis, in quibus varij errores aliquorum Patrum referuntur sine nostris excusationibus, aut defensionibus. Idem præstat Grabrina tom. 3. præscript. p. 1. art. 6. q. 1. pag. 40. tradens sanctos Patres errasse;& plurimas conuenientias numerat ex eo, quòd ijdem Patres errauerint: legenda singulariter octaua. A pag. 43. vsq; ad 50. numerat varios errores Patrum; à pag. 55. vsque ad 58. retulit propositiones quinquaginta, in quibus Scholastici à Patribus discedere videntur;& quoad nonnullas fatetur discessisse: à pag. 66. vsque ad 76. supputat vigintiquatuor cautelas, sub quibus scripta Patrũ legenda, ne decipiamur. ¶ Vndecima veritas: S. Bonauentura eandem habet authoritatem,& Ecclesiæ approbationem quoad doctrinam, quam habet S. Thom. Sixtus V. eos pares declarauit in Bulla Doctoratus S. Bonauenturæ. Quo sensu Pontifex eos æquales prædicat, scilicet in cultu,& officio Ecclesiastico,& in prærogatiuis quæ Doctoribus sanctis deferuntur, in illo ipso nos vtrũque æquamus. At id non obstat, quominus S. Thomas quoad excellentiam scriptorum, authoritatem in Scholis, plausum in vniuersa Ecclesia Dei, excedat Diu. Bonauenturam: quem excessum libenter admittimus, & profitemur; nolumusque vti expositione Ludouici Margobelli, affirmantis ita esse conformes doctrinam S. Thomæ,& S. Bonauenturæ, vt plures sint opiniones in quibus S. Thomas in summa, & sententiarijs à se discesserit, quàm illę, in quibus S. Thomas, & S. Bonauentura differunt. Declaratur exemplo: sępissimè Patres cum Cypriano, tractatu de vnitate Ecclesię, & Ana-

dleto ep. 1. dicunt omnes Apostolos fuisse pares, & equales, & pari consortio preditos honoris, & potestatis. Similiter Hieron. lib. 1. in Iouinianum, docet Iacobum, & Ioannem reliquis Apostolis fuisse equales; & similia dicuntur ab Ambros. lib. 2. de Spiritusancto, de D. Paulo comparatione Petri: & quanquam sunt innumera testimonia, hanc paritatem, seu eq ualitatem declarantia, nihilominus ex alijs capitibus magna inæqualitas constat, nam Petrus erat supremus Pastor in regimine; & ijdem Petrus, Iacobus, & Ioannes, singularibus amoris, & honoris apud Christum priuilegijs eminebant; ergo eadem ratione licet S. Thomas, & S. Bonauentura, in Doctoratu essent equales sicut Apostoli in Apostolatu, & iudices Senatuum in vigore suffragij, aliunde nihilominus in scientia, in lumine, in pondere authoritatis, superauit Angelicus Doctor S. Bonauenturam. Hæc igitur vndecima veritas, nem nem debuit conturbare, cum expressè impugnauerimus Gerson. tract. de doctrin. examin. & tract. de libris legendis à Religiosis, consid. 5. Tritemium, & alios, S. Bonauenturam præferentes Diuo Thomæ.

Hæ veritates saltem sunt probabilissimæ; & apud Authores receptissimæ; non igitur ex illis veluti antecedentibus error aliquis, aut falsitas colligetur: nam licet ex falsis assumptis interdum verum consequens inferatur; ex veris tamen non nisi verum elici potest. Deinde nihil in eo memoriali dictum est, quod quidquam detraheret sanctitati, aut doctrinæ Patrum, & Doctorum, cum semper de quæstionibus arbitrarijs extra fidē sitis sermo sit, atque pro illis ampliorem licentiam tribuant Thomistæ, promisso 9. allegati, dicentes circa has materias, neque Patres, neque alios sanctos Doctores habere gradum Doctoratus Ecclesiæ: quod tamen nos maiorem exhibentes reuerentiam semper negauimus, & pressius, ac honorificentius, quam Corduba lib. 1. quæstion. q. 37. & alijs, quid esset Doctor Ecclesiæ declarauimus. Tertiò nihil à nobis dictum est, quod testimonia Pontificum, in laudem Angelici Doctoris infirmaret, vt quidam minùs considerate obiecerunt. De vna dumtaxat clausula ex sermone quodam Innocentij VI. quia ad alienos sensus extorquebatur retulimus, quæ alij plures euulgarunt; cætera omnia testimonia Pontificum, Cardinalium, Episcoporum, & grauium Doctorum suspeximus, & suspiciemus: neque il-

la

ia elusimus varijs solutionibus, quibus nonnulli Bullas Apostolicas interdum moliuntur infringere scrutantes, an Pontifices loquantur opinatiuè, vel vt priuati Doctores, vel extra præcipuum intentum decretalis epistolę, vel laudatoriè, vt in literis quibus creantur Episcopi, & omnes, & singuli, vt digni Episcopatu prædicantur ex generali præsumptione nihil firmiter statuente, quas limitationes, & elusiones olim nonnulli Apostolicis litteris confirmantibus Societatis Iesu institutum adhibere tentarunt. Vnicum solum testimoniũ Innocentij VI. ex sermone ad populum, quo nonnulli abutebantur, negauimus cum Alfonso Castro, lib. 1. aduers. hæres. c. 7. & alijs pluribus esse indubitatè antheticum. Neque tamen ideo diximus, non esse valdè probabile, & credibile ex fide humana, quæ grauissimis, & fidelissimis historicis debet impendi: & iuxta hanc illud credimus, & acceptamus. Cætera, quæ obijciuntur, quasi in prædicto memoriali dicantur, scilicet non seruari debitam reuerentiam Patribus, omnes Doctores prædicari æquales, nouiores Scholasticos D. Thomæ, & S. Bonauenturæ coæquari, nec verè, nec legitimè opponuntur, cum propositiones contradictoriæ in eodem memoriali exprimantur.

Quæ omnia, & singula promittimus ita nos dicturos, & scripturos, vt semper de primatu doctrinæ Angelici Doctores supra omnes Scholasticos innotescat. Quod vero S. Thomas ob infinitam ferè verborum, & sensuum profund tatem varias habeat expositiones probabiles; magna ipsius gloria est, in qua multum scripturis sacris assimilatur. Propterea quando illæ non sunt, aut palam violentæ, aut manifeste illusoriæ, ęgre ferēdæ non erũt ab ipsius iuratissimis discipulis. Multiplex sensus, & declaratio magna est Angelicę doctrinę cōmendatio, sicut & sacrarũ literarũ pręrogatiua singularis.

De alijs aduersum nos scriptis non curamus: exempli gratia de illo, cui titulus, *Epiphania, seu manifestatio*, specimen veritatis authoris, ipsius ijs documentis constat. Dicit in ea Epiphania me bis centies, & amplius falso allegare in meis scriptis sextam Synodum. At facta supputatione, & numero omnium allegationum quas ex sexta Synodo produxi, non inueniuntur triginta & quatuor testimonia fuisse relata; quādo igitur nullum ex illis verè fuisset à me recitatum, cōstare non poterat, vt bis cēties, & amplius illam falso allegāssem.

Dein-

Deinde ibidem ait me quadragies pro verbis sextę Synodi allegasse clausulas hęreticorum. Non toties recitaui aliquid ex sexta Synodo, igitur quando vniuersę allegationes meę nihil aliud continerent, nisi ipsissimas clausulas hęreticorum, non subsisteret veritas huius oppositionis. Tertiò, ibidem addidit bis centies Conciliū decimū quintum Toletanum sinistre à me fuisse productum: illud nunquam in pręcipuo opere allegaui; in defensionibus verò septies dumtaxat, vnum solum testimonium produxi. Non aliter Author libelli prędicti intentum probare poterit aduersum me, nisi conuincendo, aut vnitatem, aut septenarium numerum esse ducentenarium. Quartò, eadem vsus confidentia, ait prędictus libellarius in sua Epiphania, in vno folio libri quarti, tract. 1. cap. 1. me quadragies, & amplius falso allegare verba Conciliorum, eaque in sensum hęreticorum torquere. Verum neque eo capite, neque integro tractatu illo primo, vllū testimonium Conciliorum retuli, neque toties à me sunt producta in vniuerso libro quarto, verba Conciliorum. Hāc veritatem redolent, quęcumque contra me, & contra Societatem Iesu ibidem proponuntur. Vt de Religione erga iuramentum prędicti libellarij innotescat, notanda illa verba, quę post nuperrelatas obiectiones, & similes alias innumeras adnectit; *Neque hyperbolicè hęc scribo, sed Christiana, & fideli veritate, quod testor Deum iuroque.* Tum propter hęc, tum propter alia prędictus libellus iubente Supremo Inquisitionis Hispanę Senatu, publicis flammis est proscriptus. Nihilominus ipse libellarius veluti author, aut fautor, aut subministrator, sub nomine supposititio Alfonsi de Vargas Toletani, anno 1636. iterum euulgauit noua editione eandem Epiphaniam, & plurima alia obiecit, quę ex ijs postulatis, & promissis, & ex tabulis proponendis constat esse imposturas, eadem licētia prolatas; maximè illud symbolum Iesuiticum nobis adscriptum pag. 35. & 106. quod ipse, & alij eiusdem genij homines confinxerunt: quasi nos duos Deos admittamus, & Christi, ac Matris, corpora esse phantastica. Vt de calumnia, & ignorantia Theologicę, & Philosophicę facultatis horum libellariorum innotescat legantur indices quartę partis, à num. 21. vsque ad 60. pertinentes ad corpora Paradysi, & Christi, & Matris: & nu. 62. & 63. p. 5. pertinentes ad Matripatrium, & loca tabularum ad quę dicti numeri referuntur.

Ad-

Addendum eos, qui latent sub nomine Alfonsi de Vargas, euulgasse asserta notorie hæretica, vel saltem de hæresi vehementer suspecta, contumeliosa in Pontifices, in sanctos canonizatos, in Tribunalia fidei, & in Reges. Contra Pontifices, & immunitatem Ecclesiasticam, cap. 32. pag. 53. c. 47. pag. 74. 75. c. 55. 56. pag. 83. 84. 85. Cõtra S. Ignatium, c. 2. & 3. pag. 7. 8. 9. singulariter c. 7. pag. 17. ait discessisse ab Hispania, ne veluti hæreticus illuminatorum hæresi infectus ab Inquisitoribus puniretur: & ab illa hæresi fuisse Romæ absolutum: c. 11. pag. 25. ipsi attribuit doctrinam deliciosam, & Epicuream, obsequentiorem erga Medicos, & bonam valetudinem, quam erga præcepta perfectionis: c. 37. pag. 59. asserit in illius vita, nec de imitatione Christi, nec de Apostolicis exemplis reperiri vestigium: c. 43. pag. 68. quod diabolicis artibus animas ad se, & ad temporalia lucra pelliceret: c. 46. pag. 71. quod S. Ignatius nunquam fuerit oblitus militaris artis, aliena rapiendo, & rapinam suos edocendo. Refunduntur similiter in contumeliam huius sancti Patriarchæ, quæ habentur c. 23. pag. 44. c. 58. pag. 88. & quæ dicuntur contra institutum Societatis Iesu, cap. 12. pag. 18. c. 37. pag. 59. cap. 42. pag. 67. c. 46 pag. 71. Ex quibus constat authorem Epiphaniæ, & complices huius libelli publicis scriptis insurgere contra sanctam Sedem, supponentes canonizasse hæreticum hominem, incendiarium, hostem vitæ seueroris, contemptorem præceptorum Dei, latronem, æmulum artium diaboli, pestem Hispaniæ: quæ omnia non solum temeraria sunt, & hæresim sapientia, verum simul erronea, & hæretica, vt constat ex dictis in voto Platonis, tractat. 1. c. 19. principio octauo, nono, decimo, quæ docuere ex instituto Prædicatorio, Canus 5. de locis, c. 5. Bañez 2. 2. q. 1. art. 10. dub. 7. Cai. opusc. de indulgentijs, c. 8. Antonin. 3. p. tit. 15. c. 8. & vniuersa Societas Iesu cum Bellarm. lib. 1. de sanctorum beatitudine, c. 9. Valentia 2. 2. disp. 1. q. 1. punct. 7. q. 6. & alijs relatis à Torres 2. 2. disp. 16. dub. 3. Palao, tract. 4. de fide, disp. 1. q. 1. Granados 2. 2. tract. 7. disp. 3. & omnes Theologi. Sigillatim quæ scribuntur contra Bullas Apostolicas confirmantes Societatis institutum, sunt erronea, imò & hæretica, vt constat ex allegatis à Puente 2. 2. disp. 163. sect. 5. sub sect. 13. Bellarm. lib. 4. de Rom. Pontif. c. 5. Granados sup. disp. 5. Torres sup. dub. 8. Bañez sup. dub. 8. Suar.

tom,

Tom. 3. de Relig. lib. 2. c. 17. & ex dictis in Voto Platon. sup.
¶ Contra Inquisitionẽ Hispanam loquuntur prædicti libellarij, cap. 17. pag. 35. c. 18. pag. 36. c. 58. pag. 87. nec alia est causa detrahendi, nisi quia executioni mandauerint Canones Conciliorum Generalium, & Bullas Pontificias Hispaniæ Regibus concessas, de non aduocandis negotijs Inquisitionis ad Curiam Romanam, neque in prima instãtia, neque in vlla alia, vt cõstat ex tractatu de primis instantijs, & alijs recursibus in causis fidei, qui habetur in Voto Platon. c. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. in quo dum libellarij damnant Inquisitionis Hispanæ gesta in nostræ causæ decursu, extra controuersiam iuxta allegata, cap. 19. Voti Platon. in octauo principio, & iuxta determinationem cap. omnes, dist. 22. & iuxta S. Tho. indubitatè sunt hæretici. ¶ Cõtra Reges summa licẽtia, alia promulgarunt ijdem libellarij, c. 5. pag. 13. c. 8. pag. 17. c. 9. pag. 12. c. 18. pag. 36. cap. 57. pag. 86. 87. 88. Propterea nihili facimus calumnias, & conuitia, quæ à prædictis libellarijs contra nos, & alios harum Scholarum Matritensium professores, & contra viros grauissimos nostri Ordinis in Germania, Gallia, Anglia, Belgio commorantes, & contra vniuersam Societatem Iesu pleno modio, aut horreo effunduntur. Quæ vero Petrus Aurelius contra nos scripsit, tom. 1. aduersus Iesuitas, pag. 227. quia improperia sunt nullam determinatam obiectionem continentia, æquo animo toleramus.

Votum Augustini lib. 3. de Trinitate, cap. 1.

Sicut lectorem meum nolo mihi esse deditum, ita correctorem nolo sibi; ille me non amet amplius quam Catholicam fidem, iste se non amet amplius quam Catholicam veritatem.

Votum Hilarij libro de Synodis.

Oro per Domini misericordiam, vt quia mihi ad vos de diuinis rebus, & de fidei nostræ intemerata conscientia erit sermo, ne quisquam de me ante sermonis consummationem per literarum exordia existimet iudicandum. Iniquum est enim nisi comperta, vsque ad finem ratione dictorum, præiudicatã sententiam, ex initijs quorum causa adhuc ignoretur afferre, cum non de inchoatis ad cognoscendum, sed de absolutis ad cognitionem sit iudicandum.

Nos idem quod Augustinus, & Hilarius, optamus, & obsecramus.

Præ-

PRIMA PARS, DE PERTINENTIBVS *ad loca, & tempora mysteriorum Deiparæ.*

1. INVTILES quæstiones ventilare, vitium est non leuiter obiurgandum, quod exagitat Plato in Sophista, Æschilus apud Clem. Alexand. 5. & 8. Stromat. Aristoteles 1. Topicorum, 9. Seneca epist. 45. & lib. 7. de beneficijs, cap. 1. Atheneus lib. 1. Diphnosoph. contra Vlpianum Tyrium, & lib. 3. Euseb. lib. 5. histor. cap. vlt. Aug. epist. 56. ad Dioscor. & lib. 14. de Trin. cap. 1. Bern. ser. 36. in Cant. & epist. 180. Anacl. 1. epist. 2. vt habetur cap. sanè. dist. 45. & copiosiùs Ireneus lib. 2. cap. 45. & alij. Sunt tamen plures quæstiones vtilissimæ, quæ nonnullis minùs profundè speculantibus immeritò superfluæ videntur, & vanæ. Verùm ex abundanti concedendo quæstiones esse inutiles, non ideò incurritur nota, & censura Theologica, vt probatur in tractatu de examine doctrinarum, c. 17. assert. 3. quem ex Ioanne Tappia Stobza luci dedit Doctor Antonius Saura. Scholasticos nonnullos similes quęstiones superfluas excitare tradunt Salmeron tomo 12. tract. 15. Valentia tom. 1. in 1. p. disp. 1. puncto 2. & alij: nec tamen tractationes circa hæc censuram Theologicam merentur.

2. Circunstantiæ temporum in Scripturis vigilanter, & sæpè consignantur. Nec cura hæc pro mysterijs Christi, & Matris, licèt interdum minutior esset, contemnenda foret, vt in simili ait Damasc. orat. 1. de dormit. Virg. Salmeron tom. 13. lib. 2. in 5. ad Rom. disp. 49. & alij communiter. Ideò sæpe pro rebus gestis, aut gerendis Scripturæ, & Patres expendunt sequentes circunstantias; an vesper, mane, nox, dies, ver, hyemis, aurora, meridies; an sæculum, annus, mensis, hebdomada; an infantia, adolescentia, iuuentus, senectus, decrepita; an sub tyrannis, aut legitimis Regibus, & quoto anno dominatus ipsorum; an tempus nubilum, serenum, militare, pacificum, sterile, fœcundum; an neomenia, luna plena, aut decrescens; an annus lunaris, solaris, ciuilis, vel sacer, iobileus, sabbaticus, aut communis; an annus Ægiptiacus, aut Tropicus, aut Atticus, aut Chaldaicus, aut Persicus; an mensis Romanus, vel Atticus, vel Persicus, vel

Alexandrinus; an dies naturalis, vel artificiosus, vel festiuus, vel operarius; an à vespere, aut meridie, aut aurora inchoaretur. Pro mysterijs, & gestis Christi, & Deiparæ, & sanctorum has circunstantias temporum latissimè examinant Albertus Magn. super Missus est, cap. 22. 23. 28. 29. 30. S. Antoninus 4. p. summæ, tit. 15. cap. 9. §. 4 vbi annum, mensem, diem, & horam Angelicæ legationis scrutantur Sanctius Porta, Melchior Puteus, Balthasar Sorius, & alij innumeri tam ex eodem gremio, quàm ex alijs. Minutias temporum, & cyclos necessarios ad supputationem, pro die, & hora, & anno necis Domini, ac proinde aliorum mysteriorum, & gestorum Christi, & matris, latissimè scripserunt editis voluminibus ex Ordine S. Benedicti Dionysius Exiguus apud Bedam, Rabanus Maurus in dialogo Hespericus de computo Ecclesiastico, Sigbertus libro de eadem thesi, Rupertus Lynconiensis lib. de Kalendario; ex Ordine Prædicatorum Robertus Holcoth libro de motibus naturalibus, & effectibus stellarum, Nicolaus de Cusa libro de reparatione Kalendarij, Ramantius Florentinus de correctione Kalendarij, Ioannes Maria de Tholosanis, de emendatione temporum, Ioannes Maria Florentinus de correctione Kalendarij, & plures alij; ex Iesuitis Mariana opusculo de die necis Christi, Paulus Guldin libris quinque de Kalendario, Dionysius Petauius tomo duplici de doctrina temporum; ex alijs ordinibus, & gremijs innumeri eandem curam susceperunt. Iam olim cyclos paschales, & lunares inchoauerant Theophilus, Cyrillus, Victor. Maximus, Andreas Cretensis, Isaacius Monachus. Horum omnium exemplis, principijs, atque doctrinis ducti nonnulli expendere voluerunt circumstantias temporum, annorum, mensium, lunarum, dierum, feriarum, & solemnitatum, in quibus conceptus, natalis, nominatio, præsentatio, Angelica legatio, partus, purificatio, & reliqua mysteria Virginis contigerunt, & similem operam adhibuerunt pro circunstantijs temporum circa gesta Christi Domini, quorum annus, mensis, dies, & solemnitas ex Scriptura, aut Patribus possunt innotescere.

3. Mariam anno decimotertio inchoato ætatis suæ desponsatam tradidit Petrus Cellensis ex Iuone Carnotensi, lib. 9. ep. 9. & quisquis est autor de mirabilibus Scripturæ apud Augustinum, iuxta editionem quam sequitur Morales

in

in cap. 1. Matth. illi putant se de grate, in era Deipara conceperit Saluatorem. Quoniam vero sponsalia Virginis cum Ioseph mense Ianuario, aut Februario acciderunt, & mense Martio proximè sequenti conceptus Saluatoris; idem est annus desponsationis, Incarnationis Domini, & partus Virginei: vt pro circumstantijs annorum explanandis perinde sit vnum, aut alterum mysterium ex tribus vsurpare. Desponsatam verò arbitrantur anno decimoquarto Annius, & Driedo; anno decimoquinto Euodius, Nicephorus, Chronicon Alexandrinum, & Historia natalis Deiparæ apud Hieronymum; anno decimosexto sanctus Epiphanius, & Vincentius Burgundus lib.7. speculi historialis, c.80. & Abul. in 2. Matt. q.91. anno 18. Georgius Heruat. Hebræi plerumque non ante decimum octauum annum saltem inchoatum fœminas desponsabant, vt liquet ex apophtegmatis Hebræorum à Drusio translatis & in lucem editis. Anno vigesimoquarto ætatis suæ completo Mariam desponsatam existimant Albert. c. 39. in Missus est; Caiet. in 2. Luc. Auend. in 1. Matth. pag. 39. Nolumus cum Catharino hanc opinionem Caietani aut periculosam, aut erroneam nominare, cùm plures eam referant, in quibus Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 7. sect. 3. Vazquez in 3. p. disp. 125. cap. 11. Barradas tom. 1. lib. 5. c. 7. nec illam damnent. Alias tamen multò magis probamus, quæ ante decimumnonum Virginis annum sponsalia, & partum Virginis collocant.

4. Cùm plura miranda natalem Virginis præcesserint, ex Anselm. 2. de excell. Virg. & alijs innumeris, probabile est non nulla miracula, portenta, prodigia, prophetias, prædictiones, ostenta elementorum, mixtorum, & corporũ supernaturalium, quæ in annis dubijs conceptionis, & ortus Virginis acciderunt, pro ipsius gloria fuisse patrata, vt illud de Sabbatico flumine in Palæstina, de quo Ioseph. lib.7. de bello Iud. & Rabbi Moyses latinitate donatus ab August. Iustin. Ordinis Prædic. Rabbinum hunc D. Th. allegat 1.2. qu. 102. art. 4. & sæpe alibi; & aliud de miraculo pluuiarum, in extructione templi Herodiani, de quo Ioseph. lib. 5. antiquitatum.

5. Circumstantias seculi, in quo Maria concepta, & nata est, anni cõmunis, vel Sabbatici, vel iobilei, mensis Romani, vel iudaici, lunaris feriæ, & solennitatis, expenderunt graues DD. & plures ex ijs adhærentibus notant Barradas tom. 1. lib. 5. c. 5. Azor p. 2. l. 2. c. 9. Gran. in 3. p. cont. 2. tr. 2. com. 3

& innumeri alij, aut pro dictis mysterijs, aut pro alijs Christi, & Matris.

6. Prodigium celebre Angelorum circa probaticam piscinam (siue in anno semel, siue in tribus præcipuis solennitatibus, siue quotidie pătraretur, in qua thesi autores dissentiunt) factum fuisse, & inchoatum pro gloria Virginis prope ipsam probaticam piscinam ortæ, aut orituræ, piè, probabiliterque dicitur, & creditur; quia iuxta Petrum Blessensem serm. 1. Pereir. in 5. Ioan. paulò ante natalem Virginis Deiparæ magnum illud miraculum cœpit euulgari.

7. Non sine mysterio est, Mariam octaua Septembris die natam, vt tenet Ecclesia: & similiter Hierosolymam octaua Septembris die euersam, vt ait Iosephus 3. de bello Iudaico; quanuis Salmeron tom. 4. tract. 31. existimat die festo Azimorum eandem vrbem a Romanis fuisse captam. Mysteria dat Irenæus lib. 4. cap. 17. & S. Petrus apud Clement. 3. recognitionum.

8. Pium est expendere, quare Maria hyeme concepta, & autumno sit orta, propter similes speculationes, quas interpretes, & Patres adhibere solent in alijs mysterijs, pro illustrandis Scripturis. Tum præterea in annis dubijs conceptionis & ortus Deiparæ considerare quis fuerit bissextilis, sabbaticus, iobileus. Similiter in lunis, quæ noua, plena, & decrescens, quæ solennis, vel ferialis. Tandem horarum circunstantias declarare ex acceptis traditionibus, aut reuelationibus, non sine pietate contingit, quod præstitit Azor parte 2. lib. 2. cap. 19. q. 8. docens, expressis reuelationibus Mariam appetente aurora natam esse, licèt alij ad nocturnum tempus profundæ noctis sanctum natalem referant, ex oraculis quorum meminit Vincentius lib. 6. specul. histor. cap. 65. Spinel. tract. de festis, num. 3.

9 Similes circumstantias horarum, & minutiarum, pro Incarnatione Dominica fusiùs expendunt Doctores. S. Antoninus, & Alb. supra Vasq. 3. p. disputat. 126. cap. 3. Azor parte 2. lib. 2. cap. 9. 11. 17. 19. Granados in 3. part. contro. 2. tract. 2. comm. 3. quod tum pro nostris, tum pro alijs mysterijs, id est Patribus, & Theologis familiare, præsertim cum horam futuræ Resurrectionis vniuersalis scrutantur.

10. Cir-

10 Circunſtantiæ locorum in Scripturis ſæpiſsimè declarantur ad geſtarum, aut gerendarum rerum autoritatem, & veritatem commendandam, ad noua myſteria elicienda, innumeroſque alios vſus. Sic Ieſus in campeſtribus, in montibus, in templo, in porticu, in mari, in ſolitudine deſcribitur aut faciens, aut diuina diſſerens. Sic frequentiſsimè notant Scripturæ, an locus altus, excelſus, humilis, profundus, latus, anguſtus, primus, medius, extremus; an mare, littus, inſula, flumius, ager, fons, puteus, ciſterna, lacus, fouea, ſpelunca, domus, prætorium, templum, tabernaculum, turris, torcular, tectum, thronus, via, ſemita, petra, vrbs, deſertum, mons, cóllis, planum, decliue, vallis, oſtium, feneſtra, murus, ſepes, hortus, piſcina, vinea, villa, prædium, cathedra, an ſupra, vltra, circa, circum, retro, ante, intus, extra, propè, longè, ſupra, infra. Has, & ſimiles alias locorum circunſtantias tum in ſingulis clauſulis Scripturarum, tum in myſterijs, & geſtis Chriſti Domini, & ſanctiſsimæ Virginis, & Apoſtolorum, & Martyrum locupletiſsimè expendunt, & notant volumina ſanctorum Patrum, ſacrorum interpretum, poſtillatorum, gloſſatorum, Concionatorum, & hiſtoricorum; atque adeò non licet veluti inutiles, & noxias ſimiles conſiderationes traducere, aut condemnare. Theſin hanc illuſtrant vberiùs Salmeron proleg. 41. & 42. Arias Montanus, libro cui titulus Ioſeph, ſeu de arcano ſermone.

11. Opinio communis, quam ſectantur D. Vincentius in ſermone de conceptione, & natiuitate Mariæ, Claudius de Rota, legenda 126. & plerique Hiſtorici, & Doctores ex omnibus gremijs, ſtatuunt Mariam in Nazareth fuiſſe conceptam, eaque temporum autoritate, & autorum conſenſu præualuit, vt meritò laudandæ ſint illæ ſpeculationes deſumptæ ex proprietatibus Galileæ, vbi concipitur in aliena tribu, & non longè à mari & in excelſo monte, & ſimiles a iæ ex vicinia Nazareth deſumptæ. Quod Abulenſis allegatus à Barrada, tom. 1. lib. 5, cap. 5. dicit Mariam in Nazareth, aut Sepphoro fuiſſe natam, de conceptione intelligendum eſt. Dicitur Nazarena quoad patriam, ſicut Ieſu, quòd ibi Ieſum diutiùs habitauerit cum affinibus, & cognatis. Quoad Religionem, etſi fœmina, potuit eſſe Nazaræa, ex 6. Numer. Qui cum S. Vincentio ſerm. 1. & 2. de Natiuit. Damaſceno, Niſſeno, Metaphraſte, & alij, à Caſtro in hiſtoria Dei-

paræ.

paræ all gatis, cap. 2. & 3. docent Ioachimum, & Annam templo vouisse, & obtulisse Mariam, vt olim obtulit vet. s Anna Samuelem, admittunt sanctissimam Virginem ex voto parentum fuisse Nazaream, quemadmodum de Samuele scripserunt Chrysostomus, Tertullianus, Basilius, Hieronymus, & alij à Gaspare Sanctio relati, 1. Reg 1.

12. Quatuor illæ Palæstinæ vrbes, Bethleem, Nazareth, Sepphorus, & Hierosolyma contendunt pro natali Mariæ, non sine grauibus patronis: verùm in Hierusalem ortam fuisse Deiparam ex traditione fidelium terræ sanctæ docuit Felix Faber in itinerario, & plures alij ex eodem instituto Prædicatorum. Adricomius allegatus à Barradas, tomo 1. lib. 5. cap. 5. Guillelmus Baldensel in Hudeporicon, Leo Romistal, Cotouicus, Ioannes Zuallardus miles sancti Sepulchri, Radziuilius, & quotquot itineraria scripserunt post Hierosolymam, & Palæstinam ab ipsis perlustratam: in quibus Didacus Salazar Iesuita, in descriptione expeditionis suæ ad terram sanctam, quam Philippo II. iubente suscepit; & ex antiquioribus S Damascenus orat. 1. de natali Virginis, Adamanus Presbyter sancti Columbani de locis Terræ sanctæ, qui floruit anno 690. sancta Brigitta lib. 5. reuelat. 13. Marinus Venetus iussu Martini V. ad lustranda loca sancta consignatus, & quotquot ideò Mariam Solymitanam, seu Hierosolymitanam nominant cum Synesio hymno 9. Robustè hanc opinionem confirmat ordinarium Terræ sanctæ, quod post approbationem plurium Romanorum Pontificum hanc sententiam perpetua traditione constantem ingeminauit. Quod ita factum est, quia Anna desertâ Sepphoro, aut Nazareth abijt Hierosolymam, Virginem paritura, vt ibidem festum expiationis, scenopegiæ, & alia, quæ Septembrē mensem occupabant, de more celebraret. Laudanda est eorum pietas, qui scrutantur, quare Maria in excelsa vrbe, & prope portam gregis, & forum negotiatorum, & piscinam probaticam, & templum Salomonis nascitur, in proprijs, & hæreditarijs ædibus sanctæ Annæ.

13. Peregrinatio Mariæ triennis offerendæ templo, & reditus è templo in Nazareth pro sponsalibus, à nemine in dubium vertuntur. Peregrinatio ipsius post conceptum Saluatoris ad montana Iudæ, ex Luca 1. cap. innotescit: similiter & remigratio in Nazareth. Cùm esset grauida mense

Sep-

Septembri, id eſt, quatuor menſibus ante ortum Saluatoris ſimul cum Ioſepho abijſſe Hieroſolymam, pro feſtis expiationis,& ſcenopegiæ celebrandis,credunt nonnulli eſſe veriſimile;quòd non eſſet liberum Ioſepho, nec tutum in conſcientia abeſſe à Hieroſolymis pro feſto ſcenopegię,nec expediret ſponſam religioſiſsimam erga templum ſolitariam relinquere in Nazareth : regreſſus Mariæ è Hieruſalem in Nazareth eo in caſu denegari non poteſt. Tandem ex Euangelio notum ęſt, menſe Decembri proximo ad implendum edictum Auguſti Cæſaris, Mariam è Nazareth profectam eſſe in Betleem,& inde abijſſe Hieruſalem, pro exequendo myſterio purificationis;Chriſtum verò infantem,antequam templo ſiſteretur,à Magis adoratum,non in præſepi, ſed in aliqua domo, aut cõmodiori loco, grauium virorum opinio eſt,quam ſequitur Maldon.in 2.Matth.vbi addidit concionando magis,quàm interpretandò, Doctores nonnullos ſcripſiſſe,in præſepi Chriſtum à Magis honoratum.Mariam & Ioſephum commodiorem locum infanti nato quæſiuiſſe, eorum ſuadet pietas,autore Maldonato; aut certè Zacharias,& Eliſabeth,qui vicinam vrbem incolebãt,eam fortaſſis curam ſuſceperunt,præſentes in Bethlehem.

14. Peragrata primùm Nazareth,monente Angelo Maria fugit in Aegyptum. Quòd exul in vicina Hebræis inimica prouincia non vltra triennium fuerit commorata, communis huius ætatis opinio eſt; olim autores non pauci ad quinquennium,aut ſeptẽnium, non bene explorato anno mortis Herodis hoc exilium prorogabãt.Loca ibidem locis commutabat Deipara, vt S. Thom. Alb. Magnus in 2. Matth. Hugo in 2. Lucæ, Brocard.in deſcript. Aegypti, Ludolph. Saxonia 1.p. vitæ Chriſti, à c.13.ad 17. Salignacus tom.10.c.6.Marin.Venet.in itiner. Abul.in 2.Matth. q.60. Gerſon in Ioſephina, Maior in 2. Matth. Sozomen.lib.5. hiſt.c.21.Niceph.lib.10. c.31. Sabinus Martyr apud Sur. Martij 13.die,Guillel.Baldẽſ.in Hodœp.Caniſ.lib.5. Marial.c.23. Petrarcha in itiner.Syriæ, Vega Hieronominiãn. &alij innumeri docent,diuiſiuè cõſignantes Hermopolim, Babylonem,Cairũ,Heliopolim,Alexandriã,Memphim,Tanain,& alias Aegypti vrbes. Ne loco vno ſtabilis maneret Deipara,in cauſa fuit ſecuritas filij infantis;faciliè enim Ieſum traderẽt tum adulatores Herodis,tũ ipſius fœderati ſodales

dales à tẽpore quo bella in Aegypto gesserat pro Romanis: de quibus Iosephus 4.antiquit. Fugam prædictam a Deipara mari initam, reditum verò terrestri itinere susceptum Eudocia imperatrix, & graues quidam Doctores scripserunt, & ex circunstantijs temporum, in quibus fuga inchoata, & ex circunstantijs locorum vnde est suscepta, verisimilia argumẽta ad præmissæ doctrinæ confirmationem desumuntur.

Quæcumque de Nili incremento, & anniuersaria inundatione Ægypti per quatuor menses dicuntur, & experientia constant, satis declarant quandiù Maria, Iesus, & Ioseph intra Ægypti Delta habitauerunt, tandiu in ipso flumine, mensibus Iulio, Augusto, Septembri, & Octobri fuisse commoratos, & lembis, nauiculis, vel papyraceis vasibus loca commutasse. Hinc plura mystica venantur sancti Patres cum Anastasio Sinaita lib.9.

15. Mariam, & Iesum in Aegypto plura miranda patrasse docent Germanus apud Pelbartum lib. 7. in fine; Athanasius lib. de Incarnatione Verbi; Eusebius 3.demonst. Euang.cap.20. Palladius in historia Lausiaca, cap.52. Cassiodorus lib.3.Tripart.cap.42. Nicephorus lib.10. capite 31. Blessensis sermone 5, Abulensis in 2.Matth. quæst. 60. Cotouicus lib.2 itinerarij. Vniuersaliùs omnia miraculorum genera post conceptum Saluatoris Mariæ tribuit Basilius Seleuciæ Episcopus, orat. de Annunciat. concludens ijs verbis *O ter sacrosancta Virgo, de qua qui omnia illustria, & gloriosa dixerit, nunquam is quidem a veritatis scopo aberrabit*,

16. Mariam post reditum ab Aegypto, annis viginti sex deserta Nazareth, proficisci consueuisse Hierosolymam cum sponso, & Filio, vt tribus saltem vicibus quotannis compareret, iuxta dispositiones Exod.23.34. Leuit.23. Deut.16.& expositiones Chrysost.in Psalm.104. Cellensis lib.8 epist.7. Augustinus q.161. in Exod. docuere plurimi, præsertim ex Prędicatorio instituto, cum S. Vincentio sermone 4. Dominicæ infra octauam Epiphaniæ, S. Antonino, 4.parte summæ, tit.15.cap 36. Alberto Magno, super Missus est, & alijs; ex Iesuitis; Granados in 3.p.controu.2. tract. 2.comment.10.§.4.idem scripsit affectiuè, Salmeron tomo 3.de infantia Saluatoris, tract. 48. ait parentes Christi fortassis pro tribus festis ter singulis annis a Nazareth conscendisse

diſti Hieroſolymam, etiamſi alij ex diſpenſatione in ſolennitate Pentecoſtes, & ſcenopegiæ non eò profectam arbitrentur. Tolet. in 2. Luc. annot. 68. Maldonat. in idem caput expendunt, quòd licèt Euangeliſta ſolius paſchalis peregrinationis mentionem fecerit, non tamen negaſſe alijs duobus feſtis Pentecoſtes, & ſcenopegiæ parentes Chriſti Hieroſolymam venire conſueuiſſe. Hugo in 2. Lucæ ait: de mulieribus non erat præceptum comparendi ter in anno, ſed ſi comitabantur viros ſuos bonum erat. Similia docet Gerſon tract. 11. in Magnificat. Sunt graues Doctores, qui exiſtiment præceptum comparendi ter in anno Hieroſolymis omnes maſculos, etiam paruulos, comprehendiſſe; ita S. Anaſtaſius Sinaita lib. 9. & fauent Chryſoſt. in Pſalm. 121. Anſelm. in 2. Matth. vnde argumentum ſumitur ad probandum, Mariam ter ſingulis annis conſcendiſſe Hieroſolymam, ne ſine Filio, & ſponſo in Nazareth ſola remaneret. Omnibus ſupradictis Bon. in 2. Lucæ, Palud. enarr. 1. infra octauam Epiphaniæ, & alij ſubſcripſerunt. Quòd ſi morem gentis Hebrææ, & circunſtantias temporis, & Scripturas canonicas, & interpretationes ſanctorum Patrum ſcruteris, inualida eſt à nonnullis illata ſequela, conſequi ex hac tantorum virorum doctrina magnum abſurdum, ſcilicet Mariam ſingulis annis ter euntem, & ter redeuntem â Hieroſolyma in Nazareth nonnullas myriades leucarum viginti & ſex annorum ſpatio percurriſſe. Nihil eſſe periculi in admiſsione ſequelæ, cōſideratis ritibus, & moribus Hebræorum illius temporis, probant non pauci Doctores inferiùs allegandi. Si verba Angeli ad Ioſephum Matth. 2. conſideres, Ioſephus, & Maria ne â templo abeſſent, commorari volebant Hieroſolymis, verùm ex Angeli oraculo ſeceſſerunt in partes Galilææ, & habitauerunt in Nazareth, vt notarunt non pauci in eum locum, ex Euthymio.

17. Maria toto tempore prædicationis Ieſu, cum mulieribus, quæ miniſtrabant de facultatibus ſuis, filium ſectata eſt: quod iam olim docuere Epiph. Auguſt. Ildeph. Metaphraſtes, Euthymius, Bernardus, Guarricus, & Nicephorus â Chriſtophoro Caſtro allegati in hiſtoria de Deipara, cap. 16. & Modeſtus Patriarcha â Photio laudatus Arnoldus de laude Virginis: & latiſsimè Gerſon tract. 11. in Magnificat. Eidem ſententiæ expreſsè ſubſcripſerunt ex

professione Prædicatorum S. Antoninus 4.p.tit.15.c.17. illis verbis. *Pro certo teneas, quòd vbicumque Christus erat,* vsq; ad illa, *multo magis semper ambulauit Maria, vbi Christus orabat, vbi docebat, vbi prædicabat, miracula faciebat, &c.* in quibus sectatur Albertum Magnum, & Ioãnem Dominicis magistrum suum, in Magnificat; & præsertim sanctum Vincentium Ferrariensem, illis verbis, serm. 1. de Assumptione. *Quando Christus ibat ad prædicandum, Virgo Maria sequebatur sermones suos.* Subscripsit Truxil.o fer.4. post Dom. 1. Quadr. Ex Franciscanis Bon. in 8. Lucæ, Carthagena lib. 5. hom. 8. plurium Patrum allatis testimonijs: ex Iesuitis eidem sententiæ subscribunt plures, cum Castro supra, Spinelo cap. 9. Canisio lib. 4. de Deipara, cap. 28. Vasquez 3.p. disp. 122. cap. postremo: ex illustrissimis oraculis tum Isaiæ c. 32. iuxta Tertul. 4. contra Marcionē; tum Scripturarum noui Testamenti, hæ peregrinationes Mariæ, & fœminarum sectantium vestigia Christi, & Apostolorum commendationem habent. Maldon. in 8. Luc. addit, *Patiebatur Iesus mulieres sequi se quia earum ministerio, & facultatibus indigebat: tollebat consuetudo offensionem, vt Hieron. in 27. Matth adnotauit: & ex eo Beda, & Strabus.* Toletus in idem caput Lucæ, annot. 8. probat ex eodem Hieronymo, & Beda, nullam offensionem generasse tempore Christi, & Apostolorum, quòd fœminas pias secum in prædicatione Euangelij circumducerent. Similiter Barradas tom.4. lib. 1. c. 17. ex Metaphraste apud Sur. die Aug. 15. ait Christum, & Mariam nocte Cœnæ vrbanitatē exercuisse erga alias fœminas ipsum sectantes. Itinera fœminarum illustrium cum Apostolis exornat Chrysost. in c. 16. epistolæ ad Rom. super illa verba, *Salutate Mariam*; & alij patres communiter, & interpretes in illud Pauli 1. Cor. 9. *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas.*

18. Sanctissimam Virginem ante Assumptionem in cœlum, sua præsentia illustrasse Ephesinam vrbem Asiæ Metropolim, refertur in epistola synodica Concilij Ephesini ad Clerum Constantinopol. vt docet Suar. tom. 2. in 3. par. disp. 18. sect. 2. Castro in historia Deiparæ c. 18. & communiter alij Doctores. Neque id negauit Epiphan. hæresi 78. Hæc expeditio suscepta est persecutionis fugiendæ causa,

ab

ab Herode excitatæ anno 5?. post natum Christum; vel alterius persecutionis, quam Iudæi commouerunt anno 34. & 35. ab ortu Christi, in qua Stephanus lapidatus est.

19. Mariam post Christi in cœlos ascensum loca Filij vestigijs illustrata frequenter inuisisse, iam olim Sophron. & Ildeph. docuere in sermonib. de Assumpt. At S. Antonin. 4. p. summ. tit. 15. c. 43. sententiam propriam, & Alberti Magni, & Vincentij Beluacensis, & Ioannis Dominicis præceptoris sui, expressit ijs verbis. *Aliquando beata Maria visitabat loca, in quibus Filius fecerat aliquod opus mirabile, contemplando illa sacra mysteria; aliquando in Nazareth ibat, ad locum vbi fuerat annuntiata, aliquando in Bethlehem, aliquando in fluuium Iordanis, &c.*

20. Deipara, Christo à mortuis suscitato, quo tempore Apostoli, & Discipuli, ex præcepto Domini, Marc. 14. & 19. & Matth. 28. in Galileam contenderunt, profecta est simul cum illis pijs fœminis, quæ secutæ fuerant Iesum, ad eandem prouinciam, iuxta Ruperti sententiam lib. 7. de diuinis officijs, c. 15. Castro in hist. Deiparæ, c. 17. expressè subscribit S. Epiphanius hæresi 76. docens, simul cum quingentis fratribus Mariam adorasse Iesum in Galilea. Tandem pro mysterio Ascensionis rediјt Hierosolymam, vbi proximè, postea quàm peractum est, Spiritus sancti aduentum prædolatur in monte Sion.

21. Ex quibusdam epistolis, sub nomine Ignatij Martyris, quibus fidunt Bernard. in psalm. *Qui habitat*, Antoninus supra. Palud. enarrat. 1. in Euang. Visitationis, & alij plures; arbitrantur nonnulli Mariam sua mortali præsentia Antiochiam illustrasse, & pro solatio, & exemplo fidelium quasdam Ecclesias Christi peragrasse. Quod non sine pietate dicunt, & grauissimis illius ætatis documentis, & exemplis, in qua hæc fœminarum itinera summis fuisse laudibus digna expendunt patres, & interpretes nuper allegati. Ijs seculis, ex mutatione regionum, & morum rarissimè hæ peregrinationes mulierum sine scandalo, & offensione contingere potuissent. Viuentibus Apostolis, ex diuina prouidentia sic constituerant disposita, vt ad loca abdita fœminarum perueniret Euangelium ministerio sororum, ad quæ zelotypia Gentilium Apostolos, & alios viros accedere non permitteret.

SECVNDA PARS, DE PERTINENTIBUS ad Mariæ Parentes.

1\. Svnt qui, vt verisimile faciant Ioachimum, & Annam in maternis visceribus fuisse sanctificatos, hæc producant exempla, testimonia, & argumenta. Iacob duodecim tribuum Patriarcha, ex Ambr. & August. relatis a Pereira, in 25. Genes. & ex Dionysio, & Comestore in 28. Genes. sanctificatus antequam nasceretur. Isaac etiam ante ortum gratiam sanctificantem habuisse docet Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis apud Surium tom. 1. die 13. Ianuarij. Moysem priùs sanctificatum, quâm natum sensit diuus Ephrem sermone de Transfigurat. iuxta lectionem, quam allegant Carthagena lib. 4. homil. 3. Cornel. in 1. Hierem. Samsonem simili priuilegio gauisum docuere nonnulli apud Abulensem Iudic. 13. q. 17. Ieremiam communissima sententia statuit ante natalem gratia sanctificante donatum: quem ex paraphrasi Chaldaica vxoratum fuisse, & patrem Ezechielis Prophetæ credunt aliqui. De Baptista Zachariæ filio nulla est dubitatio. Iosephum Virginis sponsum in maternis visceribus fuisse mundatum ab originali macula docuere plures ex instituto Prædicatorum, cum Isidoro Isolanis, & Bernardo Lucemburg, in libris de sancto Iosepho, Dominico Baitanas, in margarita Confessorum, q. vltima, Thoma Truxillo, in vita de sancto Iosepho: quibus subscripsere ex Iesuitis Canisius lib. 2. cap. 13. Salmeron tom. 3. tract. 30. & ex alijs gremijs innumeri, cum Gersone, serm. de natiuit. Virginis ad Concilium Constantiense, & cum Officio Hierosolymitano de eodem sancto Iosepho: ex Ordine Minorum eidem sententiæ adhæret Carthagena lib. 18. homil. vltima, allegans Theophilum, & Chrysostomum, Iacobum Christopolitanū, Archiepiscopum de capite Fontium; idem probat pluribus testimonijs à simili lib. 4. homil. 3. Iacobum fratrem Domini, annis decem ante natalem Christi ortum, idem priuilegium sanctificationis in vtero habuisse docuerunt Eusebius, Egesippus, Metaphrastes; quos refert, & sequitur Truxillo Ordinis Prædicatorum, serm. de ipso. Sanctum Theophanē, ab alijs Isaachium nominatum, in vtero materno sanctum fuisse

fuisse scripsit Simeon Metaphrastes, in eius vita. De sancto Auito idem retulit Surius tom. 3. die 17. Iunij. De sancto Nicolao, & Dominico idem affirmasse nonnullos autor est S. Antoninus 3. p. summæ, tit. 18. §. 6. De sancto Bernardo similiter scribit Abbas de Bonabal lib. 2. cap. 14. & Chrysostomus Enriquez in Menologio Cisterciensi. De sancta Asella idem scripsit S. Hieronymus, epist. ad Marcellam, de ipsius laudibus, & habetur in Baronio, ad martyrologium. De S. Victore Confessore eadem docuit S. Bernardus serm. 2. de ipso, illis verbis. *O virum præcipuæ sanctitatis, qui antea sanctus, quàm natus, ante opere, quàm nomine Victor.* Diuo Gregorio Suellensi idem omnino priuilegium tribuit Dimas Serpi, in apodixi de sanctitate ipsius. Sanctum Remigium fuisse in vtero sanctificatum docuere Hincmarus Rhemensis, vbi suprà. Palud. in 3. dist. 3 & Ecclesia Rhemēsis. Chronica sancti Benedicti eandem sanctificationem in vtero ipsi attribuunt: & sic de alijs alia sunt documenta. Quòd autem S. Thom. q. 3. p. 27. art. 6. dixerit, non esse credendum sanctificatos in vtero eos, de quibus Scriptura mentionem non fecit, interpretantur non pauci de certa, & indubitata credulitate, non de opinabili assensu; cùm plures Thomistæ, vt Paludanus, Isolanis, Baltanas, Truxillo, Lucemburg, & alij superiùs relati arbitrentur S. Iosephum, S. Remigium, & alios, de quorum sanctificatione in vtero nulla est in sacro Textu mentio, nihilominus ante ortū fuisse sanctificatos. Ex præmissis hæc conflant argumenta nonnulli, ad probandum Mariam esse filiam sanctificatorum in vtero. Primò, quia ex celebri axiomate Bernardi, & omnium ferè patrum, & Doctorum, cui innititur Franciscus Suarius tomo 2. in 3. p. quoties disputat de prærogatiuis Virginis; id tribuendum est Mariæ, quod sanctis alijs concessum esse noscitur, si prærogatiua concedenda indecentiam non habeat, respectu fœmineæ conditionis, aut Scripturæ, & Ecclesiæ decretis non repugnet; sed alijs hominibus, vt Iacob, & duodecim Patriarchis, & Dinæ, & filijs Moysis, & Samsonis, & Ieremiæ conceduntur plures esse filios sanctificatorum in vtero: ergo Mariæ idem priuilegium maiori probabilitate concedendum est. Secundò probant, quia prærogatiuæ tot sanctis attributa non videtur neganda Ioachimo, & Annæ, vt puriùs, & sanctiùs Deiparam generarent. Tertiò probāt,

quia

quia grauissimi Doctores simile priuilegium ideò sancto Iosepho detulere, quòd futurus esset domesticus, & commensalis, & socius Iesu, & Matris; sed ex opinione Abulensis, & aliorum infra allegandorum, Ioachimus, & Anna pluribus annis fuere domestici, & commensales, & socij Virginis, & Christi: ergo similis assertio eandem vim habebit pro Ioachimo, & Anna; maximè si aliunde illustrior esset prærogatiua, & cui maiora dona gratiæ deberentur naturaliter genuisse Mariam, & simul cum ea, & Iesu diutiùs conuixisse, quàm Iosephum voluntariè ad honorem sponsi fuisse adscitũ. Hæc omnia quæ retulimus, & ex alijs produximus, licèt apparentia videantur in fauorem prædictæ sanctificationis in vtero parentum Deiparæ, ea tamen asserere non audebimus, donec legitimi Præfecti Ecclesiæ authenticè probabilia esse declarauerint. Modus hic recitatiuè proponendi, & examinatiuè disputandi in rebus obscuris, liber est ab omni censura, vt innumeris testimonijs persuadet Doctor Antonius Saura, in tract. de exam. doctr. c. 1. & 2.

2. Ioachimus ratione prosapiæ, & ex iure sibi debito, erat Rex Iuda, ex opinione plurium, quã sequuntur quotquot scribunt Mariam, & Christum ex debito successionis habuisse ius proximum, & actionem ad regnandum. Ita sanctus Athanas. serm. de sanctiss. Deipara, S. Bernardinus Senens. tom. 3. serm. 1. de S. Iosepho, Bacco in 4. q. 1. prol. art. 2. & qu. 11. prol. art. 3. Burgensis addit. 2. in 1. Matth. Azor 2. instit. mor. c. 15. & alij innumeri. Nonnulli difficulter credunt hoc ius proximum ad regnum temporale Iuda extitisse in Ioachimo; quos ideò possent refutare Doctores allegati; primò, quia constare nequit Ioachimum non descendere à Dauid per lineam primogenitorum. Secundò etiam si supponatur Ioachimum nõ deriuari per lineam primogenitorum, potuit hoc ius adquirere grandæuus, quia Herodes vnico tactu occidit Antigonum, & quadraginta quinque alios viros ex familia Dauid, & deinceps nouas quotidie clades pro extinguendis illius posteris inducebat, in quibus omnes eos absumpsit, qui priores erant Ioachimo in iure regni. De Ioachimo, Iosepho, & alijs non curauit Herodes, quòd procul, & in mediocri fortuna versarentur.

3. Idem fuit Euangelistam Matthæum primo capite numerare progenitores Iosephi, ac si progenitores Ioachimi,

chimi, & Deiparæ sapputaret. Nam ex lege Numer. 27. & 36. tenebantur filiæ non habentes fratrem, præsertim si essent vnigenitæ, vt Maria, nubere viro habili propinquiori secundùm lineam paternam: cui legi manifestè succurrit integer liber Ruth, & caput sextum Thobiæ. Itaque Ioachim Mariæ parens, & Iacob pater sancti Iosephi, aut fratres erant ex linea paterna, aut fratrum filij, aut simili necessitudine sanguinis apud Hebræos nota maximè coniuncti, per eandem lineam paternam ductam â Dauid, Salomone, Roboam, & alijs Regibus Iuda. Hanc partem indubitatam esse docet Canis. lib. 1. cap. 3. his verbis. *Citra hæsitationem dicendum, Mariam ex Regibus à Matthæo memoratis descendere.* Fuit enim tam per se nota, vt nec Iudæi, nec hæretici illam negarent: Apostoli, & Discipuli vt per se notam non probarunt. Rectè Arist. ait, esse dementem eum, qui non intelligit per se nota, si non probentur per alia per se non nota. Consequenter Maria, & Ioseph eandem propinquitatem sanguinis ex paterno sanguine habuerunt. Familiare fuit Hebræis, duobus, tribus, aut quatuor nominibus insigniri. Raguel socer Moysis quatuor alia nomina sortitus est, id est, Ietro, Ceni, Iethur, Cheber: Gedeon interdum appellatur Hieroboal: Salomon duobus alijs nominibus fuit notatus, Lamuel, & Iedida: tres pueri Ananias, Azarias, Misael, tribus alijs nominibus, Sidrac, Misac, & Abdenago distinguebantur: S. Iudas Apostolus Thadæus etiam, & Lebeus dicitur; sanctus Matthæus, Leui; sanctus Thomas, Didymus. Sic Mathan pater Iacob, qui genuit sanctum Iosephum, diuerso alio nomine à sancto Damasceno lib. 4. cap. 15. appellatur Barphanter: ille verò Eleazar, qui â Matthæo dicitur auus Iacob, & proauus Iosephi, est idem cum illo, quem Damascenus appellat Panther, & est auus sancti Ioachimi, & proauus paternus Mariæ, & Iosephi. Itaque, siue per hanc propinquitatē, siue per aliam paulò distantiorem ex paternis lineis communibus Ioachimo, & Iosepho, notissimum erat apud Hebræos, quibus Matthæus Euangelium scripsit, perinde esse supputare parentes Iosephi ex paterna linea, & parentes Mariæ. Euangelista Lucas capite tertio lineam maternam Deiparæ, id est, prosapiam sanctæ Annæ retulit; quòd ea solùm inuestiganda supererat. Dorlandus Carthusianus, &

alij

& alij Annæ parentem nominãt Stolanum; Breuiarium Sixti Quinti appellat G.z'rum., quem diuersa voce Euangelista Lucas nuncupauit Heli. Hic est beatæ Annæ parens, originē ducens à Dauid, non per lineam Salomonis, & Regum Iuda, sed per lineam Nathan filij Dauid. Progenitores naturales Annæ à Luca supputati, dicuntur parentes Iosephi legales per affinitatem. Hæc genealogia materna Deiparæ ex Anna necessariò fuerat à Luca describenda, vt per vtriusque lineæ supputationem refellerentur stultæ genealogiæ adscriptæ Saluatori; quas Simon, Menander, & alij hæretici fuerant fabricati; & quas Basilides, Valentinus, & alij deinceps erant fabricaturi. Oportebat autem Ioachimum, & Annam, & singula nomina duorum, & miranda conceptionis, & ortus Mariæ in Euangelio non numerari, ne rudis gentilitas, cui Euangelium prædicandū erat circa Mariæ diuinitatem fluctuaret, falsò arbitrata vnam esse ex illis fœminis, quas Poetæ Deas effingebant. Interdum minùs blanda verba Iesu ad matrem Euangelistæ referunt, ne in linea Christi genus esse diuinum Gentiles existimarent. Probant nonnulli præmissa asserta; primò, quia singulæ partes habent pro se plurimos patres, & Doctores. Secundò, quia connexio assertorum omnes amouet difficultates, conciliat diuersas sententias, explanat, & concordat varias scripturas. Tertiò, quia siqui aduersantur, solùm id faciunt ex testimonio Africani: hic autem nihil assertiuè dicit, imò suadet alijs Doctoribus, vt viā aliam componendi Lucam, & Matthæum inuestigent, quæ si expeditior videatur, illa cæteris à se scriptis præponenda erit. Quòd esset inæqualis fortuna Iosephi, & Mariæ nihil obstabat, quia apud Iudæos, vt notat Iosephus lib. 2. contra Apionem, non considerabatur fortuna personæ, sed probitas, & cognatio: Quod verò Africanus ait de fratribus vterinis, contra Scripturas militat, quæ cogunt solùm fratrem paternum, aut consanguineum propinquiorem ex linea paterna ducere viduam fratris defuncti; non verò compellunt ad hoc matrimonium fratrem vterinum dumtaxat.

4. Ioachimus, & Anna plura habuere bona hæreditaria, etiam immobilia, vt pascua, arbusta, campos, hortos, domicilia, etiamsi ex temporum, & bellorum iniuria ex parte essent diminuta: singulariter Anna domicilium habuit iuxta domum Ananiæ pontificis in monte Sion, & prope templum

plum Hierosolymitanum: ex iure sponsi illud domicilium à Damasceno 4. de fide cap. 15. dicitur esse Ioachimi. Romani Pontifices largitione indulgentiarum promouerunt religionem huius domus sanctæ Annæ, in qua Maria est nata; cuius etiam meminere Vitriacus cap. 58. Saligniacus tom. 8. cap. 6. Breidembachius 26. Iulij; Zenerius Vera in itinerario Hierosolym. cap. 9. Radziuilius lib. peregrinationis suæ ad Palæstinam; Ioannes Zuallardus miles sancti Sepulcri, & Cotouicus in itinerarijs Terræ sanctæ; Pascha. d. 97. Salazar Iesuita, in narratione suæ peregrinationis iussu Philippi II. susceptæ; Ordinarium Terræ sanctæ, & innumeri Doctores. Hæc est domus, in qua Ioachimus, & Anna hospitabantur, cùm festa Hierosolymis celebrarent: ibi cùm pro solennitate expiationis, & scenopegiæ adessent, nata est Virgo Maria: ibidem etiam diù post ortum Saluatoris, vt graues Doctores opinantur, mortui sunt, & inde ad Getsemani eorum cadauera transportata: quæ omnia tum ex traditione fidelium, tum ex scriptis historicorum, tum ex Romanorum Pontificum indulgentijs innotescunt. In hac domo vixisse Mariam post Christi Ascensionem arbitrantur aliqui: sunt tamen alij, qui cum Alexandro Monacho, orat. de laudibus S. Barnabæ apud Metaphrasten 11. Iunij commoratam existiment in domo Mariæ matris Ioannis, qui Marcus postea nominatus: alij ex Sophronio serm. de Assumptione, Gregorio Turonensi lib. 2. de gloria Martyrum, c. 4. Ildefonso serm. 5. de Assump. Simeone Metaphraste orat. de vita, & dormitione Deiparæ, docent vsque ad dispersionem Apostolorum, simul in eadem domo cum illis Mariam conuersatam. Illud certum est, quandiù Hierosolymis vixit post mortem filij, habitasse in monte Sion, iuxta templum, vt docent Metaphrastes suprà; Andreas Cretensis orat. 1. de dormit. Virginis; Damasc. orat. de Assumpt. Beda lib. de locis sanctis, cap. 3. Cedrenus in compendio, Nicephorus lib. 2. histor. cap. 3. & alij. An hæc domus sit ea, quæ fuerat Annæ, & Ioachimi, & eadem cum illa, in qua Cœna Dominica peracta, & in quam descendit Spiritus sanctus die Pentecostes, & cum illa, quæ ab Alexandro Monacho suprà, & à Gregorio Nazianzeno, seu potiùs Apollinari, in tragœdia de Christo patiente, dicitur esse domus Mariæ matris Ioannis Marci, incertum est: potuit enim fieri, vt Iosephus,

& Deipara donatione, aut venditione se abdicarent illo domicilio, vt pecuniam collatam in pauperes distribuerent, vel ita res disponerent, vt tenerentur emptores, vel donatarij partem aliquam domus pro tempore vitæ mortalis Mariæ ad liberam habitationem dimittere. Illud certum est, vt religiosiùs, & commodiùs frequentes expeditiones fierent, quas Ioachimus, & Anna è Sepphoro, aut Nazareth ad Hierosolymitanum templum suscipiebãt, semper prædictam domum in monte Sion vicinam sanctuario, & probaticæ piscinæ retinuisse; ac tandem post oblatam triennem filiam, in ea vsque ad mortem vtriusque permansisse.

5. Ad Mariam vtpote vnigenitam, tam immobilia, quàm mobilia, semouentia, & aduentitia parentum bona pertinebant, quocumque modo lex Mosaica ferebat, siue à iobileo in iobileum, siue in perpetuum illis se abdicarit Maria. Ex præmissis generibus bonorum plura Ecclesiasticæ historiæ autores sigillatim consignarunt. S. Germanus encomio de Virginis præsentatione, Antiochus hom. 107. Epiphanius de laudibus Deiparæ, Pseudo Hieronymus de Natiuitate Mariæ, Abul. in 1. Matth. q 91. Ildef. serm. 5 de Assumptione, Ludolphus Saxonia p. 1. cap 5. Nicephor. lib. 1. cap. 13, Eusëb. Emissen. hom. de Natiuit. Virg. & innumeri alij succedentium seculorum.

6. Cùm Maria vnica esset hæres Ioachimi, debuit ex lege propinquiorẽ virum habilem ex paterna linea sponsum eligere, vt præcepto Numer. 27. & 36. secundùm veriorem intelligentiam satisfaceret. Ideò Maldon. relatus à Patre Vasq. 3. p. disput. 127. cap. 2. & ipse Vasq. ibidem, cum plurimis, docent, Mariam lege coactam nupsisse Iosepho, ut magis consanguineo. Propterea Matthæus cùm Euangeliũ Hebræis scripserit, quibus notissimum erat Mariam unicam esse hæredem parentum, meritò iudicauit, Deiparam lege coactam nupsisse Iosepho, & non alij: & sic ducta genealogia Iosephi, illam, quam à Ioachimo Maria habuit, clarissimè innotescere. Quam doctrinam sequuntur plures cum Bartholomæo Medina, 3. p. q. 28. Dominico Baltanas. in Margarita confessorum ad finem, iuxta editionem Complutensem anni 1554. Maldon. & alij apud Vasq. 3. p. disput. 127 Pro ea sunt Mariana in 1. Matth. Lucas Brugensis in 3. Lucæ, & 1. Matthæi: ex antiquis verò plerique Patres, & Doctores. Qui

autem

autem dicunt, sanctum Iosephum suo tempore legitimum fuisse successorem Regni Iudeæ, intelligendi sunt de iure, quod haberet ratione sponsæ, cui inerat actio ad regnandum deriuata à sancto Ioachimo. Hi ergo sic exponendi sunt, vt ius regni temporalis haberet Iosephus, quòd sponsus esset Virginis Mariæ, cui vt vnigenitæ Ioachimi bona incorporea erant debita, id est iura ad regnum; verùm cum onere nubendi propinquiori consanguineo ex paterna linea, vt grauiorum interpretum mens ex 27.&36. Numer. declarare consueuit.

7. Ioachimus, & Anna non alium habuere filium, aut filiam, præter Mariam. Salmer. tom. 4. parte 2. tract. 11. ait, etiamsi opinio Annæ tres nuptias deferens, ex quibus alias filias susceperit, plurium sit, alijs tamen de fide suspecta videri. Azor parte 2. lib. 2. cap. 19. qu. 7. ait multò esse probabilius, Annam matrem Domini vni tantùm viro nupsisse, licèt communis olim fuerit sententia Historicorú, & Theologorum, quæ illam tribus viris nuptam fuisse affirmat. Succurrit Damasc. orat. 1. de natiuit. Virginis, Mariam appellans vnigenitam, & primogenitam; Euseb. Emissen. hom. de natali Deiparæ; Theophil. & Euthym. in 19. Ioann. & innumeri alij Patres, & Doctores, asserentes cum Nisseno, serm. de Christi natiuitate, Andrea Cret. encom. de dormit. Virg. Germano de oblatione Deiparæ triennis in templo; Epiph. de laud. Virg. S. Thom. in 1. ad Gal. lect. 5. Ioan. Geometra in hymnis, Mariam Virginem in nimia senectute Annæ fuisse conceptam. Turpe autem esset, fœminam grandæuam iterum, atque iterum nubere, vt Pseudo Hieronymus existimabat.

8. De mysterijs senectutis, & sterilitatis Ioachimi, & Annæ, per mysticos, & morales sensus, non sine laude antiqui Patres, nouique Doctores tractauerunt, vt Nissenus, Andreas Cretensis, Germanus, Epiphanius, Ioan. Geometra proximè relati: & Damascen. orat. de natiu. Mariæ, Niceph. 1. hist. 7. Cedrenus in compendio, Ludolph. Saxonia in vita compendiosa Annæ, Iodocus Beisell. in rosar. S. Annæ, Robertus Gaguinus Generalis SS. Trinitatis, Guillel. Bibancius Carthusian. Tritemius in precat. ad Deiparam, Chlictoueus in carmine Asclepiadeo sancti Ioachimi; Ru-

dolphus Agricola in carmine laudatorio Annæ, Iacobus Reimebanus in Sapphicis de parentibus Mariæ; & innumeri huius seculi interpretes, postillatores, historici, & Theologi.

9. S. Vincentius serm. 1. & 2. de Natiu. Virginis, & alij eiusdem gremij arbitrantur, Annam Mariæ genitricem impotentia, & frigiditate laborasse. S. Germanus, de Virginis præsentatione, & alij plures clausam Annæ vuluã dixerunt, vt indicare videantur matrimonium consummari non potuisse ante horam conceptæ filiæ. Similes aliæ historiæ de hac thesi versantur circa quæstionem de præsenti casu, quæ solùm sub diuinationibus, coniecturis, cõgruentijs, verisim litudinibus, & credulitatibus continetur.

10. Preces, & desideria, quibus in lassa, & sterili senectute Ioachimus, Anna, Zacharias, Elisabeth, sobolem postulabant ab irreligiositate tentationis Dei aliena fuisse, ex magnorum Doctorum commentarijs in 1. Lucæ innotescit; & sigillatim ex diuinis oraculis, quæ Ioachimo, & Annæ intimata sunt, iuxta Epiph. hæresi 78. Germanum encom. de Virg. præsent. And. Cret. encom. 1. de dorm. Virg. Antioc. hom. 107. Ioannem Geom. hymno 2. Nicephor. 1. hist. 7. & alios innumeros.

11. Ioachimus, & Anna per fidem Mariam impetrarunt. Probant nonnulli vtriusque fidem vicisse fidem Abrahami & Saræ, Isaac & Rebeccæ, Iacob & Rachelis, parentum Samsonis, Helcanæ & Annæ genitorum Samuelis, sponsi Sunamitidis, & ipsius Sunamitidis, Zachariæ, & Elisabeth, tum ex diuturnitate credendi, atque fidendi, tum ex plurimis, & intensioribus impedimentis senectutis, & sterilitatis, quæ pro habenda sobole necesse erat superari; tum ex alijs capitibus, facta comparatione per singula. Probant similiter per spem illustrissimam contra spẽ credidisse vberiùs, quàm Abraham, & cæteros iustos veteris testamenti. Hæ collationes, & aliæ similes, si prudenter, & modestè peragantur, piè interdum admittuntur. Sunt alij Doctores, qui expendentes fidem, spem, & charitatem Ioachimi, & Annæ, vtriusque lachrymas, hospitalitatem, peregrinationes, castitatem, pudorem, patientiam, longanimitatem, abstinentiã, ieiunia, timorem, prudentiam, simplicitatem, religionem,

ora-

orationes, sacrificia, vota, gratitudinem, & alias virtutes, quæ à Patribus, & historicis memorantur, & singularibus exemplis illustrantur, Mariam omnium virtutum in parentibus Ioachimo & Anna conuentum facientium esse sobolem.

12. Ioachimus, & Anna licèt virginitatem in actu non habuerunt, illam tamen in habitu tenuere. Susceperunt nuptias, quia pro illo statu virginitas perpetua erat prohibita, non intercedente mandato, aut inspiratione Dei, iuxta communem sanctorum Patrum, & Scholasticorum opinionem; quam sectatur S. August. de bono viduitatis, cap. 8. & de sancta virginit. cap. 4. Hieronym. lib. contra Eluidium; Epiph. hæres. 78. Nissenus de Christi natiuit. Arnoldus de laudibus Virginis; Gratianus 32. q. 4. cap. recurrat. & 27. qu. 1. Guillelmus in 3. Cant. Petrus Blesensis serm. 28. de Assumpt. D. Thomas 3. p. q. 28. art. 4. & in 4. dist. 49. q. 5. art. 3. Bonauent. in 4. dist. 33. art. 2. q. 2. Hugo Victorinus lib. 1. de Mariæ virginit. c. 1. & innumeri alij. Nec ideò dicendum quod Palacios scripsit in 4. dist. 33. disp. 4. meliores fuisse Hebræorum nuptias, quia sub præcepto essent, quàm Christiana virginitas, quia solùm consulta; nam hoc principium limitationes desiderat, v. g. si quis rem præceptam exequatur ob solum intrinsecum obiectum virtutis præceptæ, Missam v. g. ex motiuo religionis, & non ex motiuo obedientiæ; alius verò Missam dixerit non præceptam, ex eodem motiuo Religionis, pares erunt cæteris in æqualitate existentibus, nec præceptum actum faciet meliorem, quia præceptus sit: deinde si actus consultus dicendi Missam exerceatur propter honestatem exequendi rem à Deo consultam, multò melior est, quàm actus similis præceptus executioni mandatus ex solo obedientiæ motiuo: nam primus oritur à duabus virtutibus, scilicet ab obedientia consilij, & à religione, secundus verò à sola religione. Tertiò potest actus præceptus Missę exerceri ex motiuo suę virtutis, id est, religionis, & ex obedientia propter honestatem actus præcepti, vt præceptus est: actus verò consilij si exerceatur ex solo intrinseco motiuo, tunc actus præceptus est multo nobilior, quia à duabus virtutibus emanat, actus vero consilij a sola vna: si verò vterque oriatur à virtute propria, insuper alter ab obedientia præcepti, alter ab obedientia consilij, actus

con-

consultus erit melior, quia vterque oritur à duabus virtutibus, vterque à religione sacrificij in dicendo Missam, vterque ab obedientia; sed melior est obedientia consilij, quàm obedientia præcepti, siue vtraque obedientia sit distinctæ speciei, siue eiusdem, in qua gradus nobilior est obedire voluntati insinuanti, quàm voluntati præcipienti; siquidem illa obedientia consilij virtualiter, & eminenter continet obedientiam præcepti circa religionem sacrificij. Cùm verò dicitur, opus præceptum melius esse opere non præcepto, i. cæteris paribus: nam melior est actus charitatis cõsultus, quàm actus temperantiæ præceptus. Item quia præcepta nos reddunt magis attentos, solent opera ex præcepto facta, esse intensioris, & melioris perfectionis; in consilijs minùs attendimus, quia in eorum executione, vel omissione non est periculum damnationis æternæ. Quòd si ex obedientia consilij insinuantis operemur, opus melius est, cæteris paribus, quàm quod oritur ex obedientia præcipiente. Ijs suppositis, virginitas noui Testamenti melior est, & cæteris paribus meriti maioris, quàm nuptiæ Ioachimi, & Annæ; quia actus temperantiæ coniugij minus est bonus, quàm temperantia virginea, maximè quia virginitas noui Testamenti includit actus præcepto circa illicita, nec potest consilium adæquatè seruari, quin seruetur etiam præceptum. Virginitas vtique noui Testamenti oritur à duabus virtutibus, vt castitas coniugalis Ioachimi, & Annæ; vtraque ab obedientia, vtraque à temperantia; sed melior est temperantia virginea, quàm coniugalis. Ijs omnibus admissis, nihilominùs ex alijs circunstantijs, & capitibus temperantia coniugalis parentum Deiparæ potest esse sublimior temperantia virginea: ad cuius probationem præmittunt Doctores illud, quod scribunt S. Brigitta lib. 1. reuelat. cap. 9. Dionysius Carthus. lib. de laudibus Virg. art. 6. Galatin. 7. de arcanis, & plures alij, Ioachimum, & Annam conuenisse quidem ad actum coniugij, & humano more generasse Mariam; at sine concupiscentia voluptatis, aut sensu vllo libidinis. Notanda verba sanctæ Brigittæ: *Magis voluissent mori quàm carnali amore conuenire, & voluptas in eis erat mortua: conuenerunt carne contra voluntatem suam, ex diuina dilectione, non ex carnis concupiscentia.* Hoc præmisso sic argumentantur nonnulli; Ioachimus, & Anna

Anna grauiorem dolorem, mœrorem, & difficultatem in actu coniugij sentiebant, quàm plures alij in temperantia virginea; ergo singulariter vterque sine virginitate actuali eminentissimè habuit virginitatem in habitu, & nihil de voluptate comitante actum coniugij: propterea quod eminentissimum est in virginitate, scilicet carere voluptate coniugali, excellentissimè repertum est in actu coniugij Ioachimi, & Annæ.

13. Sanctus Ambrosius, & sanctus Augustinus relati à Vasq. 3. p. disput. 120. & alij eos sectantes aiunt, Zachariam, & Elisabeth parentes Baptistæ nullum commisisse veniale peccatum. Sunt qui dubitent ex regula Bernardi, & aliorum, num. 1. huius secundæ partis productorum, an eadem verisimilitudine, & congruentia dici queat Mariam similem habuisse prærogatiuam, qua esset filia parentum, qui nunquam venialiter peccauissent. Roborant probationem, quia Theologi non ob aliud fundamentum existimant Baptismum operari, recedente fictione, nisi propter nudam autoritatem Augustini. Similiter ex illius dumtaxat testimonio plerique Theologi concedunt virtutem quandam obedientialem vniuersalem singulis creaturis ad actus omnes, etiam supernaturales non vitales. At non solus Augustinus, sed Ambros. & alij docent Zachariam, & Elisabeth nulla veniali macula fuisse inquinatos; ergo propter præmissa principia, in laudem virginis idem verisimiliter potest defendi de sanctis Ioachimo, & Anna, nullam scilicet venialem culpam commisisse. Confirmant prædictam opinionem ijdem autores testimonio Catharini, & aliorum, ab omni veniali culpa Ioannem liberantium; item testimonio Ioannis Ech lib. de Prædestin. centur. 3. similiter opinantis de S. Iosepho; Concilium Trid. sess. 6 can. 23. solùm damnat eos, qui affirmare audent, aliquem in tota vita mortali omnia venialia peccata sine speciali priuilegio vitauisse, vt expendit Suar. lib. 9. de gratia, c. 8. idem Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 24. sect. 4. ait, nullâ censuram mereri opinionem dicentium Baptistam nunquam venialiter peccauisse. Verùm, qui sanctissimos quosdam viros, & feminas ex grauioribus testimonijs ab omni etiam minima actuali culpa liberant, id non sine magno priuilegio factum existimant. Hæc quidem fundamenta, licèt in alijs thesibus generare possent assensum

opinionis, nihilominus donec annuant tribunalia fidei, non est asserenda prædicta doctrina. Meritò enim scribit Canus lib.12.c.11.esse parum totas quaslibet exceptiones, aut limitationes circa regulas, aut propositiones vniuersales Scripturæ.

14. Si quod Iosephus 2.antiquit. de Iochabel matre Moysis, & Thomas de Kempis, cum alijs eiusdem instituti, de matre sanctæ Liduuinæ scripserunt, eas sine dolore peperisse, verum est, æquiùs idem priuilegium Annæ partui erit deferendum. Modus, quo in statu innocentiæ fœminæ absque dolore parerent, describitur ab August.4.de ciuitate cap 26.& ab Scholasticis, in 2.dist.20. Eum potuit Anna ex Dei beneficio tenere.

15. P.è creditur Fulberto, in 1.Matth. & alijs pluribus dicentibus Mariam cum eximio corporis fulgore natam, & Ildefonso, serm.de Natiuit.Virginis, scribenti; *Maria Virgo non sic est nata, sicut solent pueri & puellæ nasci:* id est, non illis grauata incommodis, quæ appendices sunt, & additamenta culpæ originalis. Addit ibidem; *Nascitur Maria extra consuetudinem mulierum mundo corde, & corpore ab omni pollutione carnali orta est.* Ea quæ de ortu sancti Edmundi in bulla canonizationis ipsius, & in lib.31.speculi hist. Vincentij scripta sunt circa munditiem partus matris, & ortus filij, æquiori iure admittuntur pro Annæ partu, & Mariæ natali, qui magna ex parte æmulati sunt morem status iustitiæ originariæ, si durasset, vt scribitur ab Scholasticis in 2.dist.20. Idem S.Ildefonsus allegatus à Vazquez 3.p.disp. 121.cap.5.ex cómuni sententia docuit, legem sub qua nunc mulieres pariunt, non esse legem naturæ, sed culpæ. Prodigia, portenta, & miracula partus Annæ, & natiuitatis filiæ, quo magis inaudita, si aliunde non dedeceant, eo magis esse congrua, & credibilia docet Bonau.in speculo cap.1. Vsque ad tertium annum inchoatum lactauit Anna Mariã, ex Niss. orat.de Natiuit.Domini; Damasc.orat.1.de Natiuit.Virg. Simeone Metaphraste, de vita, & dormit.Deiparæ; Germ. orat.de Præsentat. & cæteris Scriptoribus: quod non sine miraculo annorum trium contigit, ex parte maiori, quàm illud, quo Virgo lactauit Saluatorem: siue enim Anna ad temperamentum iuuenile regrederetur, siue permaneret in pristino languore senili, mirabilius est, grandæuam, & sterilem fœmi-

fœminam lactare, quam virginem adolescentem, & fœcundam, postquam miraculosè absque viri attactu concepit, & peperit. Lac Annæ, vtpote ex materia consueta miraculosè confectum, innumeras habuit prærogatiuas, & qualitates arcanas validissimas, quæ parte quarta huius summarij declarantur. Fulibertus in 2. Matth. ex reuelatione Felicis Anachoretæ in regione Thebaidis, refert, Mariam diebus aliquot per hebdomadam semel dumtaxat materna vbera suxisse. Simi iter piè creditur, Mariam, & Iesum, quibus ab initio conceptionis perfectus inerat sensus, & cognitio, & libertas, non ex solo impetu naturæ, verùm simul etiam spõte natos, sicut de infantibus paradysi graues Scholastici opinantur.

16. Ioachimus, & Anna cœlitùs reuelatum Mariæ nomen imposuere filiæ, quo die illã sacramento legis naturæ insignierunt, vt cæteras fœmellas Hebræas solebant alij. Ratione maioris dispositionis, & ex benignitate Dei multò intensiorẽ gratiam ex opere operato obtinuit Maria, quàm cæteræ infantes. Huius sacramenti receptionem admittunt omnes cum Vasq. 3. p. disp. 119. cap. 7. Dies impositi nominis à parentibus incertus est, sicut & dies, quo donata est sacramento legis naturæ. Sanctitatem nominis celebrandam certis diebus alligant nonnullæ Ecclesiæ, per verisimiles, & pias coniecturas, quæ suadent non multò post ortum fuisse nominatam.

17. Iuxta aliquorum sententiam, cui validè succurrit sancta Brigitta lib. 1. cap. 9. Idiota de Virgine Maria cap. 5. & alij, Mariæ nomen est quoddam sacramentale, ex institutione diuina: inuocatum, vel scriptum, quasi ex opere operato miros effectus operatur, quatenùs ad nostram, vel aliorum salutem expedit. Probant in primis, quia grauiores Thomistæ de signaculo crucis, & de nomine Iesu idem dixere, cum Gretsero lib. 4. de Cruce, Serario in caput 2. Iosue, q. 14. Explicat hanc mentem Canisius lib. 1. cap. 1. ijs verbis. *Mariæ nomen singularem energiam, diuinamque virtutem continet.* Secundò, quia orationes Ecclesiæ esse sacramentalia quædam scribũt Caietanus, Ledesma, Lopez, Corduba, Medina, citati à Thoma Sanctio lib. 7. consil. cap. 2. dub. 10. Ergo mirum non est, Mariæ nomen esse sacramentale ex institutione diuina, aut saltem ex applicatione Eccle-

fit. Tertiò suadent, quia clausulis, siue scriptis, siue prolatis sacri Textus similis efficacia ex opere operato, aut quasi ex opere operato tribuitur à Patribus, Chrysost. concion. 3. de Lazaro; & hom. 31. & 36. in Ioan. Hieron. epist. 34. ad Iulian. Iustino orat. 2. ad Græcos, Ambr. 4. in Lucam, Antonino tit. 11. de sacræ Scripturæ vtilitate, cap. 2. §. 2. & alijs. Ergo cùm Mariæ nomen sit ex præcipuis partibus noui Testamenti causabit effectus plures ex opere operato. Ita quidem non pauci sentiunt.

17. Dei nomen in ipso Mariæ nomine continetur, & non raro ex diuina benignitate, iuxta quorundam opinionem, efficaciùs in Mariæ voce, quàm sine illa operari consueuit, vt iam olim Anselmus de excellentia Virginis cap. 6. iudicauit. Mendoza lib. 2. viridarij, probl. 2. disserit, an vtilius nobis sit implorare Mariæ nomen, quàm Iesu, & in quodam sensu efficaciùs esse probat; id est, velociùs Deum operari, & succurrere aliquando, inuocato nomine Marię, quàm Iesu. Magnam huius nominis efficaciam declarant Nissenus hom. de Christi natiuit. Chrysolog. serm. 154. & alij: illud à timore mortis liberat, & dæmonum iniuria, lassum recreat animum, & mœrentem, illumque castificat, securitatem, & præsidium comparat, & innumera alia beneficia confert, quæ passim Doctores obseruant, iuxta Ambr. lib. de instit. Virginis, cap. 5. Maria idem significat, ac *Deus ex genere meo*: iuxta plures Hebreæ linguæ scrutatores notat *myrrham maris & amarum mare, & pluuiam maris temporaneam, & myrrham arbusculam*. Idiota lib. contemplat. de Virg. cap. 5. ait, Mariam interpretari *Doctricem & magistram maris*. Hieronymus, de nominibus Hebraicis, Damasc. 4. de fide, cap. 15. & innumeri Patres, & Doctores ex idiomate Syriaco, Mariam aiunt *Dominam* significare: alij cum Hieronymo suprà, & S. Thom. opusc. 8. docent, idem esse Mariæ nomen, atque *Illuminatrix mea*. Alij cum Ildefonso serm. 1. de Assumpt. Hieronym. in Psal. 118. Bernardino Senensi, tom. 3. serm. 8. art. 3. Bernardo serm. 2. super Missus est, & plurimis Doctoribus Mariam interpretantur *Maris stellam*, tum pro luna, tum pro astro polari. Cœlestium, & sublunarium rerum, elementorum, & mixtorum significationes, simul cum maternitate Dei vox vnica repræsentat.

18. An

18. An conceptio Mariæ ex vtroque parente ſene, & ſterili fuerit miraculoſior conceptione Ieſu, tunc bene inueſtigabitur, ſi quid ſit miraculum, aut miraculoſum opus conſtet. Alexander Alenſis in ſummâ approbata ab Alexādro 4. poſt examen diligens ſeptuaginta Theologorum, autoribus Poſſeuino in Biblioth. Dermitio Thadeo in Nitela Franciſcana, pag. 44. docet parte 2. q. 42. memb. 2. art. 1. creationem primam fuiſſe mirabilem, non miraculoſam: artic. 2. & 5. idem arbitratur de incarnatione, & conceptione Chriſti, & de generali reſurrectione. Iuxta hunc modum loquendi miraculoſior erit conceptio Mariæ, quia verè fuit miraculoſa, quàm conceptio Ieſu, quæ licèt ſit mirabilior, & excellentior, abſolutè tamen miraculoſa non eſt, iuxta hanc ſententiam. Verùm ſi detur in quæſtione de nomine vtramque conceptionem miraculoſam eſſe, non erit conferenda conceptio Mariæ cum conceptione Ieſu, quatenus hæc includit vnionem Dei cum humana natura, & alia prodigia connexa vſque ad ortum Domini incluſiuè, cùm iſta extra rationem conceptionis humanæ verſentur; ſed quatenus conceptio Saluatoris dicit ſolam productionem humanitatis; neque præterea inſtituitur comparatio ex parte vtriuſque conceptionis in ſe, ſed ex parte cauſarum creatarum, quæ ad vtramque peragendam conuenerunt. Hoc erat, quod Mariæ difficile videbatur, quomodò ſcilicet ipſa ſine conſortio viri generaret. In hoc caſu, iuxta graues interpretes, & Doctores reſponſum Gabrielis Archangeli, quo exponit poſsibilitatē conceptionis Ieſu ex virgine adoleſcente, & fœcunda, ab exēplo Ioannis concepti à duplici parente ſterilitate, & ſenectute impedito, non continet argumentum à minori; quemadmodū ex alijs refert Salmeron to. 3. tract. 8. & Hugo in 2. Luc. Antonin 4. p. tit. 15. c. 17. & alij recipientes gloſſam illam Ambroſij. *Maria credenti quæ audierat, ampliora replicat miracula.* i. extenſiue maius miraculum eſt conceptio Ioannis, quàm conceptio ſcilicet humanitatis Ieſu, & ideò Salmeron vbi ſuprà, addit, non improbādo. *Sunt qui conſiderent duplicē impotentiam generandi inſuiſſe Eliſabethæ, nempe ſterilitatis, & decrepitæ ætatis in Maria verò vnam tantùm virginitatis extitiſſe.* adde ex parte Zachariæ impotentiā, ſaltem ratione ſenectutis: vnde fiet extenſiuè magis miraculoſam fuiſſe ex parte cauſarum creata-

sanguineis Christi. Iosephi Iudæi tempore plures centenariam ætatem excedebant vegetij,& incolumes,vt ipse testatur lib.2 de bello Iudaico,cap.7. & longè post mortem Domini Narcissus Hierosolymitanus 4. Kal. Nouembr. moritur, completis annis centum & sedecim, ex Adone in Martyrologio. Duobus seculis ante ortum Ioachimi Esdras annis completis centum & quadraginta, & Mardocheus annis centum septuaginta,mortui fuere, vt ex communi interpretatione elicit Gretserus lib.2.defensionis controuersiæ de verbo Dei,cap.7.Quæ omnia exempla, & grauia alia documenta muniunt opinionem eorum, qui Ioachimum, & Annam diù post ortum Christi obijsse iudicant. Si centenarij moriuntur,quod ferè solenne fuit omnibus cōsanguineis Domini non violenter occisis,annis quindecim Christo conuixere Mariæ parentes:& quo ampliùs iuxta varias opiniones eam ætatem supergrediuntur, diutiùs cum mortali Iesu vixisse constat. Salmeron tom.3. tract. 10. refert nonnullos existimantes Mariam die 24. Martij fuisse in domo materna,& die 25. proxima desponsatam Iosepho, & concepisse Saluatorem,ac proinde ij credunt,tunc saltem matrem Deiparæ fuisse superstitem. Vasquez 3.p.disput.125.cap.9. ait Abulensem dicere, Mariam fuisse in domo parentum, & sub cura eorum,cùm esset in montana Iudæ: ipse tamen dubitat an tunc viuerent; ex quo fit parum fidisse Vasquez historijs Nicephori,& Cedreni hac in re. Tertiò probant,quia credibile non est Ioachimum, & Annam vixisse vsque ad sponsalia Mariæ,vel vsque ad vndecimum annum vitæ ipsius, quin simul fuerint superstites, vt aliquot saltem annis Christo mortali conuixerent:non enim veluti Moyses,ob incredulitatem,aut culpam aliam, in ipso limine promissa terra fraudarentur.

20. Ex præmissa diuturnitate vitæ,qua Ioachimus, & Anna conuixere Christo,& matri,& fuerunt vtriusque socij,domestici,& commensales,hoc tempore nonnulli suspicantur, Baptistam, Iosephum, & Apostolos ab ipsis in sanctitate, & gratia interna fuisse superatos, licèt in alijs gratijs gratis datis longè supra Ioachimum, & Annam excelluerint Apostoli,primitias Spiritus habentes. Probant primò,quia Bernardus Lucemburg, & Isidorus Isolanis in libris de sancto Iosepho, & Alfonsus Gyron serm. de sponso

Vir-

Virginis, & Dominicus Baltanas in margarita Confessorum quæstione vlt. & alij ex eodem instituto Prædicatorum, quibus subscribunt plerique ex Societate Iesu, arbitrantur piũ & probabile Iosephum in sanctitate interna Apostolos superasse; quia cùm esset sponsus Virginis, longiori tempore fuit domesticus, & commensalis Christi. Hoc documento instructi existimant nonnulli probabile esse, Ioachimum & Annam etiã Apostolos in sanctitate interna superasse; quia cùm essent parentes naturales Virginis, & proximi aui Christi Iesu, diutiùs fuere ipso um domestici, & commensales. Hoc debitum eò angustiùs vrget, quo in Suario tomo 2. in 3. p. disp. 8. sect. 2. & alijs dictum constat, vniuersales propositiones de primatu Apostolorum in sanctitate interna, non intelligi de singulis qui cum Christo vixerunt, & Apostolis fuere contemporanei. Probant secundò, quia Ioachimus, & Anna etiamsi actus singulos minùs habuissent feruentes, quàm Apostoli, nihilominus ex diuturnitate vitæ supra centum & decem, aut supra centum & viginti annos, & ex pluralitate actuum in cumulo meritorum Apostolos potuere supergredi: quemadmodum licèt Enoch, & Elias, si in paradyso mererentur, in termino vitæ plures haberent gradus meritorum, & gratiæ, ex millenarijs annorũ, in quibus habent continua merita, nihilominus inferiores essent Apostolis, qui in via temporum multò breuiori singulos actus longè perfectiores, & intensiores eliciebant, quàm elicuerint ijdem Enoch, & Elias. Sic verificatur primatus gratiæ, & meritorum in Apostolis: nam pro tempore quo vixerunt singuli, omnes alios iustos superarunt. Probant tertiò, quia digniores sunt Ioachimus, & Anna, quàm Stephanus: at de hoc dicunt Apostoli lib. 8. constitut. se elegisse septem Diaconos, è quibus est martyr Stephanus, *qui non minùs quàm nos Deum dilexit:* Menologium Græcorum recenset septem Diaconos, & septuaginta duos discipulos, & alios quosdam sub nomine Apostolorum: nec tamen ideò primarijs duodecim Apostolis eos æquare licet: & S. Anastasius Synaita lib. 4. Hexam. de Luca, ait non minorem esse Paulo, & cum eo simul considere; quod hyperbolicè dictum est: verùm de Stephano aliquid singulare Apostoli prædicarunt lib. illo 8. constitut. quoad internam dilectionem Dei non minorem ea, quam primarij Apostoli tenuere.

nuere. Guillelmus Bibaucius tam in distichis, quàm in Sapphicis, in eodem gradu sanctitatis locat Annam, Ioachimũ, & Iosephum: ergo qua ratione loquuntur Apostoli de Stephano, & plures Doctores de Iosepho, poterit etiam sermo esse de Ioachimo, & Anna. Probant quartò, nam disputabile est, an ministerium, & familiaritas parentum Virginis, cũ aggregato omnium circunstantiarum maiorem proximitatem habuerint cum Iesu, quàm familiaritas, & ministerium Apostolorum; id est, problematicum est vtris maior debeatur gratia interior, vt ad dubitare sine assertione liceat, vtrùm pariter de Ioachimo, & Anna, ac de sancto Iosepho liceat opinari. Suarez fauet tom. 2. in 3. p. disput. 8. sect. 2. in simili de Iosepho, ijs verbis. *Non est improbabile Iosephum habuisse ministerium altioris quodammodo ordinis, quàm sit Apostolicum: nam Apostoli habent supremum gradum in ministerio gratiæ gratum facientis; at Iosephus habuit ministerium attingens ordinem vnionis hypostaticæ, quæ suo genere perfectior est, vt pertinet ad autorem vtriusque Testamenti.* Fortasis magis attingit hunc gradum ministerium Ioachimi, & Annæ, si Christo mortali diutiùs conuixerunt. Si, vt ait Grabina tom. 3. præscript. à pag. 55. vsque ad 58. solùm est temerarium affectum Odilonis, de æqualitate sancti Martini cum Apostolis, erit qui dubitet, an propter multò maiorem dignitatem Annæ, & Ioachimi supra Martinum, absit nota temeritatis, si quid simile de ipsis affirmetur. Probant quintò ex regula sancti Bernardi, & sanctorum Patrum suprà relata, qua dicitur, id tribuendum Mariæ, quod sanctis alijs concessum esse noscitur; sed sancta Petronilla est filia Principis Apostolorum, de quo probabilissimè docent plures cum Bellarminio, omnes alios iustos in sanctitate interna superasse: ergo, ne Mariæ desit priuilegium simile, dicendum est, probabiliter defendi, cæteris iustis, etiam Apostolis, Ioachimum, & Annam in iustitia interiori præponi. Probant sextò, quia ij, qui valde familiariter Christo mortali conuixere, Apostoli dicuntur, vt refert Salmeron tom. 14. libr. 5. disputat. 23. & libr. 6. disputat. 21. & tradit Hieronymus in primum ad Galatas. Dixerat idem Salmeron tom. 13. libr. 4. in epist. ad Rom. super caput 16. disputat. 12. ex quorundam sententia ideò Andronicum, & Iu-

& Iuniam appellari à Paulo nobiles in Apostolis, quia sic illi nominentur, qui Dominum in carne viderunt, & audierunt prædicantem: Menologium Græcorum, Ianuarij 4. die Apostolorum festum celebrat, septuaginta comprehendens; & Iunij 30. festum duodecim, & septuaginta Apostolorum. Magna quidem differentia est inter Apostolos primarios, & secundarios: verùm ij, qui maxima necessitudine, & conuictu Christo sunt coniuncti, vt ministri Incarnationis peractæ, aut peragendæ, veluti Ioannes Baptista, Iosephus, Anna, & Ioachimus, etiamsi primitias Spiritus sancti die Pentecostes non acceperint, in primarijs Apostolis numerantur. Confirmantur dicta ex doctrina Suarij tom. 2. in 3. par. disp. 24. sect. 6. vbi ait. *Quicumque Mariam præsentem intuebantur, non ad vetus, sed ad nouum Testamentum pertinebant.* Hæc omnia quæ relata sunt, & ex alijs recitatiuè producta, nunc solùm approbabimus, quando legitimi Ecclesiæ iudices ea probabilia, & tuta esse declarauerint.

21. Ioachimus, & Anna Hierosolymis defuncti, in Getsemani tumulantur. Emerunt instar Abrahami, aut hæreditate acceperunt partem Getsemani, quod Maria pietatis paternæ, & maternæ causa, & pro sepeliendo tum Ioseph corpore, tum suo, vlla sine labe Euangelicæ paupertatis retinuit, nunquam illo vendito, locato, alienato, aut distracto in temporales vsus, iuxta illud Leonis 3. titulo de sepulturis. *Nos instituta maiorum Patrum considerantes, statuimus vnumquemque in maiorum suorum sepulchris iacere: vt Patriarcharum exitus docet. Nulli tamen negamus propriã eligere sepulturam.* Quibus similia in eodem titulo scripsit Innoc. 3. cap. *Fraternitatem.* Maria veteres Patriarchas æmulata est, & pia humilitate in sepulchrum Christi proprium cadauer inferri noluit. Torrens Cedrón, vbi sita villa Getsemani, vulgi ignobilis sepulchra continebat, vt ex 4. Reg. 23. & Ierem. 26. innotescit. Humilitas Virginis ad sepulturam vsque constans, & inuicta. Fortassis Iesus in Getsemani idcirco orare solebat, quia auorum, & Patris putatiui Iosephi cadauera includeret, & propria esset hæreditas Deiparæ, quæ vtpote sacra, & sine paupertatis labe possessa, frequentaretur à Filio.

PARS TERTIA, DE INFANTIA, & adolescentia Virginis, vsque ad sponsalia, inclusiuè.

PLura de infantia, & adolescentia Deiparæ, quoad loca, & tempora mysteriorum ipsius, in prima parte retulimus: plura ex ijs, quæ cum parentibus Ioachimo, & Anna connectuntur, in secunda parte produximus: plurima, quæ ad fabricam virginei corporis spectant, parte quarta proponemus: nunc ea dumtaxat, quæ à præmissis nō dependent, circa infantiam, & adolescentiam Virginis, varijs testimonijs, & argumentis illustrabimus.

1. Mariam ab instanti primæ sanctificationis habui se perfectum vsum rationis à phantasmate depēdentem, ex communissima Doctorum opinione latè probant Suar. tom. 2. ad 3. part. disp. 4. sect. 7. Vasq. 3. p. disp. 119. cap. 3. Barradas tom. 1. lib. 6. cap. 3. Salazar tom. de concept. cap. 31. In hanc sententiam ex singulis gremijs, & ordinibus, & scholis innumeri conuenerunt, eamque validissimis auctoritatibus, & argumentis confirmarunt. Hæc scientia animæ Deiparæ ex suo genere acquisita, per accidens verò infusa, multò fuit vniuersalior, & illustrior in primo sanctificationis instanti, quàm scientia primorum parentum, & Salomonis, & Enoch, & aliorū in vltimo, & supremo gradu, quem in vita mortali consecuti sunt, aut consequentur.

2. Mariam ab instanti primæ sanctificationis habuisse scientiam aliam per se infusam, non pendentem à sensibus, ei similem, qua Angeli, & separatæ animæ ante visionem beatam donantur, piè, & probabiliter grauissimi Theologi opinantur. Ea saltem deneganda non est ab instāti Dominicæ Incarnationis, vt arbitrantur Doctores innumeri, cum Alberto Magno cap. 149. 176. 177. 197. super Missus est; S Bernardin. tom. 2. serm. 51. art. 1. cap. 2. Suarius suprà disp. 18. sect. 2. Salazar vbi proximè; Turrianus in selectis, centuria 3. dub. 14. & quotquot cum Abulensi in 3. Reg. cap. 4 q. 11. Salomoni similem scientiam per se infusam deferunt, & innumeri interpretes, & Theologi, qui in transitu prædictum genus cognitionis Prophetis quibusdam attribuerunt; non enim Mariæ denegandum permanenter, quod

e plu-

plurimis transeunter concessum est. Sic utique matris dignitas, & meritorum incrementum vberius elucerent.

3 Si Maria in primo conceptionis, & sanctificationis instanti Deum clarè vidit in transitu, vt opinantur Hieronymus de Florentia, sermonibus de Conceptione, & Assumptione Suarij literas, & responsa producens, Salazar lib. de Concept. cap 32. §.4. & credit probabile, nullaque censura dignum Turrianus in selectis, centuria 1 dubio 45. & alij huius temporis scriptores, etiamsi per amorem, qui consequitur visionem beatam, mereri non potuisset, nihilominùs mereri posset per amorem, qui consequitur scientiam per se infusam, & per illum, qui consequitur scientiam ex sua natura adquisitam, & per accidens infusam. Absolutè beati, qui peruenerunt ad terminum felicitatis, incapaces sunt meriti, non verò illi, quibus datur visio Dei in transitu, cùm hæc nec datur vt corona, nec terminus sit, neque ex proportione, & correspondentia ad anteriorem gratiam, vel merita concedatur; sed vt Deo placeant qui simili beneficio donantur. Propterea, si illa positio Florentiæ admittatur, in primo instanti conceptionis Deiparæ hæc fuere signa. Primum completum est per infusionem gratiæ, & habituum, & per largitionem auxilij extrinseci præparantis ad visionē, aut qualitatis fluentis, iuxta diuersas opiniones. Secundum, per visionem beatam, actumque scientiæ per se infusæ. Tertium per amorē Dei ortum à visione diuina. Quartum, per augmentum gratiæ ex amore libero. Hæc quidem sic potuere euenire, imò & amor ille ex visione intuitiua Dei, ex plurium sententia, potuit esse liber in indiuiduo, licèt necessariò aliquis semper amor esset habendus.

4. Mariam à primo instanti conceptionis, etiam sine visione beata non potuisse peccare docent Incognitus tom. 1 in Psal. vers. 1478. Lyra in Psal. 86. Maior in 3. dist. 3. q. 1. OKam, & Gabriel, quos allegat, & sectatur Franciscus Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 4. sect. 4. Hanc impotentiam peccandi possibilem ait Vasquez 3. p. disput. 120. cap. 2. & eam ab instanti Dominicæ Incarnationis, Mariæ adscribūt, S Thomas in 3. d. 3. q. 1 art 2. quæstione 3. nec oppositum docet 3. p. q 27. art. 3. Alex 3. p. quæst. 9. memb. 3. art 2. Bon. in 3 d. 3. 1. p. art. 2. q. 2. quæ ijs modis potuit obuenire Dei-

Deiparæ. Primò, indita illi scientia per se infusa supernaturali, qua perpenderet omnes circunstantias: ita vt semper cogitaret vehementiùs turpitudinem peccati, & honestatem virtutis, nec esset in eius potestate applicare intellectum ad aliam cogitationem vehementiorem. Hac ratione priuaretur principijs necessarijs ex parte intellectus, ne posset velle diuersionem ab ea cogitatione; sic Maria esset impeccabilis antecedēter ab intrinseco, in opinione eorum, qui dicunt, non posse esse peccatum, nisi cum ignorantia, aut inconsideratione, ut defectu aliquo in intellectu, vt plures opinantur, Deus mentis compoti facilè poterat auferre potentiam proximam ad peccandum; negato concursu generali in actu primo, vt olim denegauit igni Babylonico. Tollens igitur Deus à Maria aliquid necessarium in actu primo, per prouidentiam extrinsecam illam reddebat impeccabilem. Hæc denegatio concursus in actu primo, cùm nihil esset positiuum, aut priuatiuum in voluntate Mariæ, nihil inferret violentum; non enim carentiæ actus violentæ sunt, nisi quando potentiæ completæ sunt in actu primo.

5. Opinantur Doctores nonnulli huius ætatis, Mariam à primo instanti conceptionis habuisse appetitum sensitiuum instructum ad omnē opus bonum, & fomitem virtutum vniuersarum, ita vt quoties intellectus Virginis bonum aliquod honestum cogitaret, appetitus sensitiuus, siue præueniens, siue sequens, siue comitans rationem, exerceret appetitionem cuiuscumque obiecti Deo placentis; sed potuit fieri iuxta opinionem Doctorum admittentium habitus honestos, & vitiosos in appetitu sentiente, si Deus Mariæ appetitui ab initio formationis suæ infunderet habitus honestos per accidens vehementer intensos; qui perpetuò inclinarent in obiecta Deo grata, & placentia, & auerterēt, atque odium gignerēt in obiecta opposita. Fauet Bas. hom. de humana Christi generatione, appellans carnem Virginis in sanctitate conglutinatam, & Alb. in 3. dist. 3. artic. 6. & alij. Secundò, hic virtutum fomes accidere potuit Mariæ, iuxta opinionem DD existimantium dari species sensibiles insensatas, si eas Maria haberet intensiores de amicitia, & consonantia cum singulis obiectis honestis, sic vt ipsi appetitui sentienti veluti amica, & iucunda proponerētur: v.g.

memoria,& cogitatione castitatis vehementiùs accenderetur,quàm impuri homines consideratione turpium obiectorum delectantur. Tertiò,ex singulari beneficio Dei phantasiæ,aut imaginatiuæ facultati Virginis obijci potuere bona quantumuis ardua, per speciem sensibilem, quæ illi, vt pulchra,grata,& excitantia amorem sui,sentienti appetitui exponeret,& repræsentaret. Propter prædicta Mariæ appetitus bonum delectabile sensibile tunc aspernaretur, quando opponeretur legi diuinæ. Hæc si vera sint, Virgo sanctissima nulla interna tentatione impeteretur, sed ab extrinseco omnes prouenirent: deinde moralem haberet impotentiam peccandi,quod in peccato nullum, aut sic tenue delectabile bonum consideraret,vt nullatenùs amabile videretur.

6. Passiones,& affectus materiales rationem præuenientes, quatenùs inuoluntarij sunt, â peccato originali dimanant,vt ipsius pœnæ, & effectus. Sic docet communis Scholasticorum sensus,in 2.dist.30.& 31. Nouissimè Suar. 3.de opere sex dierum, cap.12. ex verbis Concilij Tridentini, sess.5. canone 5. hanc veritatem certam esse existimat. Azor 1.p.instit.lib.4.c.32. Propterea quotquot Doctores Mariæ fomitem denegant ab instanti conceptionis, ex consequenti in ea non corporeas passiones, sed propassiones agnoscunt. Medina 3.part.q.27.art.4. concl.2. & Ægidius lib.4.de effectu gratiæ Virginem præseruantis, q.2. art.10. motus primò primos anteuertentes rationem,& libertatem Mariæ denegandos iudicant:& communiter existimant plerique, cum Tolet.in 1. Luc.annot.74. Suar.tom.2.de vita Christi,disp.9.sect.3. Sorio serm.5.de conceptione, omnes passiones Mariæ fuisse propassiones, nullumque eius affectum sensitiuum præuenisse rationem; Salazar lib.de conceptione, cap. 19. addit verba Leonis Imperatoris dicentis infinitum affectuum, passionum, & animi perturbationum cumulum, quem alijs Eua distribuit, Mariam non attigisse. Auxiliantur S. Cyprianus serm.de Natiuitate; Richard.de S.Vict.lib.2.de Emmanuele, p.2. cap.29. Hesichius serm. 2.de laudibus Virginis; Damascenus allegatus â Canisio, lib.4 de Deipara,cap.15. Ioannes Geometra hymno 2. & alij innumeri. Ex hoc principio inferunt nonnulli,turbationem Deiparæ, Gabriele incarnationem Dominicam prænuntiante,fuisse voluntariam, & imperatam: præterea nullum

lum

lum vehementem amorem sensitiuum, langarem, aut mortem Mariæ inferre potuisse, si non prius ipsa illum vellet, & imperaret per superiorem animæ rationalis iussionem, & sic de extaticis actibus, & alijs similibus decernunt.

7. Vt Theologi nonnulli primas Christi incarnati cogitationes scrutantur; sic pijs, & probabilibus oraculis, & testimonijs alij Mariæ in maternis visceribus delitentis contemplationes à primo conceptionis momento inuestigare contendunt. Patriarcha Hierosolymitanus Ximenius lib.2.cap.24 & 25.ex quibusdam Theodoreti monumentis, quæ necdum prælo commissa: & cap.17. 18. 19. 20.23. ex Nazianzeno, & Doctore Lyconiæ, & alijs in monumentis, quæ eo sæculo versabantur, plures describit materias, partim lugubres, partim iucundas contemplationis Deiparæ infantis latentis in vtero Annæ; iuxta ea, quæ num. 1.2.&3. relata sunt, haud est difficile ijs oraculis, & testimonijs fidem adhibere.

8. Virginis conceptionem, & natiuitatem pluribus prodigijs, portentis, & miraculis illustratas, maximum terræ, & cœlo gaudium intulisse, & nouam rerum conuolutionem inuexisse constat ex pluribus oraculis, & testimonijs. Legendæ cōtemplationes Paphnutij apud Ximenium Patriarcham, lib.2. cap.26. & aliæ Abbatis Zosimi ibidem; & tandem illæ, quæ c. 23. sub nomine S. Gregorij Nazianzeni referuntur; & aliæ, quas Ioannes Beleth, & Raulin sermone 1. de Natiuit. & plures alij enumerarunt: quibus innititur S. Vincentius serm.2. de Natiuit. Virginis, dicens: *Statim Angeli in cœlo fecerunt festum conceptionis.*

9. Modus loquendi plurium Patrum, & Doctorum succurrit opinioni Francisci Maronis, apud Pelbartum tomo 1. aurei rosarij, verbo *Angelus*; & S. Odonis Cameracensis in exposit. canon. dist. 3. & aliorum dicentium, Mariam ab instanti conceptionis nullum custodientem Angelum habuisse, quoad exercitium protectionis superioritatem importantis; sed Deum se solo præsidentem. Non ideò negant adstitisse Deiparæ legiones plures Angelorum in custodiam, quæ dicitur obsequium, & famulatus. Hoc genus custodiæ ministerialis, & seruilis est, quod Petrus Damianus orat. 1. de Natiuit. Bern. epist. 77. Sophronius serm. de Assumpt. Eusebius Emissenus homil. in vigilia Natiuitatis

Domi-

Domini. Ildefonsus serm. 5. de Assumpt. Vdalricus in 4. suæ summæ apud Carthus. in 2. dist. 1. q. 2. Gabrieli attribuũt. Alij cum S. Gregorio Nazianzeno in reuelatione allegata à Patriarcha Ximenio lib. 2. vitæ Christi, hanc seruilem custodiam Michaeli Archangelo deferunt. Vnus ex ijs, aut alius è supremis spiritibus fuit præfectus totius militiæ, quę Deiparæ mortali famulata est. Quod Suarius lib. 6. de Angelis, cap. 17. indubitatum decernat, Mariam habuisse custodientem Angelum, & quòd Abulensis in 18. Matth. qu. 6. duos eidem custodes Angelos consignet, iuxta præmissa declarandum est. Neque propterea negant, innumeras Angelorum cohortes sub vnius, aut duorum præfectura Deiparæ seruilem custodiam præstitisse. Nam & sic expressè decernunt Patres, & Doctores, Georgius Nicomed. orat. de oblat. Virg. S. Bernardinus serm. 5. art 3. Alanus in 4. Cantic. & innumeri alij.

10. Mariam in ætate infantili proximè post ablactationem à parentibus Deo, & templo dicatam docuere Epiph in vita Virginis, Nissenus orat de Natiuit. Domini, Germanus in encomio Deiparæ, Simeon Metaphrast. orat. de vita, & dormit. Deiparæ; Niceph. 1. histor. 7. & Euodius apud ipsum; item innumeri alij Patres, & Doctores, quorũ sensum, Ecclesia Græca in antiquis menologijs, & officijs sectata est; & in nouissimo Breuiario à Clemente VIII. pro Græcis recognito, tam in festo, quàm profesto Præsentationis Deiparæ, sectatur illam appellans, *corpore triennem, & spiritu annosam*. Ecclesia Latina à tempore Sixti V. eamdem veritatem, pietatemque celebrat: cuius festiuam obseruantiam Pius V. à Romano Breuiario instas ob causas ad tempus expunxerat. Antequam Maria templo dicaretur, non parentes illam ablactarunt, sed ipsa à lacte materno abhorruit, mammam attingere nolens, vt ait Nicephorus 1. hist. 7.

11. Eadem Ecclesia Græca in præmisso Breuiario à Clemente VIII. recognito, approbat Andreæ Cretensis dictum, quòd Maria in templo *communem cibum non sumeret*, Germani, & Georgij Nicomediensis, quòd *ambrosiam nutrimentum per Angelum sumeret*; & Ioannis Geometræ hymno 2 dicentis; *Salue almo corpus nutritum rore polorum*: & hymno 3. *Gaude concretum sublimi corpus olympo*:

& in

& in officijs festi sanctę Præsentationis hęc repetit; *Gabriel cibum illi purissimum* deferebat: & in vigilia festi; *cibo cœlesti nutriebatur*: & iterum; *cibus cœlestis ipsi emittebatur*: & iterum; *Gabriel te in templo nutrit*. Quibus apertè declarat, Mariam ex purissimis, lectissimis, & potentissimis alimentis materialibus corruptibilibus (quæ cœlestia dicuntur, propter egregias cœlestes impressiones ipsis inditas) singulare robur, & perfectionem temperamenti, & illustrissimas qualitates recipere potuisse, vt etiam dignum filij habitaculum corporale disponeretur, præter supremas illas dotes primordiales, quibus sacratissima Deiparæ caro in prima formatione ditata fuit.

12. Vox *ambrosia*, etiamsi Pseudodeorum alimentis à Poetis Gentilibus fuerit attributa, absque prophano vsu potuit sanctè alimentis ministerio Angelorum in templo Deiparæ oblatis, à Patribus, & Ecclesia Græca comparari, & applicari. Sic Iob 9. Gentilicæ voces vsurpantur, & 2. Reg. 23. & Isai 34. Titanes, Sirenes, & Onocentauri ad exprimendas veritates sacras adducuntur: sic Scholiastes Theoduli Deiparam assimilat Dianæ, & Iunoni; & passim occurrunt similia exempla. Canis. lib. 2. c. 7. vtens S. Cyrilli Hierosolymitani, & Ruffini testimonijs Mariam Mineruæ comparat; deinde veram Dianam, Lucinam, Cererem, Penthesileam, Amazonum ductricem appellat; tandem Helenam, Didonem, Medeam, Semiramidem, Cleopatram, & alias vanè laudatas fœminas in censum adducit.

13 Iam olim Ecclesia Græca & credidit, & celebrauit Mariam in Sanctis sanctorũ habitasse annis pluribus, atque id ipsum Clemens VIII in vigilia Præsentationis recitandum indulsit eidem Ecclesiæ. Euodius apud Niceph. lib. 2. c. 23 ait Deiparam annos vndecim traduxisse in Sanctis sanctorum: idem scripsit Germanus orat. de Præsentat. Virginis, & Georgius Nicomed. in orat. de eadem thesi; & alij plures. Nonnulli hanc historiam arbitrantur esse difficilem, quia ex lege Domini, vni dumtaxat summo Sacerdoti ad Sanctuarium patebat ingressus, & semel in anno. Hic tamen scrupulus facilè sedatur: primò in sententia Gorionidis, lib. 1. cap. 17. Epiphanij, de vita Hieremiæ. Historiæ scholasticæ, cap. 3. Iudith, Dorothei, in synopsi; Richardi de S. Victore, libro 4 except. cap. 11. Serarij, in harmonia

Macha-

Machabeorum lib.2.cap.1.& 2.qu.19.& plurim aliorum existimantium arcam,& tabernaculum Mosaicum ab eo tẽpore,quo ablata sunt,& abscondita tempore Hieremiæ,nũquam comparuisse,nec esse comparitura vsque ad extremos mundi dies. Hæc si ita sunt,vt sentit Iosephus lib.6.de bello, cap.6.docens, in sancto sanctorum nihil omnino fuisse, quo tempore Titus vastauit Hierosolymam, expeditè defenditur propter absentiam veræ arcæ,& sanctuarij Iudæos insignem Virginis sanctimoniam,& prodigia contemplantes; illam eorum loco substituisse eo in tabernaculo,quod ad similitudinem Mosaici post libertatem Babylonicam fuerat ædificatum: existimarunt cessante vera arca, & tabernaculo,leges etiam prohibentes ingressum cessauisse:vt propterea credibile sit,quod nonnulli Nisseno tribuunt in orat. de Natiuit. Annam matrem Virginis ingressam fuisse sancta sanctorum;& quod Ecclesiastica officia de S.Iacobo referunt, liberum fuisse illi ex consensu Hebræorum penetrare in sanctuarium eius ætatis,quod solùm referebant similitudinem primitiui vsque ad finem sæculorum latentis in obscuro. Secundò etiamsi contra veriorem,communioremque sententiam supponatur sanctuarium, & tabernaculum Mosaicum inuenta fuisse Cyri tempore,cùm è captiuitate Babylonica populus Hebraicus iterum Hierosolymis congregatus est, illudque Mariæ ætate perseuerasse, nihilominus valde esset credibile,atque probabile, Deiparam in sanctis sanctorum habitasse: ipsius enim vitæ integritas, & morum sanctimonia euulgata stupendis prodigijs, ac miraculis cœlorum,& elementorum,& mixtorum,& parentum;innumeris etiam oraculis,visionibus, & manifestationibus ab ipso conceptu, & ortu clarissimè illustrata, Hebræos Sacerdotes ad hoc nouum consilium, & inauditum honoris gradum exhibendum Mariæ coegissent, maximè si viri sanctissimi diuinis responsis,& angelicis oraculis hanc fuisse Dei voluntatem explorassent. Plurima de fama Virginis in templo commorantis ex S.Seuero hom.de ineunte anno, Alexãdro epist.ad Parthemium Patriarcham Alexandrin. Ægidio in serm.de Deipara,& alijs pluribus prodidit Patriarcha Ximenius lib.2.de vita Christi,cap.44.& 57.Tandem expendendum est testimonium Leuit.cap.16.solùm iubere,vt nullus hominum sit in tabernaculo, quando Pontifex sanctuarium

rium ingressus fuerit, vt pro se roget, & domo sua, & vniuerso cœtu Israel, donec egrediatur: illo egresso arbitrabantur Sacerdotes Hebræi ob insolitas causas id alijs licuisse: idcirco iuxta Egesippum, lib. 6. quem refert Eusebius 2. hist. Eccles. cap. 23. & Epiphan. hæres 78. Iacobum fratrem Domini in sancta sanctorum admittebat Concilium Sacerdotũ. Similes alias exceptiones, & limitationes cõsidera pro alijs locis templi, & atrij, ad quæ interdum fœminis, & non Leuitis accessus negabatur.

14 In sanctissima legum patriarum disciplina educata Maria inter pudicissimos parietes omnium virtutum sublimissimum concentum dedit: fama adolescentis Virginis vniuersam Palæstinam occupauit, vt pluribus testimonijs illustrat supra Ierosolimitanus Patriarcha Ximenius: sigillatim, cap. 47. refert Gregorium Turonensem libello de salutatione angelica dicentem ex diuino oraculo constitisse Deiparam ex quo templum ingressa est, nunquam sine cilicio vixisse; somnũ semper humo nuda, aut duris tabulis captasse; ieiunia ipsius nullo vnquam tempore fuisse interrupta: Non absimilem reuelationem attulit D. Bonau. in vita Christi cap. 3. de afflictionibus corporis à sanctissima Virgine susceptis. Historia Virginis cui hæ tabulæ, assertionesque viam præmuniunt pro libro de infantia, & adolescentia Virginis, tum has, tum alias virtutes ipsius in templo commorantis pluribus, & authenticis testimonijs illustrat.

15. Cùm Maria in templo versaretur, prima omnium votum virginitatis spontaneum, seu voluntarium nullo Dei præcepto coacta nuncupauit. Nouissimè Paulus Serloquius Iesuita tom. 2. in Cantica vestigat. 20, sect. 2. innumeris Scripturarum, Patrum, Scholasticorum, & Doctorũ huius temporis testimonijs hanc etiam veritatem illustrauit, confirmauitque. Ex illa sectione constat vniuersum ordinem Prædicatorum, & Iesuitarum, & alios religiosos cœtus pro ea sententia pugnare: illi expressè auxiliatur Bernar. homilia 4. super. *Missus est*. Arnoldus tractat. de laudibus Virginis. Hugo de S. Victore libello de Mariæ perpetua virginitate. Philippus Abbas lib. 2. in Cantic. cap. 9. Ricardus de S. Laur. lib. 3. de laudibus Virginis, §. duodecimũ priuilegium, & lib. 6. tit. Maria filia. Bonau. in opusculo Pharetræ lib. 1. cap. 5. Alb. Mag. super *Missus est*, cap. 182.

 Anto-

Antonin.4.part Sũmæ,cap.20.§.10.& 1,p.hiſt.tit.4.cap.1.§.11.Vincent.Veluac.in ſpeculo morali lib.1.diſt.96.p.3. Dionyſius Chartus in Pſal. 44. incognitus ibidem. Hic deniquè fuit communis ſenſus Patrum, & Scholaſticorum, imò & totius Eccleſiæ Dei,vt docent Abul. in cap.11. Iudic.quæſt.56.& Caniſ.lib.2.cap.12. Ex omnibus gremijs, & ordinibus, & ex SS. Patrum venerando conſeſſu innumera teſtimonia, eaque expreſſa à Doctoribus huius ætatis cõpilantur; Pro confirmatione huius veritatis advertendum eſt ſermonem,aut tractationem non eſſe de virginitate coacta ex Dei præcepto, hominum, & neceſsitatis violentia, aut de virginitatis voto coacto,aut de integritate perpetua ſine voto;ſic enim fuere,qui Iepte filiæ, Eliæ, Ieremiæ, & paucis alijs perpetuam virginitatem attribuerint. Præmiſſo modo intellecta doctrina apertè eſt. D.Thom.3.p.q.28.art.4.ad 2.& in 4.diſt.30.q.2 art.1,quæſtiunc.1.S.Bonau.in 4.diſt.30.art.1.quæſt.2.Palud.ibidem diſt.33.q.2.cuius verba in ſuis numerat. S.Antonin.3.part.tit.2.cap.1.Capreol.in 4.diſt.30.q.1.Ricard.ibid.art.2.Sot.ibidem quæſt.1.artic.1.Michael Palacios ibid.diſp.4.qui diſp.1.dixerat rem eſſe perſpicuam,Bartol. Medina 3.p.q.28.art.4.Dionyſ.Carth.in 4.diſt.30.q.2.Bellarmin. 2.de Monachis probantis hanc doctrinam ex Beda, & Ruperto,Suarij tom.2.in 3.p.diſp.7.ſect.3.& cæterorum Doctorum, quorum cõſenſum Gabriel Vaſquez expendens 3.p.diſp.124.cap.5.docet hanc eſſe vnanimem ſcholaſticorum ſententiam, & eã illuſtriſsimè declarauit Albert ſuper Miſſus eſt, cap.118. Lorinus in Pſal.44.& Cornel.in 12.Apoc.& Caſtro in hiſt. Deiparæ, cap. 3.& Caniſius, & Sherloquius ſupra plura adducunt teſtimonia S.Bartholomæi,Nazianzeni, Nicetæ, Ambroſij,Sophronij,Origenis,& aliorum,quibus omnibus manifeſtè ſuccurrit;S.Auguſtin.lib.de ſancta virgin.cap. 9. S.Hieron.epiſt.22.ad Euſtoch.Guillelm.Abbas in 3.Cãt. Bleſſenſis ſerm. 28.de aſſumpt. Aponius citatus à Caniſio lib.2.cap.14.Thomas de Villanoua ſerm.2.de Annunt. Secundò probatur doctrina præcedens eorum omnium teſtimonio, qui aſſerunt ante Mariæ votum nullum aliud virginitatis votum præceſsiſſe:ita Barthol.Apoſtolus, quem allegant,& ſectantur, D.Bonau.lib.1.pharetræ cap.5.& Caniſ.lib.2.cap.14.idem ſtatuit Bernar.hom.3.in Miſſus eſt. Aug.

Bleſ-

Bleffenfis, Hugo, Sotus, Medina, Suares, & Vafquez fupra allegati. Tertiò fuadetur eadem veritas auctoritate pluriũ Doctorum, qui cum Aug. lib. de bono coniugali, cap. 19. 20. 21. 22. Heronym. lib. 1. aduerfus Iouinian. Gratiano 32. q. 4. cap. Recurrat, & alijs innumeris docent in veteri lege matrimonij dignitatem prȩlatam fuiffe virginitati: ergo mirum non eft neminem de voto illius emittendo cogitaffe. Quartò probatur ex teftimonijs plurimorum dicentium fimul, & probantium in veteri lege ignominiofam fuiffe perpetuam virginitatem, quod egregie, & copiofè perfuadet S. Bernar. hom. 3. in Miffus eft: ideo Alb. fupra virginitatem nominat maledictum legis, Ricardus de S. Laurentio fupra opprobrũ legis, Hugo de S. Victore fupra abiectionem plebis, & opprobrium hominum. Canifius fupra virtutem invifam, & horridam Iudæis, Palud. vbi fupra, & Antonin. 3. p. tit. 2. cap. 1. docent non fuiffe laudabile in veteri teftamento feruare virginitatem; S. Thom. 3. p. q. 28. ideo folùm votum virginitatis fub conditione attribuit Mariæ, quia leges eius temporis exigebant, vt fponfum acciperet: S. Hieronym. lib. contra Eluidium ait omnes fideles veteris teftamenti nuptijs colligatos, vt maledictum legis euitarent, & fic communiter cæteri Doctores opinantur. Nec maledictio hæc folam tribum Iuda coercebat, licet etiam illam nominatim fpectaret, fed cæteras etiam tribus, vt liquet ex libro Tobiæ defiderātis Chrifto in pofteris deferuire, etiamfi effet ex tribu Neptali. Omnes vtique Patres, & Doctores maledictum contra perpetuos virginitatis profeffores ad vniuerfas tribus producunt. Quintô probatur teftimonijs grauifsimorum virorum afferentium inter Hebræos virginitatem minus fuiffe bonam, quàm matrimonium. Hi funt Nazianz. in exhort. ad virg. Hieronym. lib. contra Eluidium latifsimè. Bernar. hom. 2. fuper Miffus eft: Arnoldus de laud. virg. Bleffenf. ferm. 28. de Affumpt. Guillelmus in 3. Cantic. D. Thom. in 4. dift. 30. q. 1. & Bonau. in 4. dift. 33. art. 2. q. 2. Dur. in 4. dift. 33. q. 4. Palud. in 4. vbi fupra. B. Thomas de Villanoua ferm. 1. de Annunt. latifsimè. Sexto probatur eorum teftimonijs, qui dicũt in lege veteri virginitatem fuiffe prohibitam, vt Bon. in 4. dift. 33. art. 2. q. 2. S. Thom. 3. p. q. 28. art. 4. & in 4. dift. 49. quæft. 5. art. 3. q. 1. Caiet. in præfatum locum 3. p. a. t. 3. Dionyf. Carthuf. in 4. dift. 30. q. 2. Pa

lacios in 4.dist. 30.disp. 1.& dist.33. disp.4. & innumeri alij. Septimò probatur ex eorum testimonijs,qui asserunt tẽpore Deiparæ prohibitionem diuinam de voto virginitatis perseuerasse. Sic Augustin. de bono viduitatis,cap. 8. & de sancta virgin.cap.4. Hieronym.lib.contra Eluidiũ, Epiph. hæres 78. Nissen. de Christi natiuitate. Hugo Victorinus lib.2.de Mariæ Virgin.cap.1. latè hanc partẽ suadens, Guillelm.in 3. Cant. Arnoldus, & Petrus Bles. supra. Gratianus 32.q.4.cap.Recurrat.& 27 q.1.Communis Doctorum Ecclesiæ sensus tot modis expressit Mariam fuisse primam, quæ in mortali genere votum virginitatis spontaneum, seu voluntarium nullo cogente Dei præcepto nuncupauit. Octauò probatur testimonijs eorum, qui præcisè de fœminis loquentes statuunt Mariam esse primam, quæ inter mulieres virginitatem voto mancipauit: Ioannes Ierosol. aut quisquis est Auctor libri de Instit. Monachorum. Thomas Vualdensis tom.2, de Sacramental.cap. 130.& tom.3.tit.9.capit.89. Incognitus in Psalm.44. Thomas Iesui.lib.1. antiquit. cap.2. Doctores professionis Carmelitanæ hanc veritatem mutuati sunt ab ordine Benedictino, S. Gregorio allegato à Gloss. in 1. Lucæ, Strabo in eundem locum. Beda ibidem,& in serm de Annunt. Ruperto,qui citatur à Canisio lib.2.cap.12.& ex alijs gremijs expressè fauent. August. tom.9.tract. 10.in Ioan. Hieronym. epist.22. ad Eustoch. Guillelmus Abbas S.Theodoric.in 3.Cant. B. Thom. Villanoua serm. 2.de Annunt. Bonau.in 4.dist. 3.art. 1. quæst. 2. Nonò, omnia hæc fulciuntur auctoritate Patrum dicentium virginitatis votum ante Deiparam fuisse impossibile, sic expressè Chrysostomus tom. 5. homil.9. de pœnitentia, quæ apud alios est decima, statuens nullum è veteri lege potuisse se virginitate religare. Non ibi loquitur Chrysostomus de virginitate, vt integritatem corporalem continet, hanc enim Iosue, Eliam, & Eliseum conseruasse valdè est verisimile; de virtute interiori locutus, quæ nec propositum, nec votum perpetuæ virginitatis admittebat, quòd lex coniugia præcepisset. Nemo igitur statum lege maledictum voto consecraret. S. Athanasius lib.de Incarn. Verbi doctrinã Chrysostomi clarissimè expresserat, Proclus Constantinopolit.in Concilio Ephesino conspicuus luculenter eandem mentẽ impressit serm.de Transfigurat. legatur. 1.p.tom.5.

Bi-

Biblioth. Col. ann. 1618. Decimo suadetur testimonijs Doctorum asserentium virginitatem esse, quo lex Euangelica à cæteris sectis secernitur. Sic Athan. apol. ad Constantinum docens solum apud Christianos virginitatem seruatam, cuius verba allegat Canis. lib. 2. cap. 12. Similiter Origenes decernit in cap. 13. Matth. vt refertur à Canisio supra, & Euseb. Cæsar. in historia lib. 2. cap. 16. Quæ omnia, & singula pluribus argumentis, syllogismis, exemplis, & scripturis confirmantur; probantque manifestè nullum Patrē, aut Doctorem annis mille & quadringentis post ortum Christi docuisse fuisse virum, aut fœminam, quæ perpetuam virginitatem vouerit antequam Deipara votum de illa nuncuparet: qui producuntur in contrarium sub aliqua ex ijs expositionibus comprehenduntur: primò, vt loquantur de virginitate, *iussa magis, quàm sponte oblata*; vt iam olim scripsit Guillelmus Abbas S. Theodorici Bernardi discipulus. Secundò, vt sermonem habeāt de virginitate præcepta, vt piè nonnulli credunt de Iosue, Elia, Eliseo, Ieremia. Tertiò, vt solùm tractent de castitate coniugali, aut viduali post susceptionem liberorum, quæ voto testamenti veteris firmari poterant. Quartò, vt de virginitate temporali disserant. Quintò, vt de virginitatis habitu disputent, quem diximus secunda parte harum tabularum, & propositionum habuisse Abrahamum, Ioachimum, Annam, & alios vxoratos. Sextò incertum est de nonnullis, qui in virginibus testamenti veteris numerantur, an verè fuerint virgines. Nam Maria soror Moysis nupta dicitur, virique nomen, idest vr à Iosepho notatur 3. antiq. 3. Baronio in appar. cap. 45. Vasq. 3. part. disp. 124. num. 9. Ieremias à nonnullis cum Paraphra. si Chaldaica existimatur naturalis parens Ezechielis: de Elia ante propheticum munus ex matrimonio filios suscepisse credunt plures, qui cum Petri Damiani celebri sententia dixere Eliam fuisse Phinees, de quo ex Scriptura constat habuisse filios: Daniel ideò semper cælebs ex quorundam opinione, quia Eunuchus ex violentia Regis Babylonij, vt scripsere nonnulli à Gaspare Sanctio allegati in prolegomenis huius prophetæ: De Abele Salianus anno mundi 80. dubitat, an fuerit vxoratus. Opponi posset Chrysostomum homil. 4. in Marcum, quæ in nonnullis editionibus est homil. 4. in Vigil. Epiphaniæ, docere nonnullos veteris testamenti

casti-

castitatem vouisse. Respondetur primò, Chrysostomum homil. 9. vel 10. de pœnit. esse pro communi sententia. Secundò ex Bellarm. de scriptoribus Ecclesi. eas homilias in Marcum non esse Chrysostomi, sed simplicis cuiusdam monachi; si eædem clausulæ sunt in imperfecto Matthæi, nil obstant, quia opus non est Chrysostomi, sed hominis Arriani, aut saltem valde est deprauatum. Tandem de voto castitatis coniugalis, aut vidualis commodè exponitur. Obijci deinde potest. S. Damascen. 4. de Fide, cap. 24 & 26. dicens fuisse *in lege magnum castitatis votum*. Respondetur eum duntaxat de coniugali, aut viduali castitate locutum, quam Iudith. cap. 16. dicitur amauisse: aliam cum virginitate perpetua coniunctam castitatem vouere non licebat, vt ex Scripturis, Patribus, & scholasticis innotescit, & ipse Damascen. orat. 2. de Assumpt. solam Virginem appellat, quia illa virginitatis inuentrix. Hinc fit Nazareos perpetuos in lege veteri potuisse votum castitatis coniugalis, aut vidualis perpetuæ nuncupare; cum indubitatum sit Sansonem, & Samuelem fuisse perpetuos Nazareos, constat nihilominus fuisse vxoratos; quo argumento conuincitur nullum Nazareum obligatum fuisse voto virginitatis. Opponitur tertiò Essenos coniugia recusasse. Respondetur, si sermo sit de Essenis nonnullis ante ortum Christi rem esse certissimam auctore Iosepho lib. 2. de bello, cap. 2. qui ideò ait respuisse coniugia, quod crederent nullam fœminam vni viro fidem seruare; erant nihilominus non solùm turpes, & impudici, verum etiam hæretici, vt docent Nilus in Ascetico, & Philastrius hæres. 9. Bellarm. lib. 2. de Monachis, cap. 5. si sermo sit de Essenis noui testamenti, damus illos esse Christianos, & virginitatem nuncupasse, vtpote religiosos, & fideles nouæ legis.

16. Hoc votum virginitatis Deiparæ existentis in templo notum fuisse Sacerdotibus docuere Nissenus de Christi natiuitate, & Epiphan hæres. 78. credentes quibusdam narrationibus Iudæorum; quibus etiam fidentes subscripserunt Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 7. sect. 3. Vasquez 3. p. disp. 124. cap. 6. Canis. lib. 2. Marialis cap. 11. Castro capit. 3. & 4. in hist. Deiparæ, Ribadenereyra in vita Virginis; & alij, in quorū sensum inclinat autor, qui sub nomine Ioānis Ierosolymitani circumfertur, cap. 36. docens Essenos

adijsse

a liisse Ierosolimam, vt de emisso virginitatis voto Mariæ congratularentur: verum cum thesis hæc historialis sit, doctrinam nō spectans, tantumdem habet ponderis prędictorum auctoritas, quanta fuerit veracitas, & grauitas eorum historicorum, quibus Nissenus, & Epiphanius innituntur. Nissenus solùm rumorem, & arcanam credulitatem sine auctore allegat: Epiphanius addit se pręmissam narrationem ex Iudęorum traditione accepisse: at illa nonnulla fabulosa continet, quæ idem retulit Epiphanius, scilicet sanctum Iosephum fuisse bigamum, item octogenarium, cùm Mariam duxit vxorem. Sunt propterea nonnulli, qui certum existimenc votum virginitatis Mariæ non innotuisse Sacerdotibus, atque adeò illam Iudęorum narrationem esse falsam: primo quia plerique Patres allegati à Salmerone tom. 3. tract. 29, Castro de historia Deiparę, cap. 4. statuunt ideò susceptum Marię matrimonium, vt ipsius famę, & pudicitię consuleretur, sed si admittatur illa narratio Iudęorum de manifestatione voti Deiparę, de consilio Sacerdotum, de traditione Virginis commissę Iosepho in custodiam, & non in vsum coniugij, de spōsione, & quasi fidei iussione Iosephi circa non violandam Deiparam; de comitijs coactis in Ierusalem pro consulendo Domino, de responso, & diuino oraculo, pessimè audiret intra annum, aut biennium Sanctissima Virgo quando partus eius accidit, & Christus haberetur filius sacrilegij, & plura alia absurda consequerentur, ea igitur historia credenda non est; Quod si dicatur omnes in posterum existimasse, Mariam de Spiritu sancto absque cōsortio viri concepisse, reclamant Euangelistæ dicentes de Iesu, *vt putabatur filius Ioseph.* Deinde Herodes cognito simili conceptu, & ortu manifestè cognosceret, quis esset ille infans, qui perquirendus esset ad necem; Tertio ex sententia Magistri in 4. dist. 30. & Gratiani 29. q. 2. cap. *sufficiat*, sectantium Damascenum, & alios Patres, ea quæ gerebantur circa Dominicam Incarnationem erant nota paucrsimis, imò ex singulari Dei prouidentia turbante, & obscurāte cognitionem Dęmonum, ipsis etiam hęc mysteria abscondebantur. Quarto si illa Iudęorum narratio subsisteret, imprudenter Maria in domum traduceret virum, ex cuius conuictu saltem post partum & impudica, & sacrilega videretur. Mitto promissionem illam de non consummādo matri-

trimonio traditione Iudęorum admissam ex D. Thomæ, & multorum Theologorum sententia, quam sequitur Salmerō tom.3. tract.29. esse contra veritatem matrimonij. Multò faciliùs est, data reuelatione secreta, aut arcano Dei imperio de ineundo contractu matrimonij Mariæ,& Iosephi,quā admittunt plerique Patres,& Scholastici, totam hanc difficultatem componere;quàm ad Seleuci, & Iudæorum narrationes confugere.

17. Quod refertur à Nisseno, & Epiphan.supra;& ab auctore historiæ de ortu Deiparæ sub nomine Hieronymi,& à Georgio Cedreno, de coactis Mariæ consanguineis secum ferulas,aut virgas deferentibus in Hierusalem, vt illi desponsaretur Virgo sanctissima,cuius ferula, aut virga flores emitteret, ex credulitate pręmissæ traditionis Iudęorū acceptum est. Pugnat autem cum manifesta luce scripturarum,quas secunda parte produximus,in quibus expressè decernitur filias hæredes non habentes fratrem,debere nubere propinquiori viro habili in linea paterna. Verisimilius est Ioachinum,& Annam, vt diuinis legibus satisfacerent filiā tradidisse Iosepho in sponsam, ipsum verò diuina reuelatione admonitum fuisse,ne illam cognosceret, Mariam verò simili oraculo certiorem factam esse de non temeranda virginitate:mysterium hoc summo silētio absconditum est,donec instāte necessitate progressu temporis Iosepho, Elisabethę, Zachariæ, Baptistæ, Simeoni, Annæ Phanuelis, Mariæ parentibus,Magis,Pastoribus,& alijs paucissimis iustis, paulatim innotesceret. Erat quidem Virginis sanctitas, & morum integritas magnis nobilitata prodigijs,miraculis,& hominum plausu,atque adeò vniuersæ Palestinæ conspicua, & vulgatissima: nihilominus Dominicæ Incarnationis sacramenta omnes ferè latebant.

18. Maria, quo tempore ab Archangelo salutata ideò habitabat in Nazareth,quia illius proaui, vel ataui occasione bellorum,quæ à Machabeis in Iudęa geri cœperunt annis circiter centum septuaginta quatuor ante ortum Christi,quieti, & securati, & religioni consulentes in Galilæam tunc à militari tumultu, & apostasia liberam,commigrarūt, vt docet Epiphanius hęres.51.intuebantur proaui, & ataui Deiparæ luctuosissimas clades Hierusalem, desertum Dei cultum, inuectos idololatriæ ritus, bellorum supplicia ex

æquo

æquo cum culpis certantia, immani feritate, atque barbarie sanctos Dei famulos à perditissimo Tyranno Antiocho de medio sublatos: Horrebant vbique omnia à superstitione, sęuitia apparatu mortis: ideò relictis Hierusalem, & Bethleem contenderunt in Galileam, vt Sepphori, vel Nazareth pacatam, & religiosam vitam traducerent: Quæ in libris Machabęorum referuntur vsque ad mortem Simonis Machabęi annis circiter centum, & triginta tribus ante natum Christum, satis euincunt non licuisse auis, proauis, vel atauis sanctissimæ Virginis in Hierusalem, aut Betleem remigrare: Ioannes Hyrcanus in prçfectura militiæ, & summo Sacerdotio suffectus est Simoni parenti supra annos triginta. Horum plures externorum bellis, Iudęorum odijs, & Hierosolymitanis obsidionibus insumpti: Postrema tempora Pontificatus Hyrcani in pace peracta sunt, ipse tamen, parentum religione deserta apostasiam, aut hęresim Sadducęorum propagare curauit; ideo progenitores Ioachimi ad annum usque cētesimum tertium ante ortum Christi, in quem mors Hyrcani incidit, quieti propriæ, & religioni conseruandæ incumbentes tutò non potuere in Hierosolymam, & Betleem remeare, maximè quia Pharisęorum, & Sadducęorum intestinis discordijs periclitabantur omnia. Mortuo Hyrcano filius Aristobulus Pontificatum inijt, & simul diadema Regium tyrannice vsurpauit. Is in vindictam scelerū primo tyrannidis, & Pontificatus anno fungitur vita. Proximè eius loco suffectus illius frater Iāneus Alexander anno centesimo primo ante partum Virginis: is annis viginti septem, id est vsque ad annum septuagesimum quintum ante ortum Christi Regnum, & Pontificatum suscepit, in quibus inauditam ab orbe condito sęuitiam exercuit; quinquaginta mille Iudęis sexennio violenter occisis, & innumeris alijs cladibus in subditos sibi populos inuectis: Haud licuit parentibus sanctorum Ioachimi, & Annæ tutam Galiliæ stationem deserere, vt in periculosissimam natalē Prouinciam Iudeæ, idest in Hierusalem, & Betleem pedem referrēt. Successit Imperio Iudaico Alexandra vxor Iannei, sibi nomen, potestatemque Reginæ tribuens. Hyrcano primogenito deferens Hebręorum Pontificatum, ambiuit eandem Sacerdotalem dignitatem supremam Aristobulus frater Hyrcani; Horum tumultus, & seditiones ad annum

g sexa-

sexagesimũ secundum ante ortum Christi grassabantur, in quo sub Consulatu Marci Tullij Ciceronis Pompeius vniuersam Palęstinam Romano Imperio subiugauit, & Hyrcanum in Pontificatu stabiliuit, quem tenuit annis quadraginta quinque, idest vsque ad 29. ante ortum Christi; imminebãt grauissima discrimina ex antiquis discordijs, ex inchoato Regno Herodis posteros Dauid ad necem perquirentis; idcirco Ioachimus, & Anna incolæ Sepphori, & Nazareth in Galilea paci & religioni diuinæ consulentes, in patriam Betleem, & incolatum Hierusalem remigrare timuerunt, sic Deus attemperauit omnia, vt annis centum septuaginta cogerentur progenitores Christi abesse à natali solo, vnde ipse Galilæus, & Nazarenus haberetur. Singulæ narrationes sine auctoritatibus propositæ extractæ sunt ex libris Machabæorum, ex S. Epiphanio, ex Iosepho Iudæo, & ex cæteris Hebrææ, & Romanæ historiæ illorum temporum absque aliorum oppositione, & contrarietate. Singula persequitur, illustrat, & probat Salianus integro tomo sexto Annalium: Quod in libro vltimo epistolarum S. Isidori Pelusiotæ legisse me memini Christum Dominum ciuẽ fuisse Romanum, nec tamen ideò flagella, & Crucem per appellationẽ detrectasse, ideò verum erit, quia Põpeius omnes posteros Dauid ciuitate Romana donauit, vt eos Imperio deuinctos teneret.

19. Anna mater sanctissimæ Virginis peracta adolescẽtia, & in prouecta iuuẽtute Deiparæ moritur; ea si Christo à mortuis surgente reuixit iterum sine dolore sui corporis exuuias terræ, & Ecclesiæ restituit, quæ Romæ seruantur iuxta sanctam Brigittam 6. reuel. cap. 104. De corpore S. Ioachimi an cum Christo surrexerit non cõstat, nec de eius statu, aut loco vlla est notitia. Menologium Græcorum die 9. Septembris celebrat Synaxin sanctorum Ioachimi, & Annæ.

20. Thobiæ 13. in gratiam huius viri sanctissimi ex Dei beneficio quotquot filij, & cognati aderant, & adesse debebant longo post tẽpore Deo, & hominibus grati sal tẽ vsque ad quartã generationem describuntur. Abundantius simile priuilegium donatum fuisse omnibus consanguineis infantis, & adolescentis Mariæ suadet pietas. Illustrat hanc thesin in simili de Christo Blessensis ep. 69.

1. A.

LIbet hic circunstantias temporum, in quibus mysteria infantiæ Virginis acciderunt explanare iuxta exactissimam normam computistarum, quàm ex Patribus, Doctoribus, & peritioribus Mathematicis extraxit Paulus Guldin Iesuita; licet enim hic de hac thesi pro mysterijs Virginie nihil dixerit, nos ipsius principijs insistentes hanc materiam speculabimur.

Anni cõpleti Virginis in partu, & dubij pro ipsius conceptu, & ortu.	Feria, Luna, Mẽsis Conceptionis in 8. Decembris die.	Feria, Luna, & mẽsis in quæ incidit Natiuitas.
25. A. ——	Vener. Lun. 6. The.	
24. G. ——	Sabbat. 17. Chisleu	- Sabbati 15. Elul.
23. F. E. ——	Lunæ 28. Chisleu.	- Lunæ 26. Elul.
22. D. ——	Martis 9. Thebet.	- Martis. 7. Tisri.
21. C. ——	Mercurij 20. Chisl.	- Mercurij 18. Elul.
20. B. ——	Iouis 1. Thebet.	- Iouis 29. Elul.
16. A. G. ——	Sabbat. 12. Thebet	- Sabbati 10. Tisri.
18. F. ——	Dom. 23. Chisleu.	- Dom. 21. Elul.
17. E. ——	Lunæ 4. Thebet.	- Lun. 2. Tisri.
16. D. ——	Martis 15. Chisleu	- Martis 13. Elul.
15. C. B. ——	Iouis 26. Chisleu.	- Iouis 24 Elul.
14. A. ——	Veneris 7. Thebet.	- Veneris 5. Tisri.
13. G. ——	Sabbat. 18. Chisleu	- Sabbat. 16. Elul.
12. F. ——	Dom. 29. Chisleu.	- Dom. 27. Elul.
E. D. ——		- Martis 8. Tisri.

QVoniam oblatio Virginis post Annæ partum octogesima luce, idest Nouembris vigesima sexta die: & præsentatio ipsius tertio ætatis suæ anno inchoato peracti sunt, expedit circunstancias temporum ipsius per annos etiam dubios explorare.

Anni ante ortum Christi dubij pro ortu Virginis.	Oblatio Virg. 80. die ortus, facta 26. Nou. quibus Lunis Chisleu.	Præsentatio 21. Nouemb. quibus Lunis Chisleu.
25. A.		
24. G.	4. Lunæ.	
23. F. E.	Mercurij 15.	
22. D.	Iouis 26.	Sabbati 21.
21. C.	Veneris 7.	Domin. 2.
20. B.	Sabbat. 18.	Lunæ 13.
19. A. G.	Lunæ 29.	Mercurij 24.
18. F.	Martis 10.	Iouis 5.
17. E.	Mercurij 21.	Veneris 16.
16. D.	Iouis 2.	Sabbati 27.
15. C. B.	Sabbat. 13.	Lunæ 8.
14. A.	Domini 24.	Martis 19.
13. G.	Lunæ 5.	Mercurij 30.
12. F.	Mart. 16.	Iouis 11.
11. D.	Iouis 27.	Sabbati 22.

PArtus Virginis incidit in vigesimam quintam Decembris diem sub litera B. Dominica die, Luna 23. Mensis Thebet.

Circumcisio Christi sub litera Domin. A. Luna 30. Thebet

Epiphania Domini die Veneris, Luna 5. Mensis Sebat.

Purificatio Virginis die Iouis, Luna 2. Mensis Adar.

Tandem vt præcipua mysteria Virginis quoad temporũ circumstantias explicentur exponendum est de annis dubijs mortis, & Assumptionis ipsius, & de annis per aliquam probabilitatem certantibus.

Anni dubij Assumptionis Deiparæ post ortum Christi.		Feria & Luna mensium Abr. & Elul. vnquam incidit; dies 15. Aug.	
43.	F.	Iouis	12.
44.	E.D.	Sabbati	23.
45.	C.	Dominicæ	4.
46.	B.	Lunæ	15.
47.	A.	Martis	26.
48.	G. F.	Iouis	7.
49.	E.	Veneris	18.
50.	D.	Sabbati	29.
51.	C.	Dominicæ	10.
52.	B. A.	Martis	20.
53.	G.	Mercurij	3.
54.	F.	Iouis	14.
55.	E.	Veneris	25.
56.	D. C.	Dominicæ	6.
57.	B.	Lunæ	17.
58.	A.	Martis	28.
59.	G.	Mercurij	9.

Pro

Pro hactenus relatis expende quamquam ad difficiliora cō-probanda plures à nobis Doctores produci potuissent, so-lùm nonnullos allegatos. Sic pro dictis numero 3. huius tertię partis, Mendoza in Viridario lib. 2. problem. 10. re-fert quosdam sensisse visionem beatificam mortalis Deipa-ræ fuisse perennem; quibus non assentimur. Ipse concludit probabile, id esse de instanti conceptionis; quod etiam do-cuit Turrianus in selectis Centur. 1. dub. 45. Pro dictis nu. 2. de scientia indita Virgini à prima formatione, quæ non penderet à sensibus facit Aug. 10. de Trinitate, à cap. 3. vs-que ad 12. & lib. 9. cap. 3. docēs nostrum intellectum in hac vita posse intelligere sine vlla sensus operatione: idē ait Ri-cardus de S. Victore lib. 1. de arca mystica, cap. 6. & lib. 3. cap. 9. Henricus de Gandauo quodlib. 9. q. 15. probat esse in nobis interdum aliquod intelligere abditum, quod non pendeat à phantasmate. Pro numero 6. confirmatur illatio de Maria sine dolore mortua, & propositionibus ex doctri-na Aristotelis, & Platonis dicentium mortem naturalem non solùm sine dolore, sed etiam cum voluptate posse con-tingere, quos sectatur Mendoza in Viridario lib. 4. probl. 10. Pro num. 11. de non communi cibo quo Maria aleba-tur in Templo sunt innumeri plurium seculorum Doctores cum Bonau. in lib. meditat. vitæ Christi, cap. 3. Suarez tom. 2. in 3 p. disp. 7. & alijs. Certe tum D. Paulo Eremitæ, tum Iudæis omnibus per plures annos cœlestis cibus ministra-tus est, haud mirum, quod Beatæ Virgini simile priuilegiū fuerit concessum, quamdiu erat in Templo, vt magis expe-dita Deo, & contemplationi vacaret. Quod artificiosè An-gelus fecit panem pro Helia, cui naturale esset, vt quadra-ginta diebus, & noctibus ieiunus Propheta incederet ex vi vnius sumptionis ostendit quid alimenta Angelorum manu disposita pro Deipara in Templo præstare potuissent. Ni-hilominus pro assertis quæ plurium approbationi, & pace re-cipiuntur, nolumus innumera congerere testimonia.

24. Quod interdum Euangelistæ res sine ordine cō-muni historicorum, aut Rhetorum, aut Scholasticorum nar-rent, & veluti in cumulum conijciant docuere graues Do-ctores apud Maldonatum in caput 7. Ioannis cùm nō rarò, nec ordinem dignitatis, nec ordinem historicum, nec ordinē oratoriū per ascensum, aut descēsum, aut ęquabilem contex

turam

turam ſequantur: ſed floribus vernantem campium ſpectandum prębeant, in quo nullus ſit alius ordo, quàm viciniæ, aut diſtanciæ. Profectò in referendis nonnullis Chriſti ſermonibus, & ſententijs ordinē nullum, ex prædictis fuiſſe ſeruatum plerique exiſtimant eſſe veriſimile cùm idem omnino ſermo diuerſo contextu, & ordine à tribus Euangeliſtis interdum conſcribatur. Proinde aliquis ſaltem eorum, nec ordinem temporis, nec ordinem naturæ, nec ordinem doctrinæ Philoſophorum, & Scholaſticorum tenuit. Et ſanè ita ſępe expedit, vt nullam quæramus cohęrētiam, vbi nulla eſt. Omnes Chriſti prędicationis gemmæ ſunt, & grana, in cumulo granorum, gemmarum, & theſaurorum, magnum quid eſt, pretioque dignum, vt congeſtus ſit aliquando, vtroque ſine ordine diſpoſitus; ſumma varietas Euangeliſtarum in ſcribenda eadem ſententia, & in anticipationibus narrationum & in referendis, aut prętermittendis factis, & verbis ſalvatoris huic exiſtimationi ſuffragantur. Cum plurima Chriſti dogmata nullum ſpecialem colligantiam habeāt, vt ea quæ in libro Eccleſiaſtici, & alijs ſępiùs recitantur, neceſſe eſt, vt nullus ibidem ordò reperiatur, pręter eum qui dicitur vicinitas, aut diſtantia, aut alius ſoli Dei ſapientiæ cognitus. Sic ſtellarum fixarum multitudò nullum exhibet ordinem artificioſum qualem in viridariorum areis adnotamus cum laberynthis ex arbuſtis, aut myrto, aut buxo compactis, aut cum meandris flexuoſis, emblematis, coronis, & armis ſcutarijs. Sed in illo immenſo ſpacio certum ac inuariatum aſtrorum ordinem artificioſum, aut naturalem nobis conſpicuum non cognoſcimus. Verum ſicuti in ſparſis paſſim granis in pauimento vnuſquiſque imaginatione propia figurarum aliquatum ductibus ea circumſcribere poteſt, vt vnum ab alio diſtinguatur, ſic etiam ſapientes Gręci ſtellarum illarum ſparſam multitudinem intra figuras illas ſuæ gentis proprias incluſit, vt ſub Herculis, Engonati, Bootis, Perſei, Andromedæ, Cephei, Ganimedis, Caſiopeiæ, & reliquarum ductibus, & membrorum, aut armorum partibus comprehenſæ, ſingulæ diſtinguerentur. Quod ſi aliquæ ſtellæ videātur figuram aliquam naturalem, aut geometricam exprimere, vt triangularem, rhomboideam, circularem, in modum coronarum & clypeorum, lineaſque præſeferre rectas, & flexas quis non etiam in granorum cumulis, & ſparſis hu-

mi fortuito granis si velit, aduertat. Astra igitur aliquam habent artificialem figuram, aut Ellipseos in vmbone Bootis, aut circuli in corona Septentrionali circa ipsum Bootem, aut trianguli in ipsa constellatione quæ ideò triangulus appellatur, aut rectæ lineæ in balteo Orionis, aut sagittę Septentrionalis, aut Rhombi in Delphino, aut caudæ Scorpionis ob recu uam seriem stellularum spondilos ipsius caudæ repræsentantium; aut fluuij tortuosi; ob innumeras sinuoso in spatio cœlesti sparsas stellulas; aut serpētis, & Hydriæ ob alias stellarum eiusmodi series sinuosos serpētis, & flexus exhibentes, aut crucis deniquè ob recēs visas circa Polum Australem crucis instar stellas. Verum si inuicem constellationes, aut stellæ conferantur, nullum habent ordinem humanis oculis conspicuum, qui hortis vel rebus artificiosis solet inesse, aut qui plantas, & bruta im membrorum situ comitatur, sunt quasi grana fortuito iuxta nostram intelligētiam visumque dispersa, quamquam non propterea aliquid respectu Dei fortuitum nominatur. Adest certa vicinitas, aut distantia stellarum, & constellationum, quæ ea tantum ratione dicitur ordo, qua dispositio granorum in cumulo, virgarum in fasce, lapidum in monte; florum in fasciculo, & sic intelligendæ sunt locutiones similes, quæ non ideo admittunt inordinatum aliquid respectu Creatoris. Similiter cum de Historicis Virg. aut Scriptoribus de illius prærogatiuis quid simile dicimus, non ideò quidpiam dictum esse credendum est contra ordinatissimam prouidentiam creatoris.

PARS

PARS QVARTA, DE PERTINENTIBUS ad corpora Deiparæ, & Iesu, & eorum, quæ forent in statu innocentiæ.

PRO ijs, quæ hæc pars quarta referet, considera dictum illud magni Alexandri Alensis, parte 2. q. 95. memb. 2. & 3, vbi cùm docuisset plura extraordinaria de corporibus Paradysi, addit; *Quia sumus in statu caliginis, & perfectionem illam corporum assueti miserijs non penetramus, difficulter hæc mente concipimus.* Nos autem proponemus, quæ arduas theses possint explanare. Quoniam verò qui minùs exercitati sunt in libris Patrum, & Scholasticorum, arbitrari possent, nonnullas ex ijs materijs tractandas non esse; expende licentiam esse dure plectendam, quæ contemnit, & irridet minutiores ad speciem quæstiones grauium Scholasticorum, quales sunt illæ apud diuũ Thomam, in 3. dist. 12. q. 3. Alberti ibidem, & plurium aliorum, quare Christus non assumpsit vtrumque sexum, vt Hermaphroditus, & quare non assumpsit sexum fœmineum, & sexcentæ aliæ similis coloris, quas Theologi edisserunt, præsertim in 2. dist. 17. 8. 19. 20 & in 4. dist. 44. Illæ autem, quæ à nobis in hac quarta parte proponuntur, omnes sunt magni momenti, cùm singulæ necessariæ sint ad persuadendum in Christo, & Matre integram fuisse iustitiam originariam corporis, & animæ, quoad formales, & intrinsecos effectus; licèt extrinsecos de protectione Angelorum, & alimentis, & ambientibus non habuerint. Nequis autem horreat aliquas prærogatiuas corporum status innocentiæ, sciat alias, quæ non verè satis in libris Patrum, & Scholasticorum maiorem horrorem incutere potuissent, tractari à magnis, pijsque Doctoribus, de Christo. Legatur S. Damascenus in libro, Quomodo ad imaginem Dei facti sumus, vbi grauissimus, & modestissimus Pater non respuit de Christi partibus adeò distinctè agere, vt ad cirnes etiam, & alia similia membra in particulari descenderit. Nos autem ea solùm proponimus, quæ valde necessaria sunt ad prædictam originariam iustitiam commendandam, & quæ à grauissimis Doctoribus inferiùs producendis tractatæ sunt.

1. De corporibus Christi, & Matris multò sublimiùs, quàm de alijs post lapsum, Concilia, Patres, & Scholastici loquuntur.

Post damnatas hæreses Arrij, & Macedonij, in Concilio Niceno, & Constantinopolitano, anno 431. congregatur Synodus Ephesina. Nestorius, vt Deum hominē denegaret, sordes, & superflua purgamenta corporum exaggerabat: constat ex editione Concilij Ephesini, anno 1618. opera Binij, pag. 215. in relatione Synodi, & pag. 401. ex Cyrillo ad Theodosium: Omnem dedecoris notam adimit visceribus Mariæ Proclus ibidem pag. 67. Pag. 195. legitur, & probatur in Synodo illud Theophili: *In vili, abiectoque luto artis suæ magnitudinem declarauit.* Similia habentur pag. 377. Theodotus in sermone synodali approbato à Synodo, & Cyrillo, pag. 388. negat indecentias in corpore Christi, & Matris. Idem in alio sermone synodali de Natali Iesu: *Adsciuit sibi tanquam sua quædam inferiora*, non omnia, ea scilicet, quæ consequuntur peccatum. Ibidem: *Non illam speciem, postquam offendit, sed illam diuinæ imaginis nobilitatem ante legis transgressionem æstimes velim.* Ibidem: *In quibusdam seruilibus cum seruo communicat*, non in omnibus, scilicet in sordibus consequentibus peccatum, quas amplificabat Nestorius. Sic pro corpore Deiparæ multi cum Suar. tom. 2. disp. 3. sect. 5.

Anno 451. Concilium Chalced. pag. 11. iuxta editionem Binij, ait: *In Christo sensus corporei vigebant sine lege peccati.* Pag. 162. in exemplari expositionis fassati Symboli præponitur natura humana Christi, etiam in perfectionibus corporeis Adamo ante peccatum. Pag. 162. in epist. synodica Leonis: *Natus est Deus totus in suis, totus in nostris. Nostra autē dicimus, quæ in nobis ab initio creator condidit, & quæ reparanda suscepit: nam illa, quæ deceptor intulit, & homo deceptus admisit, nullum habuere in Saluatore vestigiū.* Pag. 3[illegible]6. *In seipso nostræ naturæ probauit primitias.* Alia lectio: *Naturæ ostendit initia.* Similia habentur pag. 381. Similia sunt in Leontio act. 10. Abucara infrà, & alijs.

Anno 680. & 681. sexta Synodus generalis, iuxta editionem Binij, pag. 119. 123. 184. 219. solum admittit in corpore Christi mortalis passiones irreprehensibiles, & non dimanantes à contagio primæui delicti. Eadem habentur pag. 97. ex

97. ex Cyrillo, vbi dumtaxat secundùm quòd Deum decebant, passiones in Christi corpore conceduntur. Pag 144. dicitur, naturam humanam à Christo assumptam, qualis fuerat Adamo ante peccatum: & additur, nullum contagium vitiatæ naturæ expertum Iesum in corpore, scilicet quoad intrinsecam constitutionem.

Anno 692. Iucenti, & viginti septem Episcopi in Trullana Synodo, can. 79. negant secundinas in partu Virginis, & prohibent earum festum, quia id non est honor Deiparæ. Si membranæ illæ aliquandiù fuissent, non vetaretur solemnitas festiua pro ipsis, cùm Ecclesia Græca, die 12. Aprilis, & 31. Augusti, & 26. Decembris, pro zona Deiparæ; die autem 2. Iulij, pro vestimentis ipsius solemnes festiuitates instituerit. De secundina pro sudore, & de alia pro vrina scholastici Doctores credunt non futuras in Paradyso, quia ab eo statu & sudor, & vrina abesse deberent.

Quo tempore grassabantur initio Ecclesiæ hæreticorum errores, veram carnem Christo denegantes, & solam phantasticam concedentes, graues quidam, antiquique Scriptores, non ex proprio sensu, sed per condescendentiam, & excessum, & quasi ex abundanti, admittebant in corporibus Iesu, & Mariæ nonnulla, quæ post extirpatas illas hæreses nullatenus posteriores Patres, & Doctores côcesserunt, imò constanter repudiarunt. Sic Tertullianus lib. de carne Christi, c.4. fœda coagula ex simili cœno alita per nouem menses Iesu detulit, & sanctissimæ Virgini vterum insolescentē, grauem, anxium, & sordidum. Lib. 3. aduersus Marcionem, c. 11. immunda, & pudenda tormenta, & puerperij spurcos, anxios, & ludicros exitus in Mariæ partu non negat, & eius vterum cloacam nominat: & lib. 4. c. 21. latiùs hæc persequitur. Hæc alij Ecclesiastici Doctores, aut integrè, aut ex parte tradiderunt; qui allegantur à Toleto in 2. Lucæ, & ab alijs expositoribus. Verùm non tam ex proprio sensu loquebantur, quàm per conniuentiam, ne ex ijs negatis tenaciùs in suo errore persisterent hæretici, adstruentes phantasticum fuisse corpus Iesu, & Mariæ. Posteriores Patres conniuentiam, & condescendentiam priorum cum Tertulliano meritò repudiarunt: quę per condescendentiam dicuntur, non sunt alleganda in testimonijs, vt probat D. Antonius Sauza, capite primo de examine doctrinarum.

Ab anno 431. Concilium Ephesinum cœpit de dignitate, & excellentia corporum Iesu, & Mariæ illustriùs pertractare. Sunt ibi sermones Theodoti ab vniuersa Synodo, & Cyrillo commendati, in quibus Christi corpori maior tribuitur perfectio, & nobilitas, quàm Adæ ante peccatum. Passim in eo Concilio graues commendationes habentur, pro corporibus Iesu, & Mariæ. Similia occurrunt in Concilio Chalcedonensi, præcipuè in epistola synodica Leonis, pag 162. iuxta editionem Binij, vbi Christi corpus describitur, quale fuit Adæ ante peccatum. Verba Leonis sua fecit Paulinus Aquileiensis, lib. 6. contra Felicem. Sic alia Concilia, & Patres cum sexta Synodo, & qui nascenti Iesu denegant secundinas, cum 227. Episcopis Trullanæ Synodi; & nominatim Damascenus orat. 1. de dormitione Virginis, ijs verbis: *Totum illum primum Adamum à peccato purum, ac liberum ob viscera misericordiæ tuæ Domine suscepisti, corpus videlicet, animam, mentem.* Propterea sunt non pauci, qui tribuant corpori mortali Christi, & Deiparæ, quæ Scholastici plures in 2. dist. 19. & 20. deferunt corporibus ante peccatum, ex vi constitutionis intrinsecæ.

Sanctus Basilius apud Leontium Byzantinum, lib. contra Nestorium, & Eutichetem, tom. 4. Biblioth: Paris. Græcolatinæ, anno 1624. col. 1000. hæc dicit. *Suscepit Dominus famem, solido cibo exhalato.* Ex ijs contendunt nonnulli, ipsum sensisse solidum cibum, & conuertibilem, quia valde terreus, etiamsi ab alijs hominibus fœtidè emittatur in pœnam peccati originarij, à corpore Iesu exhalatum insensibiliter, retento proficuo nutrimento, & idoneo ad conuersionem in substantiam aliti, quemadmodum de corporibus humanis ante peccatum philosophantur plures cum D. Thoma, in 3. Genes. Fauent alia verba eiusdem Basilij alio in loco, quæ ab eodem Leontio suprà allegantur. *Dominus naturales quidem passiones suscepit ad confirmationem veræ incarnationis, & non falsò apparentis: passiones verò vitiosas quæcumque, quod puritatem vitæ nostræ inquinant, tanquam pura diuinitate indignas reiecit.*

S Gregorius Nazianzenus allegatus à Moyse Barcepha tom. 1. Biblioth. Paris. Græcolat anni 1624. col 83 ait post peccatum nos contectos esse carne crassiori, & ignauiori. Ideò sunt, qui dicant, aliter in non paucis philosophandum

de

de corporibus Mariæ, & Ieſu, formatis cum ſublimioribus perfectionibus intrinſecis, quam Adam ante peccatum. Alb. in 3. diſt. 16 art. 3 ait valde eſſe abſurdum credere corpus Ieſu non ſuperaſſe in perfectione naturali ea, quę forent in ſtatu innocentiæ. Eadem ſcribit Sorius ſerm. 3. de Purificat. & 1. de Concept. vbi addit *Chriſti corpori corpus Virginis non dubium præ cunctis corporibus conformari.* Idem Moyſes Barcephas lib. 1. cap. 28. col. 51. ait *Condidit Deus Adam corpore leui, atque expedito, non autem graui, quale demum euaſit poſt violatam legem.* Propterea idem Nazianzenus orat. 40. & Nicetas in commentarijs nihil ſpurcum admittunt in Ieſu naſcente, & commorante in vtero. Addit Nazianzenus vniuerſalem rationem. *Nihil ſpurcum, vbi Deus eſt.*

Theodorus Abucara iuxta edit. Pariſ. 1624. col. 397. declarat aerem circunſtantem corpus Ieſu, ad nutum ipſius deſeruiſſe, vt famem inferret, vel non inferret. Simile eſt, quod ex cœleſti oraculo accepit ſancta Getrudes, à conceptu Mariæ Angelos in obſequium ipſius aerem circunſtantem continuo ſubtiliſsimum, & ſaluberrimum reddidiſſe. Et fauet Salmeron tom. 9. tract. 71. dicens piè credi, Angelos in formando corpore Chriſti, & Mariæ, miniſterium ſuum quod poterant exhibuiſſe. Sic Maior in 2. diſtinctione 19. *Aerem habuit Paradyſus amœniſsimum, & per conſequens non Adæ corruptiuum.* Potuit pro Angelorum beneficio à Getrude memorato lib. 4 cap. 53. & Mariæ, & Ieſu conuenire. Ex ijs nonnulli contendunt, ſuperfluum fœcale ex alimento, & potu inſenſibiliter extrahi potuiſſe, adiuuante perfectiſsima virtute expultrice. Idem Abucura col. 411. cum ea limitatione ait Ieſum vſum naturalibus, *vt decebat Deū, & legem, & vt menſura humanitatis poſtulabat.* Certe poſt indignationē Domini multo deteriora facta corpora Adami, & Euæ iudicant nonnulli.

Leontius de ſectis, tom. 1. Biblioth. Pariſ. Græcolat. act. 10 col. 529 ait *Beatus Cyrillus dixit, per immiſsionem ciborum, & excretionem conſeruabat ſubſtantiam corpus Ieſu.* Quæ verba de excretione ciborum, quæ in Paradyſo contingeret, iuxta ſcholaſticorum grauium opinionem, componunt nonnulli.

S. Ildefonſus tom. 9. Biblioth. Pariſ. an. 1624. col. 124.

aic

ait legem, sub qua nunc mulieres pariunt, non esse legem naturæ, sed maledictionis, & culpæ. Col. 125. 126. aliqua defert Mariæ corpori supra leges futuras in statu innocentiæ. Ibidem superstitiosam, & super fl⸗am tractationem nominat, eam, quæ colluuionem sanguinis, & secundas spurcitias partui virgineo defert. Col 130 decebat, inquit, vt Saluator in ortu humanæ carnis inquinamenta nesciret: quam doctrinā nonnulli ad reliquum vitæ tempus extenderunt. Col. 131. ex S Petro Rabanate: *Stulte, vnde sordes in Virgine?* Col. 133. *Stulti disputatores non adscribant vile aliquid, aut fœdū in Maria.* Col. 138. 139. à sordibus corporis Mariā liberat. Col. 140. statuit id saltem cōcedendum Iesu nascenti, & parienti Virgini, quod contingeret, si Adam non peccasset: & hanc doctrinam plures ampliant ad reliquas perfectiones intrinsecas, & effectus consequentes ex ipsis ante primæuū peccatum Col. 142. negat secundarum spurcitias, & sanguinis fluxum in Maria. Col. 178. Mariam ait non esse ortam sicut aliæ fœminæ, sed mundo corde, & corpore.

Cellensis de panibus, cap. 21. *Oportuit Mariam non vili stemmate, nec more consuetudinario fabricari* In alijs Patribus occurrunt passim testimonia similia prædictis.

Ex antiquis Scholasticis omnium cœtuum, & ordinum, plures similiter scripsere.

Albertus in 3. distinct. 16. docet complexionem Christi nobiliorem, quàm Adæ ante peccatum, & viuaciores etiam einsdem Domini sensus: dixerat autem in 2. dist. 20. & tract. 13. summæ Theolog. q. 78. deneganda esse incolis Paradysi menstrua, sudores, & fœtida excrementa ex potu, & cibo. Idem in parua Physica ait Christum habuisse corpus quintæ mixtionis, quale non habuit alius homo.

Alexander Alensis 3. p. summæ Theologicæ, q. 23. mēb. 2 dat quintam essentiam corporis, pro constitutione viuentium, vt concilientur contrariæ qualitates: & quia anima rationalis est perfectior, ait, pro dispositione corporis, in quod est inducenda, necesse esse, vt lux cœli empyrei per influentiam infusam subintret corpus humanum, ad susceptionem prædictæ animæ. Addit, non aliter appellari potuisse minorem mundum, nisi aliquid de cœlo empyreo influeret Huius opinionis meminit S Bon. in 2. dist. 17. nec eam nota aliqua afficit: & S. Thomas in opusculo ad Ioannem de Vercellis,

super

super quadraginta duos articulos, in responsione ad artic. 35. at esse falsum, non tamen censura dignum asserere, aliquid de substantia cœli intrare compositionem corporis viui; cùm ij Doctores, adhuc in hoc genere, singulare aliquid de Christi, & Mariæ corpore profiteantur, singulares aliquas prærogatiuas illis deferunt. S. Bon in 3. dist. 12. Ita, inquit, pura fuit caro Christi, sicut si de cœlesti substantia sumpta fuisset.

Nonnulli Theologi, quos refert Vasq. 3. p. disp. 57. c. 2. arbitrantur humanitatem existentē in Verbo non eodem pacto operari, ac si in proprio supposito permaneret, sed habere modos quosdam physicos, ratione quorum omnes operationes Christi, etiam nutritiuæ, & sensitiuæ, supernaturales sunt. Sic ex antiquis Ricard in 3. dist. 14 art. 1. & alij.

Ex Iesuitis plurimi similiter scripserunt. Salmeron tomo 3. de mirac. tract. 11. ait eos tantùm corporeos defectus assumpsisse Iesum, qui speciem humanam consequerentur, etiam antequam laberetur homo; ex quibus manifestè infertur ipsum sentire, saltem esse probabilissimū pro Iesu, quod Scholastici docent de statu innocentiæ, non in eo futura fœtida excrementa, rheumata, aut immunditiem aliquā ex ijs, quæ naturæ lapsæ ratione peccati obueniunt. Idcirco tomo 7. tract. 6. ait nihil fuisse in conceptione Iesu vitiosum, sed totum purum, & illibatum, & sacrosanctum, vt merito cœlestis dici possit. Tomo 9. disp. 21. ex Cyrillo ait, singulare aliquid habuisse carnem Christi, vt esset viuifica, & cooperatrix miraculorū Dei. Tomo 11 tract. 37 probat Mariam non habuisse pęnas peccati originarij consequentes intrinsecam constitutionem corporum, vt incinerationem, quod etiam de alijs similibus pęnis morborum menstruorum, & similiū ex vi principij vniuersalis tenetur fateri. Tomo 13. id est, primo in epistolas, disp. 50. suffragatur eidem opinioni, dicens Mariam fuisse exemptam ab omnibus pęnis peccati originarij: at ex communiori Scholasticorum, Patrumque sententia, pęnæ sunt prædictæ culpæ excrementa fętida, menstrua, & aliæ seruitutes.

Canisius lib. 1. c. 8. ait ex Cusano, Mariam multò magis quàm Euam in iustitia originaria fuisse conditā, sicut Christus magis quàm Adam: vnde tenetur asserere, saltē esse probabilissimum, Mariæ, & Christi corporibus ea tribuere, quæ in-

intrinseca constitutione Paradysi incolis concederentur. Lib.4 cap 6. Plenitudo gratiæ Virginis ex anima in corpus, sicut in nullo alio redundauit, & in ipsius carne mirabiila fecit Lib.4.cap.19. Maria habuit imbecillitates naturæ, quas Chri us, non alias, quæ aut peccatum sunt, aut pœna peccati. Lib.5.cap 27. ex S. Antonino multas, & excellentes prærogatiuas nulli mortalium communicatas habuit Maria Virgo.

Toletus in 1. Luc annotat. 74. aufert à Deipara omnem turbationem, omnem passionem, omnem affectum consequentem peccatum originarium. Cap. 2. annotatione 45. Maria non habuit fluxum sanguinis menstrui; & quòd hoc genus sanguinis sit effectus peccati originarij, Cap. 8. annotatione 96 Quòd Christi caro habuit virtutem sanandi, quam multæ herbæ, & lapides, cæteræque res naturales, non tamen ad modum rerum naturalium necessario, sed pro voluntate ipsius: & hanc virtutem cognouisse Augustinum, & Hilarium. Annotatione 43 Fames, sitis, somnus, lassitudo non eodem modo erant in Christo, quo sunt in nobis; erant enim in eo voluntariæ, & quantum, quando, quomodo volebat, sic eas assumebat.

Suarius tom 1. de Incarnat disput. 15. Definiunt Concilia, & Patres, Verbum assumpsisse nostrum corpus perfectum, quale creauit in Adam: ex quo tenetur asserere, saltem esse probabilissimum Christo deferre, quæ Scholastici asserunt circa munditiam, & prærogatiuas corporum naturæ integræ. Disputat. 32. sect 2. Assumpsit Christus corpus humanum perfectum, & bene dispositum, iuxta conditionem, & statum ex natura rei debitum tali corpori, & non assumpsit defectus huic dispositioni, & perfectioni repugnantes. Disputat. 34. sect. 1. Christus vtriusque status innocentiæ, & gloriæ perfectionem assumpsit, excepta corporis impassibilitate. Tomo 2. disputat 2. sect. 2. Corpus sanctissimæ Virginis in sua specie, & sexu est maximè perfectum: ita docent omnes Patres, & non potest sine temeritate negari. Ex hoc principio Suarij nonnulli inferunt temerarium esse mala nota afficere eos, qui tribuunt corporibus Christi, & matris, quæ in statu innocentiæ, ratione cōstitutionis intrinsecę habere tur. Ibidē ait docuisse Christum, & Virginem esse corporis perfectione simillimos. Disput. 3. sect. 5. Christus

dispen-

ispensauit cum matre in varijs legibus vniuersalibus; & in a non fuerunt effectus peccati originarij, qui indecentiam liquam ex eo contractam sortiũtur, vt incineratio. Alij ad-unt, maiorem indecentiam continere fœtida excrementa, nenstrua, & similes alias seruitutes à primæuo peccato di-nanantes. *D*isp.4.sect.6. Maria habuit donum originariæ ustitiæ, quoad præcipuos, & quasi formales eius effectus: efert Carthusianum, Canisium, Cusanum, & alios sic opi-antes. Disp.9. sect.3. *M*aria non fuit inuoluntaria aliqua ffectione commota. Disp. 13. sect.2. refert opinionem di-entium Christi conceptionem absque vllis secundinis fa-tam; id, ait, sine miraculo non foret. Verùm alij sine mira-ulo, supposita perfectione corporis Christi id concedunt. Disp.18 sect.2. Quidquid perfectionis gratiæ in statu inno-entiæ communicatum est Adamo, non est denegandũ Vir-ini. Sect 6. Mariam eximit ab omnibus defectibus corpo-s peccatum originale consequentibus. Tomo de opere sex ierũ, lib.3.c.3: aut æqualitas, aut excessus perfectionis cor-oris Christi supra corpus Adami in statu innocentiæ debet oncedi. Cap.20. refert Valentiam dicentem, gratiam in sta-u innocentiæ altiori modo datam, & eleuatam fuisse, vt om es effectus extraordinarios etiam corporeos per eam Deus ribueret, atque in insinuat e de Iesu Cùm plenitudo virgi-eæ gratiæ multò fuerit superior, ex illa varij, & extraordi-arij effectus Mariæ corpori à nonnullis tribuuntur.

Vasquez tomo 2. in 3. p. disp. 117 cap 7. Quidquid dig-tatis, & honoris tribuere possumus B. Virgini, minimè ignans cum sacra Scriptura, cum dignitate Filij, aut cum cclesiæ traditione, absque dubio ei tribuere debemus. bidem, ex sententia omnium, præseruata fuit ab effectibus eccati originalis, quales sunt fomes, dolor partus, incine-tio, &c. Disp. 119. cap.2. refert Theologos dicẽtes bea-m Virginem in prima iustificatione originalem iustitiam cepisse. Disp. 121. cap.4. & 5. sequitur doctrinam Ildefon-allegatam, de munditie partus virginei, & quòd nullis fue- coinquinata sordibus, & nullis vexata Euæ cruciatibus. de inferunt alij, si indecens esset Iosepho tantùm videre e immunditiam in partu, similiter dicendum esset nullam sse internam immunditiam integris nouem mensibus ge-tionis.

Azor 1 p. inst. lib. 3. c. 34 ait ex vi originariæ iustitiæ non sentiretur malus odor. Lib. 4. c. 32. effectus peccati originarij sunt animales passiones, quæ rationem præcurrunt.

Ioannes Maldonat. in 2 Lucæ: Fascijs obuoluit Iesum mater, vt inuolui solent teneri adhuc infantes, vt membra constringantur, atque firmentur, aliquando enormiter fluxura, si dissoluta essent; non erat ea diligentia in corpore Christi necessaria, sed erat debita.

Iacobus Granados disp. 2. de Concept. cap. 4. ait Christum in vita mortali quoad præcipuos effectus habuisse iustitiam originariam. Disp. 3. cap. 26. idem adstruit de B. Virgine. Comment. in 3. p. tract. 10. disp. 1. Vnus, ait, est supremus gradus perfectionis in temperamentis, supra quem nullum aliud temperamentum est homini accommodatum, & id habuit Christus Controuersia 2. tract. 1. disp. 3. Naturalis fuit ortus Deiparæ octaua Septembris die, licèt octaua Decembris die habuerit animam rationalem. Comm. 10. §. 2. Quòd Iesus in infantia miracula faceret occultè, quæ paucis, & ex speciali reuelatione constarent, & allegat Suarium pro se.

Ferdinandus Salazar, tomo de Conceptione, cap 25. num. 9. eximit Deiparam ab hæreditaria labe, quòd non habuerit illius effectus, scilicet sordes, fęces, menstrua, secundinas: idem latissimè persequitur cap. 27 & singulariter c. 28. vbi iterum sordes, menstrua, secundinas, & alias seruitutes peccati primitiui remouet à Maria, pluribus testimonijs hunc sensum firmans.

Has opiniones plurimi alij Iesuitæ Doctores probant, tuentur, & illustrant.

Iuxta præmissa maximè volunt ij Doctores expendi, quoties Concilia, Patres, & Scholastici docent Christum assumpsisse defectus humanæ naturæ, excepta ignorantia, & peccato, semper intelligi debere, etiam de effectibus ignorantiæ, & peccati, quales sunt vulnerata complexio, morbi, immunditiæ, prauæ dispositiones, & cætera additamenta, quæ post lapsum sectantur intrinsecam constitutionem nostræ naturæ viciatæ; quæ autem in Paradyso non consequerentur statum illum, quoad intrinseca, & formalia, ea deneganda Christo, & Deiparæ: extrinseca verò, vt aeris inclemen-

entiam, famem, dolorem ex illatis vulneribus, eadem ra-
ne sustinuerunt Christus, & Deipara, qua Adamus, & Eua
inerent, si cum solis prærogatiuis intrinsecis in hanc no-
m regionem deuenirent, instructi originaria iustitia. Sic
ponendus D Thomas 3 p.q.14. art.4. in corp. dicens in
risto non fuisse defectus illos, qui consequuntur vitiatam
tutem formatiuam, quæ ex communi sententia inferiùs
ducenda pro formatione omnium, & singulorum homi-
r, præter Christum, & Mariam, multa vitia continet.

Quòd verò Scholastici non pauci docent, naturam hu-
nam quoad naturalia vulneratam non fuisse; verum est, de
ntialibus loquendo: in accidentalibus ferè omnibus fuis-
vulneratam, quoad corpus, & animam, & singulas vtriuſ-
facultates, & potentias, non est dubium. Pro ijs vulne-
us à Christo amouendis, hæc Suarius tomo 1. in 3. p. disp.
sect. 2. *Regula, seu mensura harum pasſionum fuit æter-
Dei sapientia, qua definitum est, quid in hoc genere expe-
et suscipere; non autem accepit defectus, qui vel indecen-
n aliquam continent, vel communes non sunt toti natu-*
Et disp. 34 sect. 1. *Christus vtriusque status, innocentiæ,
gloriæ perfectionem assumpsit, excepta corporis impasſi-
tate.*

*Primæuum peccatum non solùm hominum, sed aliorum
m mixtorum excellentias vulnerauit: corpus dumtaxat
Christi, & Matris, quoad intrinseca, vulnus nullum
accipiunt, ex quorundam sensu.*

Medicè, & philosophicè tuentur plures, quod plures Pa-
, & Doctores Theologicè scripserunt cum Basilio, Chry-
omo, & Aymone, apud Vincentium Burgundum, ex il-
rissima familia Prædicatorum, lib. 28. speculi naturalis,
.80. & 85. ex primæuo delicto originario, non vnum dū-
at corpus humanum, verùm & mixta reliqua multiplicē
onem, & corruptionem sustinuisse: simul cum hominis
su ipsa etiam in deteriorem statum deciderunt. Sic ne-
e fuit opinari Ricardum de Mediavilla, in 2. distinct. 19.
blematicè docens, nullum animal moriturum, si Adam
peccasset, donec omnes electi transferrentur in cœlum.
nia itaque inferiora corpora peccatū vulnerauit; vt pro-
rea dicat Alensis p. 3. q. 1. memb. 1. si homo non peccas-
bruta sine dolore dissoluerentur. Christi corpus exci-
i 2 piunt,

piunt, quod in sua constitutione intrinseca nihil pœnale cōtraxit, sed ea solùm pertulit, quæ sunt de necessitate naturæ præstantissimæ conditæ in originali iustitia; at sine duobus extrinsecis adhærentibus de alimento arboris vitæ, & consequentibus ipsum alimentum, & de gubernatione Angelorū remouentium omnes causas inuehentes dolorem, & molestiam. Ex reliquis effectibus radicalibus, & intrinsecis iustitiæ originariæ nullus defuit (inquiunt) mortali corpori Iesu. Quod si transferretur in Paradysum, verè sine vlla additione intrinseca plenissimè sortiretur corpus Christi naturale omnes, & singulos effectus eiusdem iustitiæ originariæ, nullo dempto. Quam mentem apud Ecclesiæ Patres peruagatam, & in Concilijs, & alijs Doctoribus numero præcedenti expressam, mordicè etiam sustinent. Ambrosius in cap 8. epist. ad Rom. *Expiata* ait, *est Spiritu sancto caro Domini, vt in tali corpore nasceretur, quale fuit Adæ ante peccatum*. Et simul defendunt assertionem Magni Alberti in parua Physica, aientis corpus Christi fuisse quintæ mixtionis, in eo sensu, quem Abulensis in paradoxis sectatus est, dicens nulli alij homini conuenisse. Hanc communem Scholasticorum, & Patrum vocem ijs verbis scripsit Gerson, sermone de Annuntiatione: *Corpus Christi conditum fuit cum perfectione status innocentiæ*. Albertus Magnus in 3. dist. 16. *Complexio Christi nobilior, quàm Adæ ante peccatum*: & ibidem; *Adami viuacior sensus fuit ante peccatum, quàm post, quàm vel nos habeamus, sed non quàm Christus*. Palacios in 2. distinct. 20. disp. 1. ait tactum, & alios sensus putiores in Paradyso, quàm modò. In Christo, & Maria danda est constitutio corporum cum perfectionibus, & dotibus intrinsecis dignioribus, & robustioribus, quàm quæ fuere in prima plantatione generis humani, vt docent Concilia, & Patres de Iesu, cum B. Thoma Patriarcha Hierosolymit. ad hæreticos Armenos, apud Theodorum Abucaram, tom. 1 Bibliot. Paris. anni 1624. col. 397. Eandem doctrinam Doctores prædicti pro corpore Mariæ tuentur, dicentes illud in iustitia originaria fuisse conditum, cum omnibus, & singulis dotibus, & effectibus radicalibus intrinsecis, illis dumtaxat exceptis duobus extrinsecis, de alimento arboris vitæ, & protectione speciali Angelorum auertente omnia obiecta extrinseca molesta, & dolorifera: quam veritatē pro Maria, ex grauissimis

Scrip-

Scriptoribus illustrissimæ familiæ Dominicanæ, Franciscanæ, Carthusiensis, & Iesuiticæ relatis, & laudatis à Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 4. sect. 9. Canis. lib. 1. de Deipara, c. 9. Corduba lib. 1. q. 46 Salazar tomo de Concept. cap 25. 27. 28. & alijs supponentes, defendunt medicè pro eius virgineo corpore, quæcumque meliores Scholastici statuunt de omnibus, & singulis priuilegijs corporeis futuris in statu innocentiæ, exceptis duobus illis extrinsecis nuper memoratis, & ijs, quæ ad illa sequuntur. Quæ ad hanc rem scribit Petrus Hispanus Dominicanus tract. de Concept. pro Maria sua esse volunt. *Honestior disputatio est, excellentiam aliquam sacratæ Virginis conceptioni supra primorum parentum creationem concedere, quàm ipsam illis inferiorem appellare præsumere.* Doctrinam huius numeri plurimis testimonijs, & documentis suprà allegatis, & inferiùs allegandis confirmant; licèt enim naturalia quoad essentiam integra permanserint in vniuersa natura humana, quoad omnia accidentia validè sunt vulnerata. Corpora dumtaxat Christi, & Matris in accidentalibus intrinsecis nullum vulnus, læsionéve acceperunt. Pro vindicta originarij peccati multò nunc esse debiliora humana temperamenta, sensus, facultates, & virtutes, docet Alb. in 1. dist. 19. & in 3. dist. 16. Vinc. lib. 2. spec. natur. c. 97. & lib. 31. c. 78. & lib. 3 spec. moral. p. 3. dist. 11. Aluarez 6. de auxilijs, disp. 45. & 47. Palacios in 2. dist. 20. disp. 1. Franciscus Pitigian. in 3. dist 16. Dionysius Carthus. in 2 distin. 20. q. 2. Suar. 3. de opere sex dierum, cap. 10. Salazar lib. de Conceptione, cap. 22. & innumeri alij: idcircò cùm Mariæ, & Iesu corpora supra perfectionem status innocentiæ producta sint, altiùs, & sublimiùs de illis est opinandum.

Illud sanè dubitari nequit, perfectionem corporalem Deiparæ ita esse sublimem, vt ex omnium Patrum sententia, in sua specie, & sexu maximè sit perfecta: quam veritatem sine temeritate negari non posse docet Suarez tomo 2. in 3. p. disput. 2. sect. 2. Id cæteri supponunt, cum Ricardo de sancto Victore, cap. 26. in Cant. Antonino 4 part. tit. 15 cap. 10. §. 2. Alberto Magno, super Missus est, cap. 148. Alienum verò est à Philosophia, perfectissimum corpus ex accidentibus imperfectiorum dimetiri; præsertim cùm sit communis illa opinio sancti Antonini, quarta parte, titulo 15. capite decimotertio, eximentis Mariam à pluribus pœnis

pœnis corporeis primæuum peccatum consequentibus. Deinde, vt patet ex Sixti IIII. extrauag. conceptio, & formatio Deiparæ fuit mira, & miraculosa: quæ autem miraculosè producuntur, communem perfectionem superant, vt notat Chrysost hom. 21. in caput 2. Ioannis. Iustitia originaria, quoad corpus, & animam, in effectibus formalibus intrinsecis supponi videtur ab Oliuerio, Ioanne, Georgio, & Gabriele, decernentibus autoritate Sixti IIII. hæreticam esse propositionem illam: *Iustitia originalis in Beata Virgine Maria est ex natura, non ex gratia.* Supponunt igitur esse probabilissimum, Deiparæ collatam esse ab initio ex gratia Dei iustitiam originariam, quoad omnes effectus intrinsecos animæ, & corporis. Verba Cardinalium hanc censurã inferentium integrè allegat Diagus, instituti Prædicatorij, lib. 1. cap. 33.

Omissis aliorum plurium testimonijs, referam verba nõnulla Ioannis Silicei Archiepiscopi Toletani, super Magnificat. *Animas*, inquit, *vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuam, ob peccatum nostri parentis Adami, in eius posteris læsas inueniri, sacra eloquia testantur.* Et paulo post: *Generatur humanis corporibus ægritudo, & mors propter lapsum animæ vegetatiuæ.* Mox loquens de Virgine, ipsius nomine ait: *Sic in me plantauit Deus potentem animam vegetatiuã, vt nullos corporis admittat morbos, quod in reliquis vniueruersarum plantarum, brutorum, & hominum animabus vegetatiuis minimè reperitur.* Et cùm paulò post loquitur de mysterio maternitatis Deiparæ, addit: *Nec est vnde Philosophi mirentur, si dato vno miraculo multa sequantur. Æquũ rationi videtur concedere exigua miracula, velut accessoria, si maximum miraculum admittamus.* Et post pauca addit, Mariam in incarnatione Dominica vidisse diuinam essentiam: ex quibus omnibus necesse est arbitrari plura extraordinaria in corpus Deiparæ fuisse deriuata. Tandem adde communem illam Scholasticorum vocem, quam ijs verbis expressit Maior in 2. dist. in. 19. *Paruuli in statu innocentiæ fuissent perfectiores multò, quàm nunc.* Ergo de B. Virgine, quæ adhuc cum maioribus perfectionibus fuit cõdita, aliter est philosophãdum, quàm de hominibus in statu naturæ lapsæ. Innumeræ huius coloris probationes ab autoritate, & ratione tam in in præced. numero, quàm in seqq. proponũtur.

3 De

3. *De qualitatibus, & virtutibus occultis, impressis corporibus Christi, & Matris, ad extraordinarios effectus, graues Doctores multò sublimiùs, quàm de alijs corporibus philosophantur.*

Plures Thomistæ asserunt, & ex Angelici Doctoris thesauris probare satagunt, in parte materiali, & corporali Iesu olim nobiscum viuentis sub mortis vexillo, plures fuisse qualitates corporeas supernaturales, ad mirandos effectus destinatas: clausulas Vincētij relect. de Christi gratia, Capr. in 1. dist. 5. q. 1. Palud. ibid. distin. 36. & 50. Ferrariensis 4. contra gentes, cap. 56 circa hanc thesim, pro suis numerāt: & quod tam ij, quam alij ex illustrissima familia Prędicatorum, cum Alberto Magno in parua Physica, & super Missus est, in cap. 148. plura philosophentur de corpore Iesu, quæ Philosophiam, & Medicinā excedant, bene esse aiunt; & idē pro Mariæ corpore dictum volunt, cum ipso Alberto sępiùs hanc doctrinam ingeminante. Sunt prætereà supra captum Philosophorum, & Medicorum, plures naturales virtutes inanimatorum, vegetabilium, & sensibilium, quæ omnem mentem superant. Sic lignum illud, quod Exodi 15. missum in aquas dulcedinē illis attulit, id fecit ex vi naturali; quod defendunt cum Lyrano, Exodi 15. & Caiet. ibid. Neque aliter, aiunt, commodè argumentaretur Ecclef. cap. 38. in illis verbis: *Altissimus creauit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa. Nonne à ligno indulcata est aqua amara?* Similiter plures qualitates occultæ, quas latè enumerat S. Augustinus lib. 21. de Ciuitate Dei, supra omnes leges Medicorum, & Philosophorum versantur; cui similia sunt alia in Basilio epist. 168. & Nazianzen. orat. 34. Quæ omnia singulariter, vt ipsi docent, habent vim in aliquibus corporibus humanis, quibus ex singulari beneficio, aut cœlorum influxu, aut peculiari qualitatum commixtione, & indiuiduali proprietate specialissimæ qualitates occultæ, cum potentissima efficacia attributæ sunt. Admittunt pro hac conclusione illud Gersonis, sermone de Natiuitate Virginis: *Mariæ corpus miraculosè conceptum: huiusmodi formatio non subijciebatur cœlorum influxibus, quia quidquid agebatur, hoc totum gratiæ magis erat, quam naturæ.* Quod Carthagena lib. 15. homil. 12. ex quorundam Medicorum sententia, ita bene complexionata fuisse quædam

corpora

corpora humana defendat, vt etiam humata longo tempore incorrupta seruarentur; atque id pro Mariæ cadauere tueatur, in arcanas qualitates ordinis naturalis conferunt; non in id, quod scripsit Henricus Gandensis apud Gersonem, sermone in die Paschæ, loquens de cadauere Christi, quòd non esset iam miseriæ, vel pœnalitati subiectum; omnibus enim violentijs erat obnoxium exanime ipsius corpus. Extra leges Medicorum esse dicunt, quod nonnulli cum Gersone tractatu 4. in Magnificat, & cum Alberto Magno super Missus est, cap. 148. opinantur: illius verba sunt; *Maria viatrix iam dotes corporis gloriosi incboabat, necnon donum spiritus super corpus & animam, vt esset inde corpus agile, & secundum omnes vires motiuas subtile, præterea neque ita passile vt nostrum.* Hæc si ita essent, plura tribuenda forent sacro illius corpori, quæ communis Philosophia, & Medicina cõprehendere nequeat. Claritas illa, quam Maria in facie habebat, ex D. Thom. 3. p. q. 28. art. 3. in aliquid extra communem ordinem conferenda est.

Occultas esse qualitates, & virtutes supra omnem humanum captum, quæ fluant à tota substantia, aut illam comitentur, docet Galenus lib. 11. de simpl. medicam. facult. vbi de fluuiatilium cancrorum cinerum vi, contra canum rabidorum morsum disserit: & 6. epid. comm. 6. & Iulius Cæsar Scaliger, exercit. 218. & 307. Vlmus libris quatuor de occultis in re medica proprietatibus, Thomas Erastus de occultis medicis proprietatibus, cap. 4. Fernel. libris duobus de abditarum rerum causis, & alij innumeri: quod plurimis exemplis, documentis, & argumentis adstruunt; atque id singulariter verum est de actionibus toto genere diuersis ab elementarium qualitatum actionibus, quales sunt illæ, quæ venenis adsunt, quando in minima quantitate hominem enecant, vel grauissima symptomata excitant, idque citissimè præstant, vt suadet Galenus lib. 1. de semine, cap. 16. & 3. de locis affectis, cap. 7. adductis experimentis, & Ælianus libro 9. de animalibus, cap. 57. & Scaliger exercit. 153. & Mercurialis lib. 1. de venenis, cap. 6. & plerique. Certè elementa vt vires suas exerant, determinatam corporis sui molem exigunt, & efficaciam suam in exigua quantitate manifestare non valent. Quod argumentum potentissimè conuincere aiunt nonnulli Theologi, ad statuendum fieri potuisse, vt

in

in minima mole corporibus Mariæ, & Iesu validissimæ qualitates, & virtutes occultæ tribuerentur, quibus a plurimis eximerentur, quæ in pœnā originarij peccati cætera humana corpora premunt, & opprimunt. Hoc genus qualitatum prouenire non potest ex elementis quocumque modo mixtis, nec ex eorum qualitatibus quocumque modo temperatis, nec ex occulto mixtionis modo, nam qualitercumque elementorum, & qualitatum ipsorum mixtio, & remistio fiat, nihil ex ea fieri potest, quod elementare non sit: neque agere valet vltra vires suæ speciei. Nam sicut facultas animæ materialis ad motum dextrorsum, sinistrorsum, antrorsum, retrorsum a temperamento qualitatum primarum nequit oriri: ita nec potestas magnetis, & medicamentorum purgantium, & echeneidis, seu remoræ ad detinendum nauigium, & torpedinis per ipsum rete inducentis torpedinem manui piscatorum continetur in primis qualitatibus refractis temperatis, cùm sint vltra virtutem speciei. & supra actum adæquatum primarum qualitatum, quantumuis earum fiat mixtio, & remixtio. Quemadmodum ex mixtionibus plurium colorum diuersus alius oritur, sed qui nihil sit aliud, quàm color: sic ex commixtione primarum aliæ quidem nascuntur qualitates, verùm nulla quæ elementaris non sit, etiamsi a forma specifica & nobiliori dirigantur. Albertus magnus latissime describit plures virtutes similes occultas mixtorum in libris de mineralibus. Verùm si abditæ, seu latentes virtutes admittantur, siue à temperamentis deriuentur, siue a tota substantia, vel à forma substātiali, parùm refert ad ea, quæ de prærogatiuis corporum Mariæ, & Iesu disputantur.

Primò sunt proprietates quædam indiuiduales non à forma specifica ortum habentes, sed intra eamdem speciem quorumdam indiuiduorum propriæ, vel quia hæreditariè acceptæ, vel quia ab alimentis desumptæ, vel quia ex alijs adhærentibus, aut antecedentibus ortæ. Huius generis plurimas occultas virtutes haurire potuerunt corpora Christi, & Matris, vel à miraculoso conceptu, vel ab extraordinaria lactatione, vel ex impressionibus relictis ex ambrosia, seu nō communi cibo, quo Maria in templo ab Angelis nutriebatur. S. Hieronymus in 9. Matth. vtitur exemplo magnetis & succinorū habentiū occultas virtutes ad probandū efficaciā

K ocu-

oculorum Christi, qua ad se traheret Matthæū Apostolum. Cyrillus in exegosi de incarnatione ad Valerianum, tom. 6. Concilij Ephesini, c. 17. *Sedulo animo scrutemur carnem, quæ Dei omnia viuificantis peculiaris effecta est, viuificam ipsius Verbi virtutem, & operationem obtinere, gloriamque ineffabilem.* Et lib. 4. in Ioannem, cap. 14. *Non verbo solùm, verumetiam tactu mortuos excitabat, vt ostenderet corpus suum quoque viuificare posse.* Quibus verbis satis declarat impressiones occultas inditas Christi corpori, vt secundum aliquam rationem viuificaret. Idcirco in appendice ad tom. 2. Cōcilij Ephesini, cap. 6. vitale nominatur corpus Iesu. Sic Palud. in 4. dist. 1. corpori Christi attribuit omnes virtutes viuentium, lapidum, & aliorum mixtorum: & hac ratione plures occultas qualitates habere potuerunt corpora Mariæ, & Iesu, quibus à nonnullis effectibus corporalibus indecentiam habentibus in vindictam originarij peccati liberarentur. In speciebus, quæ non viuunt, quales sunt gemmæ, metalla, mineralia, & magnetes, dantur abditæ virtutes ab elementaribus distinctæ. Possent nōnullæ ex ijs inesse rebus illis, quæ in Iesu non viuerent, vt de sanguine, humoribus, & alijs non pauci philosophantur. Ad hoc caput deducendum est, quod de pede dextro Pyrrhi Epirotarum Regis scribitur, splenicos sanasse; & quod combusto ipsius corpore illæsus, & integer pes manserit, ex Plinio lib. 7. cap. 2. Pereira lib. 3. in Danielem.

Secundò sunt nonnullæ virtutes, quæ ab animalibus, & plantis intra se generantur in rebus sibi adhærentibus, & vita carentibus, vt lapis Bezoar, Moschus, Zibethum, Castoreum, plantarum succi, lacrymæ, & gummi, Aloe, Opium, & huius generis plurima; cùm possibilitas naturalis sit res ampla in corporibus singulari fabrica perfectis, qualia fuere corpora Mariæ, & Iesu, potuere intra se ea producere, quæ virtutem haberent, & efficaciam ad repellendas plures indecentias, & vindictas ex peccato originario in humanam naturam dimanantes.

Tertiò res nonnullæ, quæ ante vixerunt, & iam nulla informantur anima, latentes quasdam virtutes habent, vt cornu cerui contra venena, cranium humanum contra epilepsiam, cinis cancrorum fluuialium contra morsus canis rabidi, & exuuiæ aliorum animalium, & plātarum post mortem

Has-

Has quidem efficacissimas virtutes linquũt formæ quædam substantiales vegetatiuæ,& sensitiuæ iam mortuæ; cùm igitur animæ Christi,& Matris perfectissime contineant virtutes formarũ vegetantium, & sentientium, potuere quidem accipere ipsæ præsentes facultatem ad remouendos effectus nonnullos indecentiam prouindicta peccati secum importantes: Huic existimationi ex parte sucurrit Ricardus in 3. dist.14.art.1.docens humanitatem Christi ex vnione ad verbum factam potentiorem, quàm esset in proprio supposito: fortasis ad continendum,& imprimendum potentes, & abditas virtutes.

Quartò sunt plures qualitates occultam simpathiam, vel antipathiam excitantes,quarum exempla collegerunt Marcellus Donatus de hist.med.mirabili, Franciscus Vimus de occult. in arte medica propriet. Ioannes SchenKius lib. 7.observat.in fine, And.Linauius p.2. singul. tract. 4. Fracastorius lib.de simpathia,& antipathia:igitur ex singulari Dei beneficio,& præstantissima natura Christo, & Matri donata potuit illis inesse multiplex huius generis qualitas, vnde ab indecentijs peccato originario inuectis eximerentur;cùm Patres,& Concilia absolutè statuant Iesum nostros defectus accepisse,excepto peccato,id est,ijs quæ cõsequuntur peccatum: Propterea ait sexta synodus act.11. *Corpus Iesu irreprehensibilibus subiectum ægrimonijs, & huic, quæ naturæ suæ decenter conueniebant pati, atque pat rare indulsit*:& iterum ibidem *verè nostra agens opera, & passiones naturales, atque irreprehensibiles quæ procul à macula atq; pollutione sunt, & in quibus cuiuspiam peccati vestigium non reperitur*: Facile hic modus opinandi a pluribus Theologis admittetur ex cap. in 3.dist.6. Ferrar.4.contra gentes cap. 35.& 41.Henric.quodlib.3.q.2.Caiet.3.p.q.17.qui cùm in humanitate Christi existentiam creatam denegent ab existentia increata Verbi operationes corporeas Christi emanare credunt,vnde aliquid extraordinarium accipere fatebuntur.

Quintò,sunt,qui admittant cum Scaligero exercit.59. sect.2.& exercitatione 190.& lib.2.de plantis, & cum Zabarella lib.de generat.& interitu cap.4.& cũ SchegKio de occultis med.facult.lib.2.cap.1.à quibusdam Germaniæ Aristotele nominato,& cum alijs pluribus,esse simul in corporibus

ribus

ribus viuentibus plures formas substantiales subordinatas, & succenturiatas, ita tamen, vt vna sit à qua viuēs habeat appellationem, & reliquæ sint quasi ministræ quandiu forma viuens superior præsens est. Hæc opinio, quæ valide impugnari non valet, sicut nec illa de forma corporeitatis, quam Henricus, & Scotus sustinuerunt, facilè concedet ob eximiā præstantiam animarum, & temperamentorum Christi, & Matris, fuisse in ipsis singulares quasdam formas substantiales subordinatas, & succenturiatas, ex quarum proprietatibus, & latentibus virtutibus singulares prærogatiuas haberent Maria, & Iesus. Neque ideo essent diuersæ speciei à cæteris hominibus, quòd licet formæ substantiales subordinatæ materiam vtriusque informarent, tenebant se ex parte dispositionum, quæ non mutant speciem, sicut nec temperamenta specie diuersa in varijs indiuiduis humanis, imò & in eodem indiuiduo secundum diuersas ætates, nullam arguit differentiam specificam, nec numericam: & fortasis iuxta hos Doctores valdè dissimiles homines habent formas substantiales subordinatas diuersæ speciei, quæ tamen nec appellationem, nec naturam hominis faciunt esse alterius speciei.

Sextò in speciebus singulis inueniuntur arcanæ, & mirabiles proprietates actiuæ. Homines vniuersos virtute magnetica præditos esse constat: nam si in nauicula aquæ quiescenti imposita extensus quiescat, aut cubet homo naturaliter caput ad septentrionem, & pedes ad austrum conuertuntur, sicut acus magnetica. Pulsus arteriæ humanæ ex secretis qualitatibus horas indicat globulo è filo suspenso: Has quidem, & alias virtutes vniuersæ speciei humanę communes, multò validiores, & perfectiores impresit Deus corporibus Christi, & Matris, vt per magis extraordinarios effectus, & immunitates à pœnis peccati originarij innotescerent: idcirco sancta Metildis lib. 1. suarum reuelationum, cap. de quatuor pulsibus cordis Christi, eum sic loquentem inducit: *Pulsus cordis mei non erat sicut aliorum hominum:* nam licet esset eiusdem speciei ratione perfectionis, multas prerogatiuas continebat.

§

4. *Ma-*

4. *Maria, vt in statu innocentiæ eodem die, quo à parentibus concipitur, & generatur, proxime post illorum coniunctionẽ instruitur anima rationali, ex quorundam sensu, & an ex miraculo sit fœmina, & an superet communem perfectionem virilem, & an fuerit maior in prima formatione quam alij infantes, & an conceptio in dextra, vel sinistra, aliquid faciat ad diuersitatem sexus.*

Hæ quinque theses connexæ sunt, ita vt vna ab altera pendeat: in statu innocentię, eundem fore diem coniunctionis parentum, & animationem per spiritum rationalem infantium, sentiunt plures: pro cuius opinionis expositione supponitur primo conceptionem in pręsenti non sumi cum Valeriola, Peramato, Lalamanto pro retentione, & comprehensione seminis; neque cum alijs pro susceptione, & tractione eiusdem: neque cum alijs pro permixtione seminis cum parte puriori sanguinis; sed sumitur conceptio proprijssimè, quę ita est pro *prima fœtus animatione*, & actio qua fit dicitur conceptio, vt probat Garcia Carrera super lib. Galeni de locis affect. disput. 69. de conceptione capit. 1. Nolo immorari circa innumeras quęstiones de animatione seminis. & vi illius ad formandum fętum, quæ Poncius de sancta Cruce, & Daniel Sennertus Hypomnem. 4. & Fienn. lib. de formatione fœtus, ex pluribus Doctoribus compilarunt: nam quę hic producenda, & referenda sunt pro die animationis fœtus in statu innocentię suam vim habent in singulis varijs & contrarijs opinionibus, quę pro statu naturę lapsę ventilantur.

Sic autem intellecta, conceptionis ratione insurgit dubium, an fœtus animatio eadem sit die, atque recipitur semen. Circa quod quęsitum vide P. Garciam Carreram super Fen. 1. lib. 1. Auicen. disp. 38. de ordine productionis partium, q. 2. vbi in natura lapsa defendit primam animã informantẽ in nobis esse rationalem, illamque introduci septimo die. Sequitur Mena lib. de septimestri partu text. 14. Toletus. 2. animę cap. 4. quęst. 7. A simili cuius sit desumpta

pri-

prima ratio, quæ probetur prima die receptionis seminis in paradyso veram fieri conceptionem, id est, veram fœtus animationem per animam rationalem. In natura lapsa animatur fœtus septima die: ergo in natura integra animabitur eadem die, qua recipitur. Probatur consequentia, maior est distantia in perfectione facultatum, puritatis sanguinis, & roboris in semine in natura integra ab his omnibus in natura lapsa, quàm illa, quæ potest septem dierum arguere ob cruditatem materiæ, & facultatum seminis, & sanguinis iacturam in natura post vulnus peccati; sed hæc impedimenta non obstant, quominus in lapsa natura non introducatur anima rationalis septimo die, ergo meliùs multo introducetur eadem die á receptione seminis in natura integra. Patet, quia plus multò sunt potentes causæ materialis & efficiens naturæ integræ ad agendum in vna die, quàm causa materialis, & efficiens naturæ lapsæ ad agendum intra septimam. Secundum sit fundamentum, quod probat cõclusionem positam, quia tota ratio dilationis introductionis formæ se tenet ex parte principij efficientis, & materialis: sed non est cur dicamus, aut vnde constet illa principia in dicto statu non esse cum vigore ad effectum in breuissimo, & adhuc minori tempore producendum: ergo proposita doctrina sustineri debet: Minor impugnari non potest per experientiam, quæ hactenus non est visa: Maior patet, quia non est, ad quid deseruiat semel recepto semine seruari materiam sine forma multo tempore: ergo totum reducitur ad principia materialia, & efficientia, quorum perfectissimo statui in natura integra ea operandi celeritas, imò maior debebatur. Probatur ex S. Th. 1. p. q. 91. art. 4. Vbi reprehendit dicentes priùs tempore formatum fuisse primum hominem, & postea animam ei fuisse infusam: docet ergo infundi animam statim, si non obstent causæ, qualiter in nostro casu non obstant: ergo in natura integra eadem die, qua semen reciperetur, eadem proprissimè concineretur, hoc est animaretur per veram animam rationalem.

Cùm igitur Dipara ex reuelatione sanctæ Brigittæ in sermone angelico cap. 1. *De claris, & puris elementis materiã benedicti corporis habuit*, id est, ex sãguinibus Ioachimi, & Annæ singulari Dei beneficio nullã habentibus cruditatẽ

spur-

spurcitiem, & rebellionem, dicendum erit idem, quod de Paradyso hactenus est probatum: precipuè cùm virtus generatiua parentum Deiparæ ex miraculo speciali Dei fuerit cō fortata, vt non minor esset, quàm quæ in Paradyso inueniretur; iuxta vulgatum principium, quod quæ miraculosè dantur, sunt perfectiora, quàm quæ ex communi cursu naturalium causarum prouenire solent, vt probat ex communi sententia Suarez, tom. 1. de Incarn. disp. 32. sect. 2. Nulla igitur dilatio fuit animationis in Deipara, quæ inde solùm oriri potuit, quia principium efficiens non haberet vigorem ad celeriorem productionem circa materiam sanguinis crudā, impuram, rebellem, & immaturam. Cùm igitur pro formatione Virginis fuerit semen, & sanguis cum puritate in summo, & facultas formatiua robusta, & efficax in summo, breuiori multo spatio contigit animatio. Secundò probatur, quia ex doctrina sancti Eligij sermone de Purificatione, Iacobi de Voragine, & Gabrielis Bareletæ in sermonibus de Purificatione, & Hieronimi de Oleastro in 3. Genesis, & plurium aliorum eiusdem instituti Prædicatorij, quos sequitur Salmeron tom. 3. tract. 45. est pœna peccati originarij, quod corpus humanum sub embryonibus diutius sit sine anima rationali, vt nunc contingit: ergo Maria, quæ pro intrinseca constitutione, & formatione nullam habuit pœnam originarij peccati, sicut nec ipsum peccatum, eodē die, quo parentes conuenerunt ad generationem instructa fuit anima rationali. Tertiò suadetur ex auctoritate Ecclesiæ, quæ cùm existimet Mariam in iustitia originaria conditam celebrat ipsius animationem, & conceptionem octaua Decembris die, vt patet ex reuelationibus, & testimonijs Sāctorum Nicolai, & Isidori, & Anselmi, & aliorum quæ retulere Baron. in Martyrologio. Arnoldus Vuiō lib. 5. ligni vitæ cap. 103. Granados disp. 3. de Conceptione sect. 2. Claudius de Rota cap. 186. Iam anno 1097. Anselm. Episc. ad Episc. Angl. dixit Mariæ corpus rationali anima instructum fuisse octaua Decembris die, vt communiter exponitur a Doctoribus cū Vincētio de Castronouo, ratione 10. charta 83. impressionis anni 1502. Cantuariense Concilium, Baccon, Argentina, Capreolus, Palud. & Breuiarium Hispal. Cordub. Segou. Cartagin. Placentin. Vicense apud Salazar cap. 36. num. 30. Anselmum nominant legitimum huius epistolæ scriptorem.

In

In statu originariæ iustitiæ sic humani fœtus ex defectu resistentis materiæ, & præstantia facultatum velocius animarentur. Atque hanc opinionem sectatur Granados disputatione 3. de Conceptione sect. 2. & probat ex Vldarico apud Carthusianum, in 3. dist. quæst. 1. Hic expendēdum, quod ait Amadeus Minorita in reuelationibus, Deiparam horis paucis post coniunctionem Ioachimi, & Annæ fuisse instructam anima rationali quadrare opinioni Tertuliani lib. de Anima, & plurium Doctorum Latinorum, & S. Gregorij Nisseni lib. de Anima, & resurrectione dicentium: *viuum esse a primordio semen*, quod de semine a primordio cōiunctionis parentum est intelligendum. In eorum opinione Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 11. sect. 2. probat Christi corpus die 25. Martij animatū spiritu rationali, quia ea die celebratur festum Incarnationis: ergo idem argumentum fieri potest pro animatione Virginis die octaua Decembris. Potuit autem fieri, vt corpus Deiparæ vnico contextu momentaneo organizaretur, nec est vlla ratio ad negandū de facto ita fuisse: nam licèt ex naturali commixtione seminum fuerit genita, non impedit totum eius corpus miraculosè in instāti formatum. Hoc minus certum est quàm Mariam in hora aliqua octauæ diei Decembris præditam fuisse anima rationali: sic mirabilior, aut miraculosior est conceptio Christi, quam conceptio Virginis; quia ante illam non fuit localis motus partuum successiue præcedens, vt in Virginea conceptione de quo in tabulis de maternitate dicetur. Et constabit etiā dato hoc priuilegio Deiparæ, esse mirabiliorē conceptionē Iesu. Principiū illud apud nonnullos Philosophos vulgatum quo dicitur hominem prius viuere vita plantæ; deinde vita embrionis, tandem vita rationali, valide impugnatur a pluribus Philosophis, & Medicis huius ætatis, & illud refutauit Alensis 2. p. q. 92. memb. 3. docens vitam plantæ, & embrionis non præcedere rationalem, quod idem docuit Vincentius Velbacensis lib. 24. speculi naturalis 48. 49. 50. & Henricus de Gandauo quodlib. 14. q. 14. atque adeo non debuit dicere quodlib. 15. q. 13. corpus Deiparæ animatum vndecima die Ianuarij si ad præmissa principia respexisset. Imo sunt plures qui in vniuersum negent vitam vegetatiuam ab alijs separatam, vt iam olim omnes Stoici existimabant, vt refert Theodoretus 5. de curādis Græcorum affectionibus, quibus subscripsit S. Augustinus lib. de Spiritu, & Anima,

cap. 9. & 14. & 7. de Genes. ad litteram cap. 16. primum vitę gradum in sensatione constituens, & Arist. indicat. 2. de anima textu 14 illis verbis *Quamobrem planta omnes viuere videntur*, vt notat ibidem Zimara, & altē dubium ostendit animum Aristoteles: apertius idem sentit Valles lib. de sacra Philosophia cap. 1. & 4. atque eandem mentem colligunt nonnulli sacri textus interpretes cum Mariana ex 1. capite Genesis.

Ex ijs inferunt ijdem Doctores miraculum esse Mariā esse fęminam: primo ratione celerrimæ formationis, quę magis debetur masculis, quam fœmellis. Secundò ratione perfectissimi temperamenti quod ab initio habuit Deipara longe sublimius, & illustrius, quam cęterorum virorū prӕter Christum. Tanta nobilitas corporis, formæ & efficientis si nihil violentū, aut contra naturā ex alijs adhærentibus emergeret nobilissimū sexū postulabant; idest, vt à diuina prouidentia sic cuncta disponerentur, vt corpus illud esset virile. Tertiò miraculū est, illud quod fit vltra ordinariā, & communē legē Dei, in quo sensu Christi transfiguratio miraculū nuncupari solet, quia licet illa corporis gloria esset debita animę Christi beatæ, atque adeo miraculū potius dicendum esset, quod illa aliquando caruisset; verū quia ille splendor, & gloria fuit contra legem ordinariā Dei volentis corpus Christi esse passibile, ideò transfiguratio miraculum appellatur. Sic considerare debemus legem ordinariā Dei fuisse, vt quoties Deus miraculose eleuauit steriles, & senes parentes ad habendum liberos, dedit illis prolē masculā primogenitā, vt constat in Isaac, Esau, Iacob, Ioseph, Sansone, Samuele Baptista, & alijs; decet enim maiestatē Dei, vt qando parentum sterilitatē, senectutē, vel infirmitatē emendat, aut perficit id faciat cumulatissime iuxta celebrē doctrinā Chrysostomi, Ambrosij, & aliorū Patrū dicentiū esse multo perfectiora quæ miraculose, quā quæ naturaliter producuntur. In hoc sensu ali quomodò est miraculū quod Virginis parentes steriles, & inepti ad generationē, habuerint primogenitam fęminam, & non masculum. Tandē supposito principio philosophico statuente fęminam ex vitio seminalis materiæ, & defectu naturę procedere, & supposita alia doctrina, quàm numerò primo, & secundo latè confirmauimus, habuisse Deiparam perfectissimam complexionem, & indolem; consequenter

dicendum est illud corpus non exegisse sexum imperfectiorem, sed perfectissimum. Spinel. in Taron. Virg. c. 20. ideò ait miraculum esse, quod Maria sit fœmina.

Quę vt magis explanentur oportet scire quid iuxta sensum Doctorum dicere oporteat de perfectione Deiparæ etiamsi esset fœmina iuxta ea quæ tractari solent de fœminis quæ in statu innocentiæ futuræ erāt. Albertus magnus in summa q. 82. *Corpus*, inquit, *mulieris potest esse eiusdem vel æqualis dignitatis cum corpore viri*, quod iam olim Magnus Basilius pro statu innocentiæ decreuerat. Consequenter maioris etiam dignitatis, & perfectionis esse potest, quamuis enim sexus fœmineus ex se sit imperfectior, quam virilis, aliunde tamen tot perfectiones, & excellentiæ adhærere valent vni fœminæ, v. g. Mariæ vt superaret omnia corpora virorum, quæ de facto dantur prę ter corpus vnius Christi. Vrget probatio a maiori, nam contingit indiuiduum inferioris speciei propter adhærentia, & circunstantias esse grauioris perfectionis, quam indiuidua plura superioris speciei, ergo intra eamdem speciem sexus inferior potest esse perfectior sexu superiori. Probatur antecedens, quia ex sententia plurium Theologorum actus iustitiæ propter peculiares circunstantias adeo excellere posset, vt superaret omnes actus Religionis, qui de facto dantur, etiamsi Religio secundum se perfectior sit quam iustitia: similiter in vitijs furtum propter aliquas peculiares circunstantias potest esse grauius in indiuiduo omnibus perjurijs, quæ de facto dantur, licèt perjurium grauius sit peccatum quam furtum. S. Thom. 1. part. q. 99. & iterum in 2. dist. 20. cum Bon. Dur. Ægidio, Gabriele, Ricardo, Brulefo, & alijs ibidem, & cum Viguerio c. 18. §. 4. tractant an ex miraculo, vel ex prouidentia extraordinaria Dei, vel ex aliqua violentia, vel ex apprehēsione generantis fieret, vt in Paradiso fœminæ producerentur, cum nihil ibi esset in materia generationis rebelle, aut crudum, aut morbosum, aut infirmum, de quibus late Suarius 5. de opere sex dierum cap. 3. vnde cum Maria iuxta Damascenum ex immaculato semine formata sit & iuxta. S. Brigittam ex purissimis & clarissimis elementis sine rebellione, cruditate, aut languore, non solum est eadem ratio tractandi; sed superior debet esse modus definiendi, quo credatur corpus Deiparæ supremam habuisse excellentiā supra corpora omniū virorum, excepto corpore Iesu.

Con-

Consequenter ad dicta affirmant ijdem Doctores corpora status innocentiæ,& Mariæ,& Iesu in prima formatione fuisse maiora,quam aliorum infantium,sic plures cum Alex. Alen.i.2.p. qu 95.membr. 3.ijs verbis : *Si autem obyciatur quod ab eadem imperfectione incepit statura tūc*,id est in Paradyso,*& nunc posset responderi per interemptionem , quia perfectioris statura fuissent tunc quam nunc*; & consequēter philosophantu ,nam cum asserant corpora prędicta fuisse organizata,& formata,vel in primo instanti , vel in prima die conceptionis,necessarium est,vt adstruant fuisse maiora:nominatim de Christo disserens Hieronymus Natalis lib.de laudibus Virginis a Cardinali Toleto approbatus, vt patet ex fine operis, docuit ipso Incarnationis Dominicæ die sic intumuisse Mariæ ventrem,vt eodem omnino die cœperit Iosephus addubitare ; & Salmeron tom. 3. de infantia Saluatoris affert illa verba Lactantij,*sine vllo attactu viri repē te virginalis vterus intumuit*: Prædicti Doctores credunt multo minus fuisse corpus Christi in prima formatione,quā docet Natalis,& insinuat Lactantius;verū maius fuisse,quā aliorum infantium:atque eorum sententia solidiorem probabilitatē habebit,si membranæ,aut secundinæ omnes, aut duæ Christo,& Matri denegentur propter defectum impuri sanguinis,ex quo in alijs solent formari;nam totus sanguis, qui in alijs distribuitur pro corpore animando,& mēbranis in fœtibus Paradysi,& in Christo,& matre insumeretur pro corporibus formandis.Sic impugnatur Abul.parad.1.c.25.

Ex ijs concluditur, quid ad postremum quæsitum respondendum sit. Dion.Carthus.in 2.dist.20.ait conceptionē in sinistra parte matris factam, causam esse vt fœtus habeat fœmineum sexum. Idem iam olim retulerat Vincent.Velb. lib.22.spec.nat.c.37.ex Lucan. Iuxta hæc principia, nullū foret inconueniens asserere puellas status innocētiæ,& Deiparam in sinistra parte conceptas non fuisse. Ratio est : nam quod masculus citiùs debeat formari,requirit situm in parte calidiori,quæ est dextera:cùm ergo Maria citissimè formata sit,& puellæ Paradysi velocissimè animarentur, non erat cur in sinistra parte conciperentur. Dubium tamen est apud Medicos,an verum sit fœminas in sinistro latere conci pi; Vincent. vbi sup. probat sine fundamento excogitatam distinctionē partis dexteræ,& sinistræ,pro diuersitate sexuū.

5. Corpora Mariæ, & Iesu, quatenus miraculosè formata, in prima conditione nihil à cœlorum influxu acceperunt; ex quorundam sensu.

Prima productio humanitatis Christi vnico contextu absolutæ nihil à cœlorum influxu recepit, si admittatur communis illa philosophia D. Tho. 1. p. q. 70. art. 3. & in 2. dist. 2. q. 2. art. 3. dicentis cœlum nihil influere, nisi per motum, id est, successiuè. De Mariæ corpore in prima conceptione supra vim cœlestium influxuum producto sic scribit Balthasar Sorio Ordinis Prædicatorum, serm. 5. de Concept. *Supra influxum cœlestium corporum perfectionem suam creditur obtinuisse, non enim natura potuit suis viribus tam perfectum opus producere, quale Virgo habuit.* Et iterum: *Perfectio virginei corporis influentiam cœlestis corporis, diuina operante virtute transcendit.* Huius afferri rationem traduc nonnulli Doctores, quia vtraque formatio Christi, & Deiparæ miraculosa fuit: sed miracula non causantur a cœlorum influxibus, sed ab omnipotentia Creatoris; ergo nec formatio miraculosa corporũ Mariæ, & Iesu in seipsa aliquid hausit ab influentijs lationum superiorum. Dices omnes effectus in instanti productos, vt vnionem animæ cum materia, ex eo quod peragantur in instanti, nullam habituros dependentiã à cœlestibus influxibus, ac proinde nihil esse singulare, quod formatio instantanea Christi, & Matris non accipiatur a cœlorum influxibus. Respõdent illi Doctores, cæteros effectus in momento productos pendere ab influentia corporum cœlestium, ratione dispositionum præcedentium naturaliũ, quæ successiuè introducuntur; at corpus Christi vnico instanti, & momento, sine præuijs dispositionibus successiuis formatũ est, vt Catholica tenet Ecclesia; corpus vero Mariæ, etiamsi præuias habuerit successiuas dispositiones ante inductioné animæ, illæ quoque ex miraculo a senioribus parentibus producebãtur. Instabis, saltem operationes dispositiuæ seminis & sanguinis Ioachimi, & Annæ breui illo tempore, quo creationem animæ rationalis Deiparæ præcesserunt, vtpote successiuè peractæ, ab influentijs cœlestibus dependebant. Respondent prædicti Doctores, primò motũ localem non pendere ab influxibus corporum superlunarium, quidquid auté post localem constitutionem seminis & sanguinis Ioachimi, & Annæ factum est, id quidem peractum in instanti, quod in

materia

materiæ apta, & sine contrarijs ex efficacia seminis apparatũ dispositionum produceret in momẽto sine temporis successione. Deinde respondent, supponendo quòd semen immaculatum Ioachimi paulatim dispositiones effice et præcedentes inductionem animæ rationalis Deiparæ, & docent fuisse miraculosas quoad modum; & qua ratione non pendent à cœlorum influxu miracula successiuè patrata, vt illud de cæco, à Christo Dño paulatim visum accipiente, & homines sicut arbores ambulantes primùm conspicante; ita miraculosæ quoad modum operationes successiuæ sanguinis, & seminis prodibant extra cœlorum influentias. Quoniã verò quoad substantiã eædem operationes dimanabant à virtute insita naturalibus instrumentis Ioachimi, & Annæ, ipsi veri, & legitimi, & natura les fuere parentes Deiparæ. Hinc nõnulli inferunt formationem Mariæ multo mirabiliorẽ esse, quàm primorum parentum; quia eorum creatio fuit vndequaque naturalis, est enim iuxta conditionẽ humanæ naturæ, quòd primi homines à solo Deo producãtur, cũ non potuerint ab alijs hominibus generari. Nullumque fuit miraculũ in illa productione, cùm tot interuenerint in generatione Mariæ.

6. *Opinio dicentium in statu innocentiæ eundem fore diem conceptus, & ortus infantium proponitur, & eam in ortu Christi & Matris locum non habere defenditur.*

Eadem die illi Paradyso nascitu. um fœtum, in quia animaretur rationali spiritu existimauit Oleaster in 3. Gen. id est, eundem fore diem conceptus, & partus; alios pro eadem opinione suppresso nomine refert Bellarm. tom. 3. controu. lib. 3. de amissione gratiæ, c. 11. quãquam sub formidine dicat id non videri probabile. Certè censuram Theologicam non mereri præmissam doctrinam suadent nonnulli: primò, quia S. Aug. 12. de Genesi, ad literam illi succurrit, licet dubitanter: secundò, quia Inquisitio Hispana cùm accuratè expurgaret Oleastri opera, hãc propositionẽ censuit permittendam. Ad probationẽ supponunt receptissimã doctrinã, natiuitatem scilicet duplicem esse, aliam substantialem fœtus generationem, aliam exitum prolis à matre extra vterum: & illa, & partus conuertuntur. Terminatur verò ad prædicamentum vbi, quoniam reuerà est localis motus, qui hæret toti composito, quod supponitur totaliter constitutum, & de hoc procedit opinio. Secundò, supponũt quatuor

esse

esse causas partus. Conciliator differentia 49. adducit vteri angustiam, defectum alimenti, & euentationis, seu ventilationis, & Aristot. 4. de generat. animal. cap. 8. adducit quartam, nempe fœtus maturationem.

Quibus sic iactis, & omissis alijs, de figura fœtus in partu, & expellendi modo, quæ ad commodiorem partum conducunt, prædicti Auctores docent, quòd semel animatus fœtus nasceretur eodem die primæ conceptionis, id est commixtionis seminis paterni cum sanguine materno. Probant primò, quia eadem die fętus cresceret ad magnitudinẽ sufficientem ad natiuitatem, quod verisimile esse aiunt, nam spumæ copia ingens ictu oculi accrescit: non aliter, nisi quia non est repugnantia in maxima flatuum quantitate permiscenda cum aqua: rursus prægrandis nubis corpus apparet instantaneè (vt ita dicam) etiam, quia plurima vaporũ & exhalationum (aut si mauis vtrorumque) multitudo in vnum confluit: ergo breuissimè constabit magnitudo fętus, vt ipsius ratione sequatur vteri angustia, alimenti defectus, & euentationis, seu ventilationis. Antecedens constat, consequentia probatur, quia licèt verum sit nubem, & spumam fieri magnas per solam partium iuxta positionem, corpus verò viuens per intus sumptionem: hoc non obstat in natura integra, vt citissimè augeatur viuens ad molem, vsque requisitam pro partu, quia sicut est vera hæc propositio: *Nubes & spuma magnitudine notatu digna apparent celerrimè, quia celerrimè iuxta ponitur noua materia*; ita est vera hæc; *Fœtus partes organicæ quantitate sufficienti ad partum citissimè vniuntur, quia est materiæ abundãtia, & nulla eius, vel ferè nulla resistentia, & potentissima facultatis formatiuæ virtus*: ergo congregabitur, spumificabitur, alterabitur, informabitur materia breuissimo tempore vnius diei. Succurrit Alexander Alensis 2. p. q. 95. membro 3. ijs verbis. *Si autem obijcitur quod ab eadem imperfectione incepit statura tunc*, id est in statu innocentiæ, *& nunc potest responderi per interemptionem, quia perfectioris staturæ fuissent tunc quam nunc.*

Attrahetur verò copia sanguinis sufficiens pro corpore illo grandiusculo, quia ex Gal. 1. de semine cap. 1. semen habet virtutem attrahendi: vnde cum fęminæ in illo mirãdo statu originalis iustitiæ sanguine vberrimo, sicut, & purissimo

mo

mo potirentur, nil obstaret, quo minus à virtute seminis attractiua attraheretur sanguinis portio sufficiens ad molem fęcus requisitam, quam matri detraheret, quin ipsam elongaret ab statu simpliciter sano, qui prædicto statui debebatur; est enim latitudo perfectissimæ sanitatis. Rogabis quomodo attraheretur dictus sanguis R. vel seminis sphæram adeò esse magnam, vt ad omnes partes diffunderetur, vel etiamsi non omnes transcenderet, posset à vicinioribus attrahere, & hæ partes à longinquis, successiue id, quod euacuatur extraherent.

Ex dictis inferunt, quòd si vteri capacitas esset latissima, & sanguis maternus posset vberior ministrari, quin ipsam ad imperfectam sanitatem deduceret, posset fętus eadem die staturam vltimam, quam erat habiturus, consequi, quia ex parte materiæ non erat repugnantia, & formam potius decebat.

Patet vlteriùs ex dictis semel natos non accrescere ad perfectam staturam, quousque alimenti quotidiani aduentu, & conuersione in aliti substantiam fieret, quia id ab extrinseco pender, scilicet ab alimento: nam quidquid intrinsecum debetur fętui, id totum comparabat in statu naturæ integræ eodem die à paterni seminis receptione in matris vulua.

Hæc dicunt pro ampliori ponendæ conclusionis probatione: nam neque vteri angustia, nec defectus alimenti, aut ventilationis sunt simpliciter necessaria ad partum, vt tenet Garcia super lib. de loc. affect. disp. 75. de partu naturali cap. 2. sed sola fętus maturitas vt late probat ibi prædictus Auctor, & tenet Hippocrat. in pluribus locis, præcipuè verò lib. de natura pueri, & lib. de octomestri partu, & Aristot. 4. de generat. animalium, cap. 7. Qua doctrina supposita, & ijs iactis fundamentis asserunt eadem die in paradyso, & formandum, & nasciturum puerum; id vt suadeant, probant priùs natos prędicti status non habituros ętates infantię, puertię, aut adolescentię iuxta phrasim medicam, licet in alia acceptione eas haberent; quia ętates omnes medicę sunt perfectiuę, id est, in quibus perficitur viuens: supponunt verò, & probant omnem intrinsecam perfectionem adipisci fœtum paradysi in die formationis, & natiuitatis, quod rursus probant ex doctrina Michaelis Barredę Compluti primarij Professoris Medicinę in manuscriptis publi-

cè

cè tra litis & hodie in dicta academia communiter receptis ci ca essentiam etatum: dicit enim ipsas esse naturalia temperamenta,& mutationes ipsarum solùm esse manifestationem naturalis temperamenti,quod quasi latet in primordijs generationis propter prohibens,& impediens, nẽpè propter partes crassas,aqueas,& terreas, quæ in vtero Matris simul cum partibus viuentibus remanserunt commixtæ ex primis elementis(ad quæ tandem reducitur, & deducitur viuens)propter resistentiam materiæ,vel debilitatem facultatum pue i,attrahentis,nempè retinentis, coquẽtis,&c. Sed hæc ratio deficit in fœtibus naturæ integræ, quia ibi omni posibilitete naturæ erat purus sanguis,omni præstantia erant robustæ,& efficaces facultates ministratæ, ministrantes,& formatiua,ergo fuit introducta forma absente cruditate,quæ poterat obstare productioni temperamenti naturalis perfectissimi,seu quod idem est productioni perfectissimæ ætatis. Ergo vbi in natura integra infotmata esset materia,statim erat ætas iuuentutis(si velis eam esse perfectissimam)aut adolescentiæ:ergo consequenter statim nasceretur proles atque ita verum est, quod eadem die fieret conceptio,formatio,& natiuitas,nisi velis breuiùs,quàm per diem integrum posita omnia contingere.

Hæc fortasis argumenta impulerunt, Aug. 12. de Genesi ad litteram,vt dubie,& opinatiue existimaret eundem forè diem conceptus,& partus in statu innocentiæ,cui adhæsisse videtur S. Anselmus in Elucidario prædictam supponẽs opinionem, & addens *infans in paradyso mox, vt nasceretur, ambularet & absolute loqueretur*, in rebus naturalibus huius generis, vbi non est authoritas scripturæ, nec vnanimis Doctorum sensus sequi debemus rationum efficaciorum argumenta,vt probat Mars. in 2.q.13.art.2. concl. 3. ex D,Tho. Dur. Tarantasia,& alijs,& quod nobilius, & sublimus est,id Mariæ tribuere oportet. Nihilominus hæc omnia non decernendo,aut lectando,sed proponendo dumtaxat,& examinando declarauimus; hanc enim doctrinam, nullatenus pro Mariæ conceptu,& ortu iudicamus necessariã: verum dando ex abũdanti,quod vera esset,atque cõmunis, nullatenus vim haberet pro corporibus Mariæ,& Iesu, nam licet ritu status naturæ integræ, idem fuerit dies conceptionis,& animationis vtriusque cum nonnullis alijs extraor-

traordinarijs prærogatiuis, nihilominus consideraro aggregato omnium circunstantiarum cum decreto Dei, naturale fuit, & debitum, vt nouem mensibus gestarentur in maternis visceribus. Ex decreto inquam Dei; quo statuit retardari horum sanctissimorum corporum incrementum, & natiuitatem propter peculiarem naturalem legem ipsis latam, nam & nobis debebant assimilari in ijs, quæ indecentiam non importarent. Qui autem docent Mariam debuisse iuxta leges naturæ ex maturitate, quam habuit, prima die conceptionis suæ passiuæ, sine vlla mora nasci, sequuntur opinionem Augustini, Oleastri, & aliorum; & ex vi illius, si non esset peculiaris lex data circa retardationem, docent conceptum, & ortum Virginis, & Christi eadem die concludi, & terminari debuisse; in quo solum est quæstio de nomine, aut de re inadæquate solum explicata sine oppositione, aut contrarietate opinantium. Fauet quod problematice scribit Ricard. in 3. dist. 16. Christum vt hominem, tenuisse medium inter statum innocentiæ, & naturæ lapsæ.

Quod si semel concedatur Virginis corpus fuisse formatum primo instanti conceptionis, necesse est etiam fateri, intercessisse aliquod miraculum, aut saltem extraordinariam dispositionem, vt per nouem integros menses in materno ventero detineretur, si vera esset opinio dicentium puellas animari octogesimo die à congressu parentum. Hoc supposito nullum est inconueniens asserere miraculosam, aut extraordinariam dispositionem, quoad moram in vtero, inchoatam esse à primo, quarto, quinto, aut sexto die, vel mense: etiamsi generaliter sit verum, quod ait Salazar, tomo de conceptione cap. 9. ex mente Catharini, Mariam Adami pro statu innocentiæ filiam esse censendam; & quod ipse addit cap. 22. Deiparam beneficium creationis per Christi merita singulariter obtinuisse, vt sæpe repetit num. 1. 7. 8. 9. 10. Iunge quæ docet Suarius de opere sex dierum lib. 5. cap. 3. plura esse inuecta nostris corporibus in pœnam peccati, quoad illorum intrinsecam constitutionem, vt sterilitas terræ, & mulierum, & cap. 6. ex grauissimis Patribus refert, nulla bruta in statu innocentiæ carnibus cibanda: & alia huius generis extraordinaria, quę docent aliqua etiam insolita Virgineo corpori esse attribuenda intra perfectionem specificam eiusdem naturæ humanæ.

7. *Ex senilibus corporibus Ioachimi, & Annæ, qua ratione valida complexio Deiparæ potuit haberi.*

In ea quæstione, an quidquid fœtus in primo sui esse habet, accipiat à parentibus, fuere nonnulli, qui negarent. Primò, quia potest effectus fieri diuersæ naturæ à generante; ergo aliquid accipit, quod parentes non præbent. Antecedens probatur ex Gal. lib. 1. de natura humana comm. 1. & Arist. 2. de generat. animal. Confirmatur, quia ex fœminæ congressu cum viro potest generari brutum, vt tenet Garcia super lib. G i. de locis affect. disp 73. de generat. monstror. cap. 3. ergo fœtus non accipit esse bruti à parentibus, quia illud in eorum virtute, non continebatur.

Secundò, quia ex parentibus debilibus, ægrotantibus, vitiosis succis scatentibus, generatur sæpè (licèt vt in plurimum sit euentus contrarius) fœtus validus, sanusque, ergo accipit, quod in parentibus non erat. Confirmatur, quia virtutes ministrantes, & ministratæ, attractrix, retentrix coctrix, expultrix, nutritiua, augmentatiua sunt fortes, multum in fœtu, crescit enim, augmentatur, & semel editus in lucem, maximè post quintum annum plurimùm digerit, quæ omnia non potuerunt à patre & matre accipi, quia dum generabãt, valdè erant debiles.

Tertiò, probatur ex S. Thom. opusc. 34. de occultis operibus naturæ plura reducente mediatè ad cœlorum influẽtias; est enim verum ad rixas esse pronum quemlibet, quia biliosus, aut sanguineus; est verò talis humoris, quia in tali tempore, & cæli constitutione fuit conditus: hæc autem dispositio non est sola intrinseca dependentia creaturæ à creatore, quia præter hanc est causa cuiuslibet effectus (dummodo non procedat à Dei absoluta potentia) cæli ergo medijs suis influxibus, aliquid producunt in fœtu, quod non accipit à parentibus.

Prima conclusio aliquorum Doctorum est. Quidquid substantiæ comitatur primam animæ introductionem totum accipitur à parentibus. Primò, quia cuiuslibet animalis proprium semen habet virtutem instrumentalem determinatam ad producendum simile generanti; ergo generatum totũ esse substantiale accipit. Secundò, quia cùm generatio sit in simili-

militudinem naturæ, sequeretur contra naturam generationis, aliquid de substantiali à parentibus, à quibus generatur, non accepisse.

Secunda conclusio. Aliquid de accidentali non continetur formaliter, nec virtute in parentibus, & istud potest residere in fœtu. Hanc conclusionem probat quartum argumentum contrariæ sententiæ.

Ad primum ergò respondetur verbis D. Thomæ qui ex Philosoph. sic habet: *Non enim quodlibet, & vt cumque sors tulit, ex quolibet semine oritur; sed hoc ex hoc neque ex quolibet corpore semen quodlibet prodit.* Verba Angelici Doctoris sunt: *Virtus enim formatiua, quæ est in spermate matris, naturaliter est ordinata, vt producat omnino simile ei, à quo semen decisum est sed de secundaria intentione est, quòd quando perfecta similitudo induci non potest, inducatur qualiscumque potest similis, & quia in generatione muli sperma, quod nō potest inducere speciem equi in materia propter hoc quod non est proportionata ad suscipiendam speciem equi, producit speciem propinquam. Vnde in generatione muli est aliquo modo generans simile generato, est enim aliquod proximum genus, quod non est nominatum commune equo, & asino, & sub illo genere continetur etiam mulus.* Itaque licet semen habeat determinatam actiuitatem: tamen hæc determinatio non est ad producendum ita simile, quod ad aliquid alienum non extendatur, contentum tamen sub communi genere, & secundaria intentione productum. Ita respondet P. Garcia loco citato.

Ad confirmationem in secundo respondet idem affirmatiuè, quia facultas generatiuæ virtutis potest deficere, & materia ita esse disposita, vt monstruum nascatur. Sed dices, ergo iste effectus continet aliud, quod non continebatur formaliter, nec virtualiter in semine, quod est contra conclusionē. Propter hoc respondendū verè contineri formā bruti in rationali anima: non vtiq; illa forma bruti, quæ differt specie à sensitiua hominis. sed hæc cum tali figura, ita vt monstrum repræsentet, & sic hic effectus est particeps animæ sensitiuæ contentæ in anima rationali, vt quo, quam semen continere virtualiter dicitur, quia continet dispositionem vltimam in materia pro vnione animæ rationalis: sicut, si verbi gratia seminis facultas disponeret in communi opinione ad vl-

vltimam formam, tamen embrione semel producto vitiaretur dispositio ad vlteriorem formã, & verè maneret materia cum forma vegetatiua, quæ conuenit cum plantis in effectu, licet prout in rationali contenta, & prout est in planta, secundum aliquos sit diuersæ speciei.

Ad tertium respondetur, probare accidentalem perfectionem sæpè a parentibus non accipi, quam ab astris, & stellis concedimus in secunda conclusione: mirum est in puero inspicere facultates ita robustas, augmentum, & nutritionẽ tantæ magnitudinis intra nouem menses, selectionem adeò exquisitam attrahentis purissimi sanguinis ex matre ægrotante, & cacochyma.

Quartum stat pro secunda conclusione. Quæ sicut & responsio ad tertium roboratur, quia videtur consonum, vt effectus nobilissimus, qui in huius vitæ peregrinationẽ mittitur à natura, dotatus descendat sanguinis, & seminis puritate propter influentiarum cœli benignitatem: oportuit enim mundum hunc lationibus superioribus esse contiguum, vt inde eius virtus regatur, & gubernetur, maximè verò in effectus principaliores naturæ; neque verò in aliam causam conferri valet, quòd diuersi planetæ in diuersas partes nostri corporis potestatem habeant, vt omnes profitentur. Totum opusculum 34. D. Thomæ de occultis operibus naturæ, arcanas, & validas specierum, & indiuiduorum proprietates, sicut in altiora principia refert in corpora cœlestia, & vlterius in substãtias separatas intellectuales, vt quod sapphirus sanguinem constringat, &c.

Hęc sunt, quæ sæpissimè naturaliter contingunt, at in formatione Mariæ, quàm miram, idest miraculosam appellat Sixtus 4 extrauag. de cõceptione, plurimas extraordinarias virtutes, qualitatesque aggregauit Deus. Ex parua loci, aut tẽporis circũstãtia verè mirandos effectus producit natura, quid non faciet in corpore perfectissimo Dei omnipotẽtia? Tẽpus & aura mutari solẽt, quãdo Luna in quadrato aspectu est cũ Sole, vel oppositione, & cõiunctione, nõ verò in trigono, aut sextili aspectu. Præterea etsi infinitarũ figurarũ aspectus in cęlo fiant, nullæ tamen præter trigonũ, quadratum, & sextilẽ, peculiarẽ effectũ habent. Cum duorũ sint genera morborũ chronicorũ scilicet, & acutorum quorum vtrumq; suos habet dies criticos, scalares, seu decretorios, acutorum dies

sunt

sunt impares, vt septimus; & alij chronicorum sunt pares, vt vigesimus. Obseruatum est per septennarium numerum vitæ humanæ cursum aliquas grandes perturbationes, & pericula subire; item per nouennarium, inter quos periculosissimi sunt quadragesimus nonus, qui constat ex septem septennijs, & sexagesimus tertius ex nouem septennijs, & octogesimus primus, qui ex nouem nouennijs. Qui in locis maritimis viuunt, vbi mare crescit, & decrescit, ordinariè aqua decrescente moriuntur, si morte non omnino violenta extinguantur. Non solùm aqua maris in illo loco, cui lunare corpus imminet, intumescit, & reliquis partibus altior est, sed etiam hoc contingit sub illo cœli puncto, quod Lunæ è diametro opponitur, etsi illud cęli punctum perpetuò mutetur. Lumen censetur esse qualitas, quæ semper, & immediatè à suo principio pendeat, sunt tamen lapilli natura sua obscuri, qui luci expositi, si in obscuro loco collocentur, splendent, & sensim ad obscuritatem reuertuntur. Partus septem, nouem, vndecim mensiũ viuunt in pluribus regionibus, alij nõ. Hæ occultæ proprietates ex tali circunstantia temporũ, & locorum, & speciali influxu corporum cęlestium proueniũt. Cùm Marię corpus singulari Dei cura formatum sit, eminẽter accepit quidquid cęlestes influxus, quidquid respectus tẽporum, & locorum donare poterãt de accidentalibus perfectionibus, quæ à Ioachimo, & Anna non poterant deriuari. Ideo Gerson serm. de Concept. ait, Mariæ in prima productione collatam omnem delectationẽ, omnem sanitatem, harmoniam, & tẽperantiam complexionis; & tract. 4 in Magnificat, ait de Maria mortali: *Iam dotes corporis gloriosi inchoabat, necnon donum Spiritus super corpus, & animam, vt esset inde corpus agile, & secundùm omnes vires motiuas subtile, præterea non ita passibile, vt nostrum.* Quæ verba cũ debitis limitationibus admittunt nonnulli; sicut & illa eiusdem Autoris sermone 3. de Conceptione; *Maria particeps fuit in via vtriusque beatitudinis, viæ scilicet, & patriæ.* Dixerat paulò ante; *Si Mariæ beatitudo noscenda esset, tribuendum illi quidquid in creaturis repertum viderimus.*

Plura huius coloris testimonia per hanc quartam partem passim referuntur.

∴

8. *In Christo, & Maria omnes rectrices facultates, seu interni sensus perfecti in summo, ex quorundam sensu.*

In Christo, & Maria potuisse omnes rectrices facultates, seu internos sensus, quod idem est, esse summè perfectos, probant nonnulli. Pendet huius decisio ex illa, quæ traditur circa aliam quæstionem, qua rogari solet, an rectrices simul lædantur cum memoria; an verò posſit vna sine alia lædi.

Communis Medicorum assensus tenet partem affirmatiuam. Ratio est, quia memoria ab æstimatiua, & imaginatio ab vtraque diuersum temperamentum pro suis actionibus exigũt: ergo potest vna lædi, si dispositio illi debita deficiat, bene se habentibus requisitis omnibus, vt operentur aliæ. Ita cum communi docet Petrus Garcia lib. de loc. affect. cap. 4. *Hinc infertur, implicare contradictionem, reperiri in aliquo omnes potentias rectrices summè perfectas: nam si vna potentia ex istis ad perfectionem sui operis requirit maiorem calorem, & alia minorem, cùm in vna parte non sit calor remissus, & intensus, necessarium est vt alterius potentiæ actus declinet à perfectione: nam ex parte organi ad perfectam apprehensionem requiritur humidum cerebrum; ad perfectam retentionem siccum, sed hæ duæ qualitates non possunt in eadem parte cerebri secundùm mutuum excessum reperiri.*

Addit inferiùs. Vnde videtur, quod nec in Christo Redemptore nostro fuerunt omnes æquè perfectæ: neque hoc detrahit aliquid de summa perfectione naturæ humanæ eius, quia secundùm eam naturam habuit omnia naturalia magis perfecta, quàm alter homo purus. Non est tamen mirum ab aliqua creatura in aliquo excedi Iesum, quia habebat temperamentum magis accommodatum ad illam singularem actionem: verùm si loquamur collectiuè, omnia perfectissima quantum humana conditio permittebat, habuit Christus Iesus. Verùm si quis probabile censeat, rectrices esse in diuersis cerebri partibus, non repugnat esse summè perfectas in aliquo, quia non repugnabit diuersas partes diuersa illa temperamenta sortiri. Ex ijs probant nonnulli, posse in Christo, imò in quolibet alio homine reperiri summam omnium sensuum internorum perfectionem: primò, quia est probabile rectrices esse in diuersis cerebri partibus, v.g. memoriam in posteriori, æstimatiuam in media, imaginationem in anteri

ri o...

-riori capitis parte, sed partes illæ diuersæ possunt diuersa tēperamenta sortiri, ita vt sit accommodata temperies in parte capitis posteriori ad memoriam, in media ad æstimatiuā, & in anteriori ad imaginationem: igitur in summo perfectæ esse possunt in vnico indiuiduo.

Et adhuc probant doctrinam, etiamsi omnes potentiæ sint exquisitè in qualibet cerebri parte, quia cum hoc stat, vt in determinata parte quælibet potentia vigeat: ergo si nō repugnat diuersas partes (si in diuersis locis ponerentur rectrices) diuersa temperamenta sortiri accommodata ad singularem actionem; etiam non repugnabit esse talia temperamenta in partibus, vbi singulæ magis vigent, ita vt absolutè in summo tam Maria, quàm Iesus habuerint singulos internos sensus perfectos in summo: atque hanc doctrinam magis ego approbarem.

9. *Philosophica, & Medica quorundam opinio, de membranis, aut secundinis denegandis fœtui in statu innocentiæ; & quid pro Christo & Matre ante ortum statuant*

Quæcumque in hoc numero dicentur, sumunt probationem à dicendis num. 11.

Probatum est à nonnullis, humanam prolem in originariæ iustitiæ statu, eodem die conceptionis animandam fore spiritu rationali, neque habere excrementa fæcum, & vrinæ, imò nec sudorem. Quibus iactis fundamentis, quærunt quot membranæ pro fœtu credantur fuisse in fœlici illo statu. Inde constabit, quid dicendū sit pro expositione canonis Trullani ducentorum viginti Patrum, quem editio Vaticana expressit ijs verbis; *Absque vllis secundinis partum Virginis confitentes*: an scilicet duplex sordida secundina solùm sit amouenda, an omnes; vel an vna dumtaxat concedenda sit: Nam & sancta Brigitta lib. 7. cap. 22. vnicam tantum secundinam, eamque valde nitentem, & mundam ab omni sorde memorat. In hac thesi pro Maria præ oculis habendum est, quod Salazar tomo de Concepr. cap 22. num. 25. ex Henrico de Hasia, & Dionysio Carthusiano docet, Deum ad Mariæ formationem in vtero supernaturaliter concurrisse: & ne consuetis mysterijs assueti, inferius quid attribuatur Deiparæ, addit ibidem num. 11. & 12. ex Idiota, corpoream hominis inferiorem naturam, ex primitiuo peccato factam deteriorem

ceriorem, & quod singulariter Mariæ adfuerit omnis gratia naturalium donorum;& ipsa habuerit perfectissimum,& pulcherrimum corpus, quod possit esse secundùm statum viæ. Secundò expenderdum est,an fuerit necessaria vena vmbilicalis ad nutritionem fœtus.

Ad primum quæsitum respondent aliqui, supponendo primò varios multùm processisse Autores:nam Arist. 7. de hist. animal cap. 7.duas connumerat secundinas:item Vesalius in 2.editione lib.5. cap.17. duas membranas esse fatetur:& sequitur Ambrosius Pareus lib.de hominis procreatione, cap.8. nam eandem reputat alantoidem, & chorion. Rursus Vesalius in hoc eodem loco docet totam inuolucrorum molem veteres Grecos chorion appellasse;veteres Latinos secundam,secundinamve, aut loculos; vt qui arbitrarentur non plura;sed vnum inuolucrum fœtum circumdans.

Idem Vesalius 5. suæ primæ editionis cap. etiam 17. tria inuolucra fœtum ambientia cõstituit: primum appellat *chorion*, quod vocat carneam substantiam fungosam, & lienis modo nigricantem,excipitque vasa ex vtero,quia carnosa substantia est membranæ adnata. Secundum inuolucrum ponit esse membranam *alantoidem*,quia carnosæ substantiæ est contexta. Tertium inuolucrum appellat membranam *amnios*, id est, agninam, propter mollitiem, & tenuitatem. Ita Realdus Columbus 12. suæ anathomæ.cap.1. & plerique. Tota ratio huius opinionis est, quia est triplex vsus; ergo triplex membrana. Antecedens patet:nam chorion est, vt inserantur vasa,per quæ fœtus alimentum excipit, & spiritus,& vt per vasa ipsius membranæ alligetur fœtus matrici,& etiam vt liberet vterum ab excrementis fœtus. Secunda tunica est facta ad vrinam recipiendam, & conseruandã, quia vtiliùs erat fœtum per vmbilicum,quàm per consuetas partes lotium reddere. Tertia est ad recipiendum sudorem; nec enim conducebat hunc cum vrina in eadem parte commisceri:nam cùm vrina sit acris, non poterat sine noxa tangere fœtum.

Secundò supponunt, omnes has membranas esse vnum corpus continuatum, ita vt non differant numero, sed solo officio. Ita tenet expresse Gal. 15.de vsu part. cap. 5.quem sequitur Petrus Garcia disp. 70. de membranis, quibus fœtus in vtero inuoluitur, cap. 1.

Dicunt

Dicunt ergo, in statu innocentię vnum tantùm esse inuolucrum, quod recipiat venam, & arterias vmbilicales, medijs quibus fętus alligetur matrici, & recipiat alimentum & spiritus à matre. Probant, quia distinctio membranarum solùm ex munere diuerso locatur ab auctoribus, iuxta quod diuersum munus experti sunt, sæpè inuolucera contemplantes Medici, & Philosophi, secundum diuersas cellulas, quas vocant diuersas membranas: sed in statu innocentiæ, neque esset vrina, neque sudor, vt tenetur communiter: ergo frustranea esset illa circumuolutio inuolucri, seu distinctio membranarum: nam per vnam quidquid conducebat ad fœtus commoditatem accipi poterat. Quæ omnia dum referuntur speculari debemus illud principium Suar. 7, tom. 2. in 3. p. disp. 1t. 18. sect. 2. Quidquid perfectionis gratiæ in illo statu communicatum est Adamo, non est denegandũ Mariæ, quod etiam ad corpoream perfectionem sæpè ipse extendit.

Si obijcias Aristotelem 3. de generat. animal. cap. 6. ita loquentem de membranis: *Omnes etiam fœtus, tùm volucres, tùm aquatiles, & pedrestes pari modo membranæ tenues ambiunt. separatis ab vtero, & humoribus admissis: ab vtero quidem ne sua duritie lædat, & ab humoribus, quia solent ad vterum confluere*: & Gal. 15. de vsu part. cap. 5. ¿ c tato, ita: *Quas natura, quoad etiam facere potuit, vnire voluit vt quod roboris vnicuique priuatim à se ipsa deerat, omnes à sese mutuo adipiscerentur.* Sunt ergo plures membranæ necessariæ, proptereà hos fines. Respondent, sufficienter impediri contactum vteri, vt non lædat sua duritie per vnicam tunicam; humores autem ad vterum non confluxuros, nisi in quantitate necessaria pro alimento fœtus in prædicto statu: nam erat humorum symmetria, expultricis, & attractricis æqua, & iusta operatio. Et ita propter vsus ab Aristotele positos, non est necessaria in prædicto statu plus, quam vna membrana. Nec propter fines quos exhibet Galenus, quia in casu nostro validissima erat vnius membranæ potentia, vt aliarum ope non indigeret.

Si obijcias secundo, effusio serosi humoris, prodest valdè ad felicem partum: aliàs præ siccitate difficilis est, & laboriosus: ergo potius in illo statu oportebat esse aqueã substantiam detentam, vt fęlicissimi partus acciderent. Respondent in statu innocentiæ non futurum dolorosum-

n par-

partum; sed placidè, & sine molestia egressurum infantem è vulua: est enim primi parentis criminis pœna partus cum dolore.

Ex dictis datur ab ijs responsio ad id, quod secundò quærebatur. Dicunt enim cum distinctione respondendum esse: nam vas, quod à vesica puerorum terminatur in secundam tunicam, scilicèt inter *Alantoidem*, & *Chorion*, quod vas vocatur *Vracos*, & cuius munus est deponi per ipsum vrinam, non esset in dicto statu, quia non esset in illo vrina, sicut nec modo in auibus: ergo neque vas ad eius delationem seruiês: esset tamen vmbilicalis vena à iecore pueri deducta ad vmbilicum vsque, quæ est via ad sanguinem è maternis venis deducendum. Probant, quia in illo statu esset necessaria sanguinis copia, vt nutriretur: imò, vt accresceret in magnitudinem notatu dignam. Dices posse elaborari in iecore pueri. Sed cõtra primo, quia etiam ad elaborationem sanguinis in iecore pueri esset necessarius sanguis maternus, vt materia: secundò non esset conueniens, vt in proprio fœtus iecore generaretur sanguis, sicut probant rationes, quæ idem statuunt in natura lapsa. Essent etiam arteriæ duæ ex iliacis deductæ, vt reciperet fœtus spiritus â matre, sunt enim valdè necessarij in prædicto statu, vbi sicut in nostro, non pullat fętus in vtero. At præter hoc maximum opus elaborationis in quantitate exigit spiritus actionem, quia licet in dicto statu omnes facultates robustæ possent maximam illam elaborationem cõparare, hoc esset etiam per spiritus, quia illa esset actio verè naturalis, ad quam spiritus in quocumque statu concurrunt.

Fœtum naturæ integræ vnico die formatum, eodem alitum per vmbilicalem venam, vnica solùm membrana obducendum probarunt alij Doctores, ex suppositione à plurimis Patribus, & Scolasticis facta, quod in eo statu, nec sudor, nec vrina haberetur (quia ex tribus secundinis duæ sunt pro sudore, & vrina, quibus expressè fauet reuelatio sanctæ Brigittę allegata à Salmerone, tom. 3. tract. 33. & aliorum grauium Doctorum suffragium) incidit disquirendum in horum sententia, numquid sine vlla membrana possit contineri intra vterum? Pro quo supponunt alij primò, non solùm varios extitisse Auctores, in membranarum numero, vt supra tactum est, sed etiam in substantia, & entitate ipsarum membra-

brarum. Nam Arist. 2. generat. animal. cap. 4. vult membranas, nihil esse præter semen, quod intumescit, & inflatur, cuius partes extremæ refrigeratæ, seu exsiccatæ manent in formam membranarum, vel exsiccatæ calore, vel frigore cõcretæ, itaut, sicut crusta panis est eadem substantia cum mica, illa tamen præ calore tota circumdat panem: sic pellicula genita ambit semen, cuius pars est. Verba Philosophi sunt: *Et genitura ita se habet ad menstruorum naturam: eadem enim natura lactis, & menstruorum est, itaque coactis iam partibus corpulentus humor excernitur, obducunturque circum parte excrescente terrena membrana; tum necessariò: tum etiam alicuius gratia, nam & calescentis, frigescentisuè rei extrema succrescere necesse est, & animal non in humore, sed seorsim contineri oportet*: Aduerte verbum, *non necessario*. Idem sensisse videtur Hippocrat. lib. de natura pueri dum ait: *Circum tenditur, quod forinsecus circum ipsa est, continuumque euadit, vtpote viscosum existens; quemadmodum in pane, dum torretur, tenue quoddam pelliculæ specie in superficie abscedit, ac extat, & in forma*: geniture autem calefactæ, ac flatæ ex toto pellicula forinsecùs circũdatur. Dicunt alij fieri à facultate formatiua seminis, quia in ipsius virtute continetur quidquid priùs producendum est antecedenter ad fœtum. Sequitur Andr. Laurent. 8. de re anathom. cap. 16.

Secundo supponunt fieri iuxta Aristotelem negantem semen fœmineum, ex virili semine in genere causæ efficientis ex sanguine menstruo, vt materia. Ità 2. animal. cap. 4. & admittit Carretius iuxta Aristotelem sic esse sentiendum dispùt. 70. de membranis capit. 3. de principio efficienti; at iuxta Galenum dicit idem Carretius fieri ex crassa parte seminis virilis, vel fœminei; quia cùm vtrumique semen sit eiusdem rationis specificæ, quodcumque potest esse materia.

Tertiò supponunt, quod membranæ fiunt post aliquod tempus à retentione seminis. Probant, quia partes seminis crassiores, & corpulentæ secedunt ad superficiem vteri, & veluti concrescunt, & formantur, vt fiant membranæ, quæ omnino tempore manifesto indigent. Et ita Aristot. 7. de hist. animal. capit. 7. loquitur de tempore, quo fiunt membranæ: *Semen diu contentum in vtero, membrana*

na obducitur. Vnde quando Gal. 1. de femine capit. 4. ait: *Membrana siquidem apparet, quæ fœtum ipsum statim vbi primùm conceptus est, siue multorum, siue paucorum sit dierum, vndequaque circumdat, ac continet*; tractat de conceptu propriè dicto, id est de secunda conceptione cum animatione coniuncta, non de prima ante animationem, quasi dicat: Cum primum conceptus est fœtus, id est animatus, membrana obducitur, non quod fœtus, & membrana simul fiant, sed quia tunc conspicitur: ita relatus Carrerius citato loco.

Quartò, supponunt non omnes membranas fieri simul, sed vnam post aliam in diuerso tempore: sic Aristot. 7. de histor. animal. capit. 7. *Primùm intra vltimum inuolucrum animal gignitur; mox altera membrana obuelat.* Hippocrates non solùm docet idem, sed etiam dicit primam generatam esse *Chorion*. Ita lib. de natura pueri habet: *Cùm autem tempus accesserit, rursus aliæ pelliculæ intra primam pelliculam tenues, & multæ circumtendunt eo modo, quo prima pellicula facta fuit.* Quod deducitur ex communi sensu auctorum, quia in chorion venæ, & arteriæ inseruntur, vt fluat sanguis ad sustentationem fetus, quia tunc temporis non sunt aliæ necessariæ, deficit enim vrina, & sudor, pro quorum receptaculo creantur.

Ex ijs suppositionibus inferunt Doctores prædicti esse valde probabile nullam fore membranam pro fœtibus in paradyso; & probant, quia in natura lapsa est retentio seminis ante productionem omnium membranarum, ergo in natura integra potuit absque vlla membrana semen retineri, coagulari, & figurari, & solidari cum ex potentissimis facultatibus celerius omnia perficerentur; ad nutritionem verò fœtus, & alligationem cum matre sufficeret vena vmbilicalis: & dato quod eiusmodi membranæ, & fasciæ ad hoc solum formarentur, vt complecterentur genituram, ne fluida, & vaga massa diaberetur: hic finis cessaret pro Christo, & Deipara, iuxta illa quæ relata sunt de vtriusque formatione. Secundò probant, quia nunc membranæ successiuè fiunt, pro ijs quibus tractu temporum successiuo indiget fœtus paulatim formandus, animandus, & figurandus, sed in statu innocen-

tiæ idem esset dies conceptionis, & animationis Infantium, & figurationis solidæ ipsorum, nulla igitur tunc membrana desideranda erat.

Tertiò, quia ex doctrina Suarij tom 2. in 3. p. disp. 13. sect. 2. opinantur nonnulli Christi conceptionem fuisse absque vllis secundinis, ac propterea sine nouo miraculo repertas non fuisse in Christi natali. Addit Suarius, hunc modum formationis exigere duo miracula, vnum circa alimentum fœtus, quod ait cessare, si dentur funiculi, aut venæ vmbilicales sine membranis; alterum, vt miraculosè resoluantur superfluitates Christi nouem illis mensibus: verùm nullum ex ijs duobus miraculis necessarium erat; non primum, quia per venam vmbilicalem aptè nutriretur; non secundum, quia absque miraculo superflua indecentia, aut crassiora excrementa defuissent, iuxta inferiùs dicenda. Facilè hæc côcederet Suarius, ex hypothesi quòd essent miraculosa; nã vt ipse ibidem ait ex Caiet. secreta miracula, quę aliena sunt ab omni suspicione, maximè decent Christum, etiam tempore infantiæ, propter Matris obsequium. Has sordes contentas in secundinis, pro Filio, & Matre negat S. Zeno serm. 3. de Natiuit. illis verbis. *Non Filius, suis, aut Matris est vllis sordibus delibutus, neque enim reuerà aliquid circa se habere potuit immundum.* Similia habet S. Eligius serm. de Purific. Vincentius Veluacensis lib. 3. spec. moral. p. 3. dist. 11. hæc ait. *Pœna peccati est, vt concipiat mulier cum immunditia, & fœtore.* Pro Deipara similiter scripsit S. Ildefonsus serm. de Natiuit. Mariæ, dicens, Annam Deiparæ genitricẽ nullam habuisse in partu immunditiam, quod inter effectus iustitiæ originariæ numerandum est. Dicitur de S. Edmundo in bulla canonizationis ab Innocentio IIII. & admittitur à Vincentio in spec. hist. lib. 31. c. 67. natum esse absque secundinis, & sordibus; sed hoc inter miracula referendũ est. Propter præmissa Philip. Faber in 3. dist. 3 disp. 12. c. vlt. post allegationẽ Conc. Trul. denegantis partui Virginis sordes, & secundinas, ait vel Christum non formatũ in secundinis; vel si fuit in illis formatus, extra illas, non eas rumpendo, exiuisse.

Quartò probât, quia hæ mẽbranę fiunt ex impuro sanguine matris, media actione, & reactione cũ materia animanda; sed in formatione corporum Christi, & Matris hæc cessarũt omnia; ergo illæ non fuerunt necessariæ. Iuuat Salm. tom. 13

qui

qui est primus in epistolas, disp. 50. Mariam eximens ab omnibus sententijs aduersus originale peccatum 3. Gen. promulgatis.

Quintò confirmant ex canone Trullano 79 qui probatur in septima Synodo, act. 7. can. 1. in illis verbis; *Absque vllis secundinis ex Virgine partum esse confitentes.* Et inferiùs: *Non licere ex communibus, & ijs, quæ in nobis fiunt, inenarrabilem Virginis partum, quæ supra mentem, & sermonem Verbum peperit, definire, metiri, ac describere.* Vnde eadem Synodus interdixit fidelibus, fetum de sacra, & nitente membrana. Legendus pro hac thesi Epiphanius lib. 3. contra hæreses, Nazianzenus in tragœdia *Christus patiens*, Cypr. serm. de Natiuit. Christi, August. 29. contra Faustum cap. 3. & 4. & lib. de quinque hæresibus cap. 5. quam sententiam veluti probabilem proposuit Suarez tomo 2. in 3. par. disp. 13. sect. 2.

Venam vmbilicalem ad hoc potissimum dari, vt fœtus prioribus mensibus possit per illam attrahere alimentum, quod ore nondum bene formato accipere nequit, docuere plerique Medicinæ Professores. Si Christus, & Maria, vt aliqui existimant, à prima die ore nutriti sunt, non esset necessaria vena vmbilicalis. Fauet huic existimationi Hippocrates libro de principijs, docens puerum in vtero comprimentem labia sugere, & cum alimentum, tum spiritum trahere. Tamen expeditior est Philosophia, & Theologia, vt etiã vena vmbilicalis Christo, & Matri lacentibus in maternis visceribus deferatur. Certe cum illa sola expeditiùs defenderetur, quod Salmeron tomo 3 de infantia Christi tract. 13. admisit illis verbis; Vt pium admittendum, Mariam in spiritu vidisse Ioannem semestrem genuflexum coram Christo, & Christum sedentem eum sanctificasse, & nominasse Spinelus in throno Deiparæ, cap. 5. ex Carthus. docuit, Virgineam carnem, dulcem fuisse sortitam odorem: quod ex absentia secundinarum & materiæ in illis cõtinendæ faciliùs ex prædicta suppositione pro Christo, & Matre posset intelligi.

10. *In statu innocentiæ, proximè ab ortu infantes perfectè cognoscere, & expeditè moueri potuisse, ex grauissimorum Doctorum sensu; & quid de infantia Christi, & Matris statuant.*

Iesum, & Mariam per scientiam ex sua natura adqui tam-

tam, & pendentem à sensibus, à prima cóceptione perfectissimè intelligere potuisse existimarunt graues Doctores; ad cuius thesis intelligentiam, & probationem supponunt facultates, quas Medici vocant ministrantes, attractiuam videlicet, retentiuam, cóctricem, & expultricem; necnon etiam ministratas; de quarum numero nutritiua censetur; cùm sequantur formam, in Iesu, & Maria; habuisse totam illam perfectionem pro suis muneribus obeundis, quam illis potuit natura tribuere. Quo supposito, sic probant intentum. Quæ torporem, & hebetudinem inuehunt pueris in eliciendà intellectione, sunt excrementa, & extraneæ substantiæ, quæ siue in cerebro generentur, siue transportentur aliunde, temperamentum valent euertere, & phantasmata offuscare; sed hæc impedimenta non inueniebantur in Iesu, & Maria tempore primæ formationis, ergo non est cur illis perfecta intellectio pendens à sensibus denegetur. Minorem probāt: quia facultates ministrantes cùm perfectissimæ fuissent, rectè suũ munus exercuere; nulla enim defuit in munere, & officio, ad quod destinata fuit: vnde facultas concoctrix oblatum alimentum exactè concoxit, & præparauit, vt nutritiua illud conuerteret in substantiam aliti; præsertim cùm alimentum fuisset purissimus Mariæ sanguis pro Iesu, & insolitum lac Annæ pro Maria: quæ duo erant valde defæcata, & ab omni excremento aliena, ita sub proportionata quantitate, vt nihil superfluum superesset; & dato quòd in vltima assimilatione aliqua pars superesset, quæ alimentum redderet dissimile, & quæ in elaboratione vltima deberet tanquam excrementum sequestrari, ea fuit in tam parua quantitate & adeò extenuata, & à calore naturali ita subtiliter disposita, vt facultas expultrix, cùm fortis, & robusta esset, per insensibilem halitum eam ocyssimè expelleret. Quare nullum potest assignari impedimentum, ex quo à prima formatione Iesus, & Maria perfectam intellectionem non haberent. Præcipuè, quia Iesus in vtero Virginis non per os, sed per venam vmbilicalem alimentum desumpsit ex visceribus Virginis satis elaboratum, & excrementorum expers; non enim fuit alia nutriendi via, quàm in Deipara, & Anna, & quolibet alio fœtu: hanc autem esse, per quam fœtus in vtero alimentum sumat, irrefragabilis est ferè omnium Medicorum sententia, quam tradit Hippocr. lib. de alimento, cùm ait; *Antiquius*

alimen-

alimentum per abdomen vmbilicus, &c. Et lib. de septimestri partu, & lib. de natura pueri. Arist. lib. de generat. animal. cap. 4 & passim, Gal. lib. 14. & 15. de vsu partium, Andreas Laurent. lib. 8. historiæ anatom. cap. 7. quæst. 24. Roaldus Columb. lib. 12. suæ anathom. tract. de formatione fętus. Peramatus lib. de hominis procreatione cap. 13. & multi alij. Cùm ergo fętus nutriatur sanguine matris, nec specie, nec numero diuerso, vt dicti Auctores fatentur, & expressius Andreas Laurent. in fine capitis præallegati, & non solùm fętus nutritur sanguine matris, sed puriori, & perfectiori, iuxta Gal. lib. 5. aphor. comm. 60. & in libris de semine per plura capita, quam quæstionem etiam disputat Peramatus, lib. citato cap. 16. Si igitur Iesus, & Maria, ex purissimo sanguine matrum in vtero alebantur, & vtriusque facultates in coquendo, & expellendo, minimum quod superare poterant (quia perfectissimę) insensibiliter emittere, non apparet, vnde excrementa supercrescere possent, quæ cerebri temperamentum euertendo, & phantasmata obtenebrando intellectionem impedire possent.

Deinde felicitas intellectus consistit in perfectione temperamenti, vt docuit Peramatus lib. de temperamentis cap. 22. at quis negabit Christi temperamentum perfectissimum esse, & pro intellectione apprimè exactissimum? Ricardus de Mediauilla in 2. dist. 20. q. 4. ait strictatem humorum in organis, & commotionem, & nimiam humiditatem cerebri impedire distinctam intelligentiam, & relucentiam imaginum in pueris, quæ Christi Domini cerebro in prædicta nimietate sunt neganda. Iuuat S. Antoninus 4. p. summæ tit. 14. cap. 23. docens perfectionem intrinsecam corporis Iesu, quoad vsum memoriæ, & membrorum, fuisse à principio inditam. Alensis 2. p. q. 95. illuminationem, & scientiam defert paruulis paradysi ab initio. Præterea Gal. lib. 8. de vsu part. cap. 13. probat intellectum sequi, non compositionis varietatem, sed corporis, quod cogitat, atque intelligit bonam temperiem: Iesu ergo & Mariæ corpora, cùm optimam temperiem adepta fuerint, optimum intellectum sortita fuere. Si igitur in principio formationis, non solùm in actu primo ratione animæ, cuius potentia est, sed ratione perfectionis sui temperamenti habuerunt perfectissimum intellectũ, benè infertur à prima formatione intelligere: temperamenta,

ea namque quò perfectiora sunt, eò minùs habēt spurcitiei, & extraneæ, ac ex rementosæ substantiæ, quæ possit operationibus obstare. sine temperamento autem nihil animam operari dixit Gal. lib. de substantia facultatum naturalium. Thesim hanc attentiùs cogitantes prædicti Auctores, nullam se fatentur inuenire philosophandi rationem, propter quam non asseueranter possint defendere æquè perfectum discursum, æquèque perfectam intellectionem in instanti formationis habuisse Mariam, & Iesum, ac in reliquo suæ vitæ tractu, quippe quòd ex parte potentiæ eadem exiistit essentialis perfectio: temperamentum verò idem perseuerat, quoad iustitiam, & prout cerebro debetur ad ea munera obeunda. Facultates itidem naturales ad perfectè coquendum & expellendum, si quæ superfluerent, eandem seruant perfectionem; potiùs si aliqua superfluitas posset intellectionem hebetare, ea esset in vitæ decursu, & non in prima formatione, ex improportione, & impuritate obiecti: in hac enim nutritio facta fuit ex purissimis sanguinibus, ex quibus ferè nihil restat non confectum; in illo verò ex pane, & alijs crassioribus edulijs, ex quibus coniectandum crassiora supeesse excrementa, quæ adhuc non concedunt ij Auctores, propter robur facultatum in coquendo, & expellendo. Supponūt ex præcedentibus, Iesum, & Mariam ab initio suæ conceptionis verum, & perfectissimum habuisse discursum, per scientiam pendentem à sensibus, iuxta quod etiam tenentur dicere exactissimum, & purissimum ab omnibus excrementis possedisse cerebrum; tum in debita intrinseca temperie, tum in debita quantitate, figura, & situ, atque numero partium cerebri, quoniam licèt vnica ex dictis partibus sensationem eliciat internam sensuum, & mentis (cerebrum nempe) attamen omnes suo modo conducunt, quia concedendum est, vnam partem similarem actionem omnem elicere; reliquas verò organi præstare vsum, iuxta Galenum lib. de differentijs morborum, cap. 6. & 2. methodi cap. 6. Quod confirmatur, & simul expenditur verbis Galeni, 1. de vsu partium, capite octauo, vbi dum explicat quandam Hippocratis sententiam, qua dixit, *Particulæ omnes corporis sibi inuicem compatiuntur, consentiuntque:* id est, *in famulatum vnius operationis omnes conspirant*: ita scribit;

Vt oculus organum est visorium, ex multis constans particulis, quas omnes ad vnam operationem, scilicet visionem conspirantes obtinet; quasdam enim habet, per quas videmus, quasdam sine quibus videre non licet, alias gratiá videndi melius, alias ad harum omnium conseruationem. Igitur ad perfectionem cuiuslibet actionis requiritur necessariò omnes instrumenti partes debita sanitate constare quantitatis, numeri, situs, & figuræ: quia omnes commoditatem præstãt ad actum, licèt actus ipse ab vna similari prodeat.

Ex dicta suppositione, quæ arguit in Iesu, & Maria summam omnium partium capitis præstantiam, videtur colligi reliquas omnes totius corporis partes eadem sanitatis perfectionem adeptas fuisse, quoad intrinseca, quatenus conducebat ad operationum præstantiam; itaque hæ consequentiæ teneant: Iesus verè discurrit in ipso suæ conceptionis instanti: ergo habuit perfectissima capitis organa; sed hæc simul exposcunt per naturalem connexionem perfectionem organorum totius corporis: ergo in instanti, quo conceptus est summè perfectus extitit in debitis numero, quantitate, situ, figura, temperamento totius quoad intrinseca, ad perfectionem actionum omnium.

Hæc doctrina latissimè poterat probari ex doctrina Doctoris Michaelis de Barreda, primarij Cathedratici Medicinæ in Complutensi Academia, in manuscriptis publicè traditis circa essentiam ætatum: dicit enim, ipsas constitui per manifestationem temperamenti naturalis, quod quasi latet in nobis, propter prohibens, & impediens, nempe propter partes crassas, aqueas, & terreas, quæ in vtero matris simul cum partibus viuentibus commixtæ remanserunt ex primis elementis, ad quæ tandem reducitur, & deducitur viuens propter resistentiam materiæ, vel debilitatem facultatis infantis, attrahentis nempe, retinentis, coquentis, &c. Tunc sic. In Iesu hæc ratio non militat: ergo ætas perfecta sociauit illum illicò ac cõceptus est, vt verè intelligeret, firmiter discurreret, moueretur, sentiret; & quantum spectat ad naturales operationes, coqueret, &c. licèt nihil ex ijs in infantia præstiterit, ne corpus phantasticum videretur. Minor probatur, quiá ex purissimis sanguinibus beatissimæ Deiparæ elaborata est dicta materia valida, & sanissima facultatum ministrantium, & ministratarum ministerio. ergo nullæ

nullæ partes remanserunt inuictæ; ergo apparuit viuens omnium cruditatum immune, & ab omnibus excrementis actionis perfectionem retardantibus liberum.

Probatur iterum ratione superiùs insinuata, eam magis ampliando, & confirmando: nam particulæ omnes corporis sibi inuicem compatiuntur, consentiuntque; ergo est impossibile vnam perfectissimam existere, si aliæ sint imbecilles, aliàs dissentirent. Consequentia constabit magis ex dicendis. Antecedens sunt verba Hippocratis, allata à Galeno, 1. de vsu partium, cap. 8. & clarius alibi idem Hippocrates libro de alimento, per hæc verba: *Conspiratio vna, confluxus vnus, consentientia omnia.* Et si ossa plusquam ducenta, & totidem sint humani corporis cartilagines, quamplurima ligamenta, pene innumeræ membranæ, tubi arteriarum, venarum myriades, neruorum plusquam triginta paria, musculi ferè quadringenti, viscera totius corporis officina graduali, & subalternata facultatum serie operantia, tum chylum ad sanguinem, tum sanguinem ad nutritionem, tum spiritus ad omnes corporis actiones fouendas: inter hæc plurima, & diuersissima, est confluxus, verùm & inter facultates distinctissimi muneris factrices, inter attrahentem, quod vtile; repellentem, quod nociuum; retinentem, quod commodum; coquentem, quod dispositum; commutantem, quod necessarium. Consequentia roboratur auctoritate Galeni 1. acutorum, comment. 1: *Aliqua facultate existente debili, reliquæ trahuntur in consensum*: quam expendere facile erit ex dictis. Secundò id probatur in aliquibus morituris, de quibus Auicenna Fen 1. lib. 4. tractatu 1. cap. 4. *Et multoties quidem accidit apud mortem dispositio, quæ est sicut declinatio, & est, quasi æger euaserit.* Vna ex rationibus huius falsæ declinationis adducitur à Petro Garcia Carrera, super Auicenna loco citato; quia cum partes præ imbecillitate non operentur, non fit ad omnes superiores, & inferiores vaporum transmissio, vt his labefactentur: ergo si in vicinitate interitus, mortis cognitio latet per defectum communicationis partium adinuicem, sanitatis tempore elucescet incommodum ex imbecilla parte ad validam transfusum; ergo data hypothesi, quòd supponatur perfectissima alicuius partis organizatio, necessariò fatendum est reliquas eodem præstantiæ organizationis gaudere priuilegio, aliàs perfecta

trahetur

trahetur in consortium partium debilium.

Superest, quæ hactenus dicta sunt testimonijs Doctorum pro statu innocentiæ, & pro corporibus Christi, & matris in infantia confirmare. Ex istis Salmeron, tomo 3. de infantia tract. 10. ait accelerationem vsus rationis in Ioanne fieri potuisse corporis membris, & organis ad exercendam rationem dispositis, & accommodatis, vt in pueris grandioribus accidit, ipse tamen existimat verisimilius esse species diuinitus accepisse, quæ instrumentis corporis non egerent, vt Angeli, & animæ separatæ. Verum si dependenter à sensibus, & phantasmate infans Ioannes intelligeret, necessarium credit Salmeron, vt immutatio magna in temperamentum cerebri resultaret, ac proinde in reliquum corpus, & sic opinari tenetur Cardinalis Toletus in 2. Lucæ, annotat. 86. dicens, Iesum non fuisse inferiorem Adamo, sed à primo instanti Dominicæ incarnationis vsum fuisse, etiam scientia per accidens infusa dependente à sensibus. Suarius tomo 2. in tertiam partem, disputatione 4. sectione 7 ait potuisse Deum phantasiam Virginis infantis ita confortare, vt fidei cognitionem à sensibus pendentem perfectè eliceret: Eò sanè in casu quæcumque philosophicè, & medicè, nuper retulimus vim suam haberent. Sic tenetur opinari Gabriel Vazquez tomo 2. in 3. p. disputatione 219. capit. 4. & 1. part. disputatione 134. cap. 3. docens Mariam dependenter à phantasmate, & non aliter à prima conceptione intellectiones elicuisse: Salazar tomo de conceptione capit. 32. vtramque cognitionem Mariæ defert à primo die formationis, & eam, quæ pendet à sensibus, & eam, quæ sensibus non connectitur. Similiter opinari debent quotquot Christo Deo ab initio conceptionis suæ attribuunt omnem scientiam adquisitam per accidens infusam habuisse, quæ opinio valdè communis est, eamque probabilem esse docet Granados in 3. p. contron. 1. de Incarnatione disputatione 4. sect. addit vero sect. 3 in infantia, sine miraculo intelligere non potuisse Iesum dependenter a phantasmate. Quod qua ratione limitandum, aut accipiendum sit ex philosophia superiùs declarata Doctores illustrant.

i. Fir-

Firmatur hic sensus auctoritate antiquorum Scholasticorũ, qui existimantes infantes Paradysi à prima formatione, & conceptu perfectam intelligentiam phantasmati connexam habuisse, docuerunt corporis temperamentum fuisse accidẽtaliter perfectius, quam in statu naturæ lapsæ, itaut expeditè moueri possent immediatè post ortum. Sic Alexander Alensis apud Dionysium in 2. dist. 20. q. 2. statuens infantes Paradysi potuisse gradi matres sequi, pedem figere, & naturales habere vsus membrorum: idem sentit Petrus de Tarantasia allegatus ab ipso Dionysio. Ioannes Bassoles in 2. dist. 20. propter reuerentiam Augustini, ait se opinari mox natos pueros ambulaturos in Paradyso, & problematicè tuetur perfectum vsum membrorum, & perfectam ipsorum intelligentiam, Marsi. in 2. q. 13. ait nimiam humiditatem cerebri impedire à perfectione phantasmatum ætatem infantilem: hac deficiente paruulos perfectissimè intellecturos quoad vsum: ibidem art. 3. omnibus pensatis problematicè docet, & doceri permittit infantes Paradysi proximè post ortum habituros vsum perfectum membrorum. Estius in 2. dist. 20. §. 4. loquens de statu innocentiæ ait, verisimile est eosdem paruulos habituros fuisse vsum omniũ suorum membrorũ ad actiones illis corpusculis necessarias, & refert pro hac mente S. Augustin. lib. 1. de peccatorum meritis capit. 37. 38. & Alexandrum Alensem, & statuit pueros proximè ab ortu ambulaturos, & loquuturos, vnde ait nõ essent propriè infantes. Idem docet Angles in 2. distinct. 20. differ. 8. conclus. 1. & different. 9 & 10. Hæc non quia difficulter nunc intelligantur repellenda sunt, nam quod dixit Alensis 2. p. q. 95. quia sumus in statu caliginis, assueti miserijs non concipimus mente perfectionem corporum Paradysi. Cùm igitur Christo Deo, & matri à plurimis, & grauissimis Theologis tribuatur ab initio conceptionis perfectissima intelligentia pendens a phantasmate, necesse est, vt omnia, quæ ex philosophia, & medicina producta sunt admittantur, & vtrique deferatur proxima possibilitas motus expediti, & perfectio accidentalis multò sublimior, quã cæteris, quoad tẽperamenta, & functiones mẽbrorũ. Proponũt ij eã cõmunẽ Theologorũ sententiã, quã sectatur Palacios in 2. dist. 20. dis. 4. dicẽs in statu innocentiæ sine labore infantes nutriendos, non inuoluendos crepundijs, non fascijs

ligaudos, vt modo, similiter opinatur in 2. Lucæ Maldon. docens debitam infanti Iesu curam fasciandi, eam tamē pro constringendis membris, atque firmandis, ne enormiter fluerent, aut dissoluerētur non fuisse necessariam. Ex ijs principijs docent, quod Iesus in eo instanti, quo conceptus est, perfectissimè fuit formatus, vt moueri potuisset, perfectissimè si voluisset: nam quod vt ait Vinc. ex Guilel. lib. 31. cap. 78. speculi natur. *Animalia cætera ex quo nata sunt, stant, & incedunt homo verò nec stare, nec incedere potest, quia nutritus est sanguine menstruo, & corrupto*: rationem non admittunt; qu inquam verissimum credunt Christum ex purissimo sanguine, non menstruo fuisse formatum, & nutritum. Intrinsecè (vt ij aiunt) illius partes, & musculi adeo bene constituta ab initio, vt in nullo vitæ suæ tempore intrinsecè magis perficerentur. Hæc dignitas fuit illi debita per necessariam perfectionis connexionem suppositis ijs, quæ sacrosancta Concilia, & Patres declararunt: interim huic sensui inhærent, prout continetur illis verbis Alberti Magni, quæ sua fecit sanctus Antoninus 4. p. summæ tit. 15. capit. 23. *Conceptus est Iesus vir perfectus in naturalibus. Alij pueri per plures annos manent antequam intelligant, vel loqui possint, vnde & infantes dicuntur, sed subito Christus conceptus habuit completum vsum rationis, & memoriam tenacissimam, intelligentiam acutissimam, loqui perfectissimè potuisset, si voluisset.* Abul. in tract. super ecce virgo concipiet, sic ait: *sciebat Iesus in infantia formare voces, sed non formabat, ne monstrosus partus videretur.* Simul pro suis habent illa verba Hieronymi in 31. Ieremiæ de Iesu. *Perfectus vir in ventre fœminæ*, & illa Alberti Magni in 3. dist. 2. *Formatus Christus debitis lineamētis præter incrementum*; & illa Bernardi homil. 2. super Missus est. *Christus a principio perfectus vir erat maturitate sensuum, non corpulentia membrorum*: & illa Brigittæ lib. 7. cap. 12. *Creatur fore dignoscitur, quod Mariæ filius statim perfectum sensum habuit, quando in vtero eius humanatus extitit.* Quæ omnia de Christo Deo dicta, quoad corpus tuentur esse aptissima nam mē tem D. Thomæ, & S. Bonauenturæ, & plurimi e societate Iesu cum Francisco Suario. Simile affectum defendunt pro sanctissimæ Virginis corpore, vt cōtinetur in illis verbis Iacobi de Voragine, Dominicani sermone tertio de Natali

D o r.

Deiparæ. *Corpus Deiparæ ab initio fuerat firmiter compaginatum, Dei sapientia prudenter temperatum:* & in aliis verbis S. Brigittæ, sermone Angelico de Virginis excellentia cap. 1. *Maria tam gracilis erat, quod in alvo matris faciliter versabatur.* Siliceus Archiepiscopus Toletanus super Magnificat perfectam cognitionem attribuit Deiparæ ab ipso conceptionis instanti iis verbis. *Magnum est, quod in ipsa mea conceptione tantam humilitatē seminauerit Deus:* quæ cognitio habilia membra exposcit ad motum, vt in hoc numero probamus. Consequenter sacra virgo templi gradus robore naturali firmiter ascendit, cum duorum tantum esset annorum, & vix trium mensium: accepta enim, vt sua ea verba S. Antonini 1. p. historiæ, tit. 4. cap. 6. *Maria triennis sine cuiusquam auxilio ascendit omnes illos gradus, vt nihil perfectæ ætati,* deesse putaretur, & 4. p. summæ tit. 15. cap. 6. *Maria paruula trium annorum per se ascendit, & erecta est per quindecim illos gradus.* Illa verò, quæ refert, & sequitur Vincentius lib. 6. speculi historialis cap. 66. *Cùm esset virgo Maria trium annorum, ita maturo gressu ambulabat, & perfectissimè loquebatur, quasi iam esset triginta annorum* plures limitationes, & declarationes desiderat. Atque id in vniuersum medicè defendunt pro omnibus, & singulis infantibus, qui in Paradyso nascerentur, verba Anselmi in Elucidario: *Infans in Paradyso mox, vt nasceretur ambularet, & absolutè loqueretur;* & alia in quibus D. Augustinus, ita expressè ait futurum robur, & motum membrorum in pueris recens natis status innocentiæ, vt Suarius lib. 5. de opere sex dierum cap. 5. statuat nulla expositione ab hac sententia eximi posse Augustinum. Hanc mentem à D. Thoma, vt probabilem scriptam, & problematicè defensam in sententiariis ad Annibaldum 2. dist. 20. art. 2 & 3. vt probabilem tuentur prædicti Doctores. Plures, qui è familia seraphica S. Francisci cum D. Bonauentura & plures, qui ex illustrissima familia Prædicatorum cum Nicolao de Cusa, & plures, qui ex Societate Iesu cum Suario & Vasquio tribuunt Mariæ Deiparæ vsum rationis pendentem à phantasmate ab initio conceptionis, debent illi tribuere habilitatem ad perfectum vsum membrorum, & memoratiuæ, & imaginatiuæ, & cogitatiuæ facultatis, quæ organis corporalibus vtuntur: verba D. Thomæ sunt art. illo 3. *Si pueri mox nati vsum mem-*

membrorum habuerant patet, quòd habuerunt perfectum v-sum memoratiuæ & imaginatiuæ, & cogitatiuæ, quæ organis corporalibus vtuntur, & sic nihil fuisset, quod rationis vsum impediret: si verò vsum membrorum non habuissent ex impedimento actus prædictarum virtutum impeditus fuisset actus rationis. Idem ait Ricardus de Mediavilla in 2. dist. 20. q. 4. Marsil. in 2. q. 5. Atque idem omnino ex sacro D. Thomæ iudicio tueri debent innumeri Patres, & Scholastici ex omnibus familijs, qui cum Maldonato in 2. Lucæ dicunt Christum Iesum à primo instanti habuisse scientiam perfectam omnium rerum per accidens infusam, id est à phantasmate dependentem, & nunquam in hac scientia creuisse, aut aliquid de nouo adquisiuisse. Hæ consequentiæ sunt validæ in Philosophia, & Medicina; Christus Iesus, & Maria à primo conceptionis momento, verè, & exactè discurrebant per scientiam à phantasmate pendentem, ergo habuere perfectissima organa capitis; ergo simul per naturalem connexionem omnium organorum totius corporis perfectionem habebāt in mensura infantili: ergo in instanti, quo primùm concipiūtur summè perfectum erat vtriusque corpus. Particulæ omnes corporis, ita sibi inuicem compatiuntur, consentiuntq; vt impossibile sit vnam perfectissimam existere, si aliæ sint imbecilles. Ita sub alternatur facultatum series, vt impossibile sit Mariæ, & Iesu in primo instanti fuisse confortata phantasmata, vt sæpissimè, ex scholasticis pluribus loquitur Suarius, quin simul ex eodem priuilegio partes reliquæ simul confortatæ fuerint, & eadem præstantiam organizationis habuerint. Omnia quæ circa motum infantium dicta sunt probantur à simili; nam plura animalia prædita musculis, humoribus, & carnibus specifice, aut indiuidualiter imperfectioribus, celeriter mouentur duobus, aut tribus mensibus post ortum, ergo id denegari non debet humanis corporibus ante peccatum quorum materia in omnibus, & singulis purior, & limpidior, & maturior erat primo die natiuitatis suæ, quam reliquorum animalium bimestrium, aut trimestriū. Iuuat, quod scripsit Mendoca 1. Reg. 1 num. 22. ex Dionysio Carthus. Samuelem in ætate infantili vires administrandum diuinitus accepisse; & quod Bonifacius 9. in Bulla canonizationis sanctæ Brigittæ, ait ipsam triennem non balbutiendo completa, & formata verba in posterum edidisse cum annis tri-

tribus fuisset elinguis; & simul ostenditur facilius fuisse, supposita corporis, & temperamenti puritate, & perfectione summa Deiparæ à primordijs, vt quindecim gradus templi celeriter percurrerit, cùm necdum viginti septem menses ætatis suæ compleuisset. Hæc facilè intelliguntur ex vulgato illo principio, argumentis, & testimonijs plùribus in præmissis stabilito, quod tradidit etiam Gerson tract. 5. in Magnificat, illis verbis; *In Maria fuit status naturæ integræ primitùs institutæ:* cui subscribit Palacios in 3. dist. 3. disp. 1. allegans Fabrum, Maiorem, & alios; & addit, Sophroniũ in sua synodica stabilire originalem iustitiam Virginis: & ex alio, quod tradidit Ricardus de Mediavilla in 2. dist. 20. dicens ex mente Augustini lib. de baptismo paruulorum, esse effectum peccati originalis, pueros recens natos non habere nunc perfectum vsum membrorum. Concludo adductis verbis Alensis 2. p. q. 95. membro 3. *Absurdum videtur ponere; quòd rationalis creatura, quæ nunquam fuerit vitio incuruata, sed prædita rectitudine iustitiæ originalis, aliquandò modò bestiali contra vsum naturæ propriè ambularet, sicut faciunt modo paruuli, qui manibus, & pedibus ambulantes, se de loco ad locũ transferre. &c.* Et paulopost. *Nec istud sentire de statu illo debet difficile videri; cùm multa maiori admiratione digna ibi accidissent; vt paruulos in ætate tenerrima sine veste, vel indumento pariter, & tecto, absque omni dificultate & feliciter viuere; sine strato & stramento sedere, & cubare, & alia multa huiusmodi, quæ nos latent, & vix creduntur talia, quia horũ contraria consuetudinis sunt.* Et paulopòst. *Si autem obijcitur, quòd ab eadem imperfectione incepit statura tunc, & nunc; ergo ab eadem imperfectione incepisset virtus tunc, & nunc. Potest responderi, vel per interemptionem, quia perfectioris staturæ fuissent tunc quàm nunc, vel per dissolutionem similitudinis, quia licèt consimilis esset capacitas vterorum maternorum tunc & nunc, propter quod oporteret tunc natos & nunc; ab eadem imperfectione staturæ incipere, non tamen fuisset consimilis virtus in corporibus status illius, & istius; quia virtus naturalis fuit fortior tunc quàm nunc: sicut nec tantam recipit nunc virtutem corpus à sua regitiua, id est anima, quantam recepisset tunc.* Et paulopost. *Etsi paruuli in illo statu essent edentuli, & indigerent alimento matrum lactis, non propter hoc sequeretur,*

quòd carerent vsu pedum, vel manuum: videmus enim pullos animalium indigere huiusmodi alimento, non tamen carent vsu pedum. Vnde ista non consequenter se habent, vti lacte materno, & carere vsu membrorum. Alio modo potest dici, quòd non nati fuissent edentuli, sed muniti dentibus, sicut multi fœtus brutorum. Omnino enim absurdum videtur, quòd corpus illud, in quo omnia corpora animalium habent complectionem, deficeret ab aliqua perfectione quæ in corpore animalis reperitur, sine demerito peccati.

11. *De corporibus status innocentiæ, & Christi, & Deiparæ, qui probent, & quibus argumentis non habuisse sordes ex alimento, & potu, nec sudorem aquosum.*

Proponitur, qua via philosophicè, medicè, & theologicè defendi queant sequentes propositiones grauissimorum Patrum, Scholasticorum, & aliorum doctrina, & sanctitate præstantium.

S. Thomas in 3. Genesis, loquens de hominibus in Paradyso. *Si opponitur de meatibus, & fæcibus, dico, quòd fortè alimentum ita sumeretur, quòd totum assimilaretur; & si esset impurum aliquid, per subtiles euaporationes emitteretur: item si esset grossum, posset esse odoriferum; & dato quòd non emitterentur meatus, non essent superflui.* Iuxta hanc doctrinam Diui Thomæ exponi potest Anastasius Synaita, libro cui titulus *Viæ dux*, admittens in corpore Iesu, ex cibo, & potu superfluitates: verùm illas insensibiliter, aut sine indecentia emitteret. Confirmant doctrinam Diui Thomæ plurima quæ scribuntur ab Alberto Magno, libro 4. Metheor. tractante de digestione, & indigestione, de mollificabilibus, comminuibilibus, frangibilibus, scissibilibus, vaporatiuis, & ostendunt insensibiliter euaporari, & euanescere potuisse sine fœtore quod terreum erat, & inconuertibile cibi, & potus.

Et 1 p. q. 94. art. 3. *Oportebat superfluitates emitti: tamen fuisset diuinitùs prouisum, vt nulla ex hoc indecentia esset.*

Albertus in 2. dist. 20. artic. 5. *Quædam resolutiones attestantur superfluitati corrumpenti, vel debilitati retentiuæ virtutis, & illæ non fuissent in primis parentibus, sicut pollutio, menstruum, sudores, & huiusmodi* De cæteris excrementis sub formidine ait, quòd essent, verùm sine pudore, fœto-

fœtore, & fœditate, ijs verbis: *Quædã autẽ resolutiones sunt naturales, vt stercus, & vrina, & sputũ, & huiusmodi fuisset, vt puto, tamen sine pudore, fœtore, & fœditate, & per hoc patet solutio. quòd sic habere resolutiones non est pœna.* In summa Theologica tract. 13. quæst. 78. in fine sic ait de statu innocentiæ: digestio fuisset, & impuri egestio; sed hoc sine immunditia putrefactionis, & fœtoris resolutum fuisset, *vt dicunt sancti.*

Alexander Alensis part. 2. quæst. 94. secundùm alios, 89. memb. 1. ad quintum. Quædam superfluitas venit ex debilitate virtutis contentiuæ, & conuersiuæ; sicut rheuma, & sudor, & talis non fuit in primo homine in illo statu, & hoc propter excellentiam virtutum naturalium existentium in ipso. Quædam venit ex nutrimenti qualitate, qualis est illa, quæ est egestionis, & vrinæ, quæ fit per separationem puri ab impuro, & hoc fuisset in homine illo, si stetisset; sed non in immunditia, & corruptione, in qua est modò.

S. Bonauentura in 2. distinct. 20. & S. Thomas ibidem, negant sudorem, & rheuma in Paradyso. Addit sanctus Bonauentura, alimentum, & potum conuertenda, & resoluenda sine fœtoris corruptione, in attestationẽ virtutis, & potentiæ conuersiuæ, & puritatis nutritiuæ. Quod ibidem refert ex vasis, & intestinis, & voraminibus probari aliqua esse excernenda; ideò aliquos non vrget, quia etiam in Paradyso, iuxta Bonauenturam, essent receptacula, & pori pro sudore, nec tamen esset ibi sudor, quemadmodum ipse Bonauentura, Albertus, & D. Thomas profitentur.

Ricardus de Mediavilla in 2. dist. 20. ait, numquam hominem in statu innocentiæ habiturum semen, vsque ad tempus generationi opportunum; vnde inferunt alij, nunquam habiturum excrementa crassiora, quia illa ad nullum finem essent necessaria.

Marsilius in 2. quæst. 12. part. 3. negat superflua mali odoris ex alimento in Paradyso, ne vexaretur olfactus; quæst. 13 iterum probat, nullam fore indecentiam excrementorum, nec odorem molestantem in Paradyso; imò addit feces ad nutritionem ineptas vitalem odorem, & conuenientem tactum habituras.

Ioannes Aquilanus vulgò Scotellus dictus, in 2. distinctione 20. negat in statu innocentiæ omnem superfluitatem

humano

humano corpori, & vt admittat semen pro eodem statu, ait illud non esse superfluitatem: quod etiam de semine docuit Ouandus in 2. dist. 20. Pro cæteris excrementis instituit diuisionem; nam purgatio ventris (inquit) tripliciter contingere poterat: primò sine fœtore, vt in arboribus eliquatio fit; deinde per exhalationes, & euaporationes; tandem cibus propter puritatem suam potuisset aptus esse, vt integrè conuerteretur.

Ægidius in 2. dist. inct. 20. art. 2. ad 4. negat in Paradyso superfluitates sudorum, & fæces fœtidas, & immundas esse.

Scotus in 3. dist. 16. dubitat, an Iesus inciderit sibi vngues, aut capillos.

Abul. in 23. Deuteron. q. 4. cùm statuisset vacuationes aliquas esse de necessitate singulorum hominum in natura lapsa, subdit: *Non id dico de homine Christo, qui assumpsit naturam qualiter voluit.*

Sancta Brigitta lib. 4. cap. 40. sic ait: *Nunquam super Iesum vermis venit, non perplexitas, aut immunditia in capillis.* Et in reuelationibus extrauagantibus: *Maria sic discretè gubernauit corpus suum, vt non frangeretur aliqua superfluitate.* Et in sermone Angelico, cap. 13. *Diuina charitas corpus Virginis fortificauit.* Numerat tres radices fortitudinis corporeæ: prima, fortitudo discretæ abstinentiæ: secunda, fortitudo temperantiæ vigiliarum: tertia fortitudo fortis complexionis corporis Virginis. Libro 1. cap. 2. de Ioanne Baptista ait: *Non vltra mensuram perceptibilem suscepit vitæ necessaria, nec vnquam seminarius humor de corpore eius exiuit.*

Apud Cornelium Exod. 16. Lorinum Sap. 16. Abul. in 20. Numer. existimant aliqui toto quadragenario peregrinationis Hebræorum in desertis, non creasse excrementa crassa, nec habuisse stomachi grauedinem. Id si de solis iustissimis viris, aut cum limitatione alia personarum diceretur, fortassis esset verisimile, & probabile; sed vniuersaliter pro omnibus dici nequit, propter clausulas quæ repugnant Deuter. 23.

Hesichius orat. de Deipara, ait illam non fuisse passam ea, quæ mulieribus accidunt: vnde non leue argumentum desumitur ad negandas alias etiam fęces; cùm vtrumque pertineat ad superfluitates communes omnibus mulieribus.

Licèt

Licet, quòd Hieronymus epist. ad Pamachium scripsit Israeliticum populum annis quadraginta peregrinationis, nec vnguium, nec capillorum incrementa sensisse, nec indiguisse tonsoribus, mirabile est, fortassis inter miracula numerandum; at idem effectus absque miraculo contigisset in Paradyso propter radicales prærogatiuas, & intrinsecas corporum ex beneficio iustitiæ originariæ.

S. Anselmus in summaria vita Christi, & Nicephorus lib. 1. capit. 7. aiunt numquam Iesum barbæ, aut capillorum tonsione indiguisse, aut vsum fuisse.

S. Damascenus orat. 2. de dormitione Virginis hæc scribit: *Etiam post discessum è vita immaculatum, ac spurcitiei expers Mariæ corpus*. Illa particula *Etiam* ostendit Damascenum credidisse in vita nullam spurcitiem alijs corporibus communem, attigisse corpus Deiparæ. Idem in libro, *quomodo ad imaginem Dei facti sumus*. numerat ea, quæ Corpus Christi naturaliter habuit, dicit tamen non fuisse in illo semen, quod appellat vim gignendi; cum autem semē sit perfectissimum inter omnia excrementa à fortiori colligitur, non habuisse alia ignobiliora excrementa.

Theodorus Abucara, iuxta editionem Bibliothecæ Parif. ann. 1624. col. 434. ait. ratione primæui peccati humanam carnem fœda generare, vt pediculos, & vermes, sicut etiam terra spinis, & tribulis vitiatur. Veram e istimauit hanc doctrinam Dionys. Carthus. in 2. dist. 20. q. 1. docens nutritiuam, sensitiuam, & alias facultates imperfectiores esse nunc quàm in Paradyso.

Abulensis paradoxo 3. cap. 21. ex Alberto Magno in parua Physica, ait Corpus Christi fuisse quintæ mixtionis, quale non fuit aliud in genere humano, ex qua opinandi ratione fit certum genus impressionum elementarium, ut cœlestium potuisse accipere sine resistentia proprietatum speciei, quibus insolitos, & numquam auditos effectus immanentes, & transeuntes, posset efficere ex ijs, qui à prædictis Doctoribus numerantur.

Gerson serm. 3. de conceptione: *Si Mariæ beatitudo noscenda esset, tribuendum illi quidquid in creaturis repertū viderimus, quoniā particeps fuit in via vtriusque beatitudinis; viæ scilicet, & patriæ*. Cùm similes vires exhalandi insensibiliter crassiora excrementa dentur nonnullis animalibus,

si

si hæc est prærogatiuã, id sentiet Gerson de Maria, Philippus Faber in 3. dist. 3. disput. 10. ait denegandos Virgini effectus peccati originalis, qui sine culpa indecentiam aliquã ex eo contractam habent.

Si Philosophicè, & Medicè, & Theologice probabile fuerit, aut certum corpora Christi, & Matris instar eorum, quæ forent in Paradyso, omnibus crassioribus, & spurcis excrementis, etiam sudoris caruisse, grauissimæ difficultates, etiam contra hæreticos optimè dissoluerentur.

Primò communis sensus Patrum docentium in partu Virginis nullam fuisse immunditiam, vt docuere Nazianz. orat. 40. Nicetas in eius comentarijs, Epiphan. in compendio doctrinæ, & plerique alij: Item quod ait sancta Brigitta, lib. 4. cap. 40. *Super Christum numquam fuit vermis*, aut immunditia aliqua; constat autem huiusmodi res, quæ in capitibus, & capillis generantur procedere ex materia excrementitia, quam humana corpora expellunt.

Secundò, optimè defenderetur sententia Trullanæ Synodi denegantis aliquas secundinas partui Virginis, vnam scilicèt, quæ deseruit vrinæ, alteram, quæ continet sudorem; & sic innotesceret, quod refert Salmeron tomo 3. tract. 33. ex sancta Brigitta carnes Christi nascentis ab omni immunditia alienas, & vnam fuisse secundinam, eamque valdè nitẽtem; illam scilicet è tribus, quæ non continet excrementa, & proprior est infantibus.

Tertiò, maximè illustraretur mysterium Purificationis, & quare Maria non ea indigeret, neque ad illam obligaretur, quod non solùm in partu, sed etiam nouem gestationis mensibus, nulla spurcorum sanguinum colluuione, nulla excrementorum fœditate fuerit grauata, vt contigeret in Paradyso, de quo disputant Doctores cum Salmerone, tomo 3. tract. 41.

Quartò, constaret sententia Caietani in 22. Lucæ, Bartholomæi Medinæ 3. p. quæst. 46. art. 6. Suarij in eundem locum Angelici Doctoris, Salmeronis tom. 10. de Passione tract. 15 & aliorum Theologorum dicentium, ideò sanguineum fuisse Christi sudorem, quia aquosa ibi superfluitas nõ inesset, quæ in alijs hominibus ex debilitate virtutis contentiuæ, & conuersiuæ accidit.

Quintò, optimè concordarent testimonia Conciliorũ,

Pa-

Patrum, & Scholasticorum, num. 1. relata, quæ adstruunt corpus Iesu conditum fuisse cum ea perfectione intrinseca, quæ erat in Adam ante peccatum.

Sexto; si prædicta excrementa crassa, & sudoris, & alia similia instar status innocentiæ Christo non infuissent, benè defenderetur, quòd scripsit Mendoça 1. Reg. 2. num. 19. in expositione litteræ, sectatus Euthymium, Salmeronem, Maldonatum, & Barradas de tunica inconsutili Christi à Virgine contexta, eam scilicèt numquam ab infantia, vsque ad flagellationem Pilati à diuino corpore separatam, sed illo excrescente creuisse, vt accidit vestimentis puerorum Hebræorum in quadragenario annorum peregrinationis Pharan; simile est quod scripsit Salmerō, tomo vndecimo, tractatu 39. ex Metaph. & Nicephoro Mariam morientem binas vestes reliquisse, quibus per totam vitā suam vsa fuerat. In quo, & similis ostenditur prærogatiua de munditia corporis Virginei, alia indumēta non mutantis, nec valerent argumenta hæreticorum impugnantium hanc pietatem ex impossibilitate naturali ratione sudoris, & aliarum superfluitatum, ex quibus illa tunica sordes contraheret.

Septimò, cū Bonau. C p. Ricardus, Herueus, OKam, & innumeri alij, aut suo nomine, aut alieno in 3. dist. 3. ideò Mariam grauent, aut ab alijs grauatam referant, originaria culpa, quòd sustinuerit effectus pœnales corporeos dimanātes à constitutione intrinseca, optimè illis satisfiet probando Mariam nullū habuisse ex ijs effectibus, quales sunt excremēta menstrua, & sudores ex vitio facultatis contentiuæ, & conuersiuæ, nec rheumata, seu saliuas pituitosas, & similia.

Octauò, cū plures ex Doctoribus Græcis tertia parte harū tabularū allegati statuant Mariā diutius in sanctis sanctorum commoratā, non obstabunt contra hanc pietatem argumenta, quæ desumpta sunt ex superfluitate cibi, & potus, quæ ad deserendum illum locum obligarent. Tandem innumeræ aliæ Theologorū difficultates, quarum nōnullæ in decursu proponentur, egregiam haberent solutionem, si philosophicè iuxta principia Patrum, Conciliorum Scholasticorum, & Medicorum corpora Christi, & Matris à præmissis superfluitatibus esse possent expertia: His prælibatis.

Opinio S. Thomæ in 3. Genesis, Alberti Magni in 2. dist. 20. & tractatu 13. summæ Theologicæ, quæst. 78. & plu-

plurium sanctorum Patrum dicentium non forè in statu innocentiæ ex alimento, & potu excrementorum in mundi-tiam, sed eam esse inuentam pro pœna hæreditarij peccati, quadrat ijs legibus Philosophiæ. Prima, propter perfectionem summam potentiarum, & constantissimam facultatum inter iorum harmoniam cum speciali directione animæ, & propter temperantiam in sumendo cibo, si non totum alimentum commutari valebat in statu innocentiæ; saltem poterat coqui, & conuerti in substantiam chyli, vel ita scindi, conteri & attenuari, vt quod ineptum esset ad conuersionem resolueretur insensibiliter, aut à facultate expultrice mitteretur ad aluum, vbi propter tenuiorem, & paruam irritationem maneret, donec per calorem insensibiliter euaporaretur, vt perfectissimè calor naturalis primarium effectum calefaciendi præstabat, ita & secundarios resoluendi, & attenuandi. Qui sex integris mensibus lautè quotidie comedentes, & bibentes in nauigationibus occidentalibus; nulla emittunt crassa, & fœtida excrementa toto illo tempore, ostendunt, quid fieri posset pro longiori spatio ante primæuum peccatum, & succurunt experimenta similia non pauca. Corpora solidiora possunt tandem per transpirationem expelli, quando v.g. ex vulnere profundo in thorace solet multus sanguis extrauasatus relinqui, qui vt pote concretus, & grumosus posset per insensilem transpirationem difficulter extrahi, & tamen sic emitti certum est: Nam licèt interdū ex thorace ad vias communes exportetur, vt tamen ad illas perueniat plures sunt mediæ partes consistentes per quas non aliter, quā per insensilem transpirationem possit permeare. Atque idem est experimentum de pila plumbea, per bellica tormenta in profundas partes immissa. Hanc autem transpirationem in corporibus status innocentiæ, Christi & Matri, non debemus arbitrari naturaliter impossibilem. Secunda, nihil tam terreū in consuetis alimentis, quàm pars illa ferri, quæ à calidissimo strutionis ventre; & pars illa paruorum lapidum, quæ à columbis, & pars illa terræ, quæ à frigidissimis serpentibus, Genes. 3. Isai. 65. Micheæ. 7. conuertitur in substantiam viuentis, ergo mirum videri non debet, quod ait S. Thomas fortè omnes partes alimenti in Paradyso conuertendas in substantiam hominis. Lupi, & elephanti terra vescuntur ex Arist. 8. de historia animal. cap. 5. & 26. & Plinio, lib. 10. cap.

capit. 72. Talpam ex terra gliscere, & ali, docet summa de exemplis, & similitudinibus lib. 1. cap. 43. A simili idem suaderi potest ex relatis à Mendoza lib. 4. viridarij, Probl. 23. nam iuxta plurium Doctorum sensum animalia sunt, quæ solo aere, alia solo igne, alia sola aqua sustentantur. Imò ex Hippocrate, Galeno, Vega, Nonnio, Auicena, statuit etiam odores tenuissimos nutrire. Pulueres etiam aurei, quantumvis terrei nutriunt iuxta Medicos: quæ omnia stabiliunt hanc doctrinam. Tertia, necessitas excrementorum, vel est ex impotentia agentis, quæ in Paradyso non esset, cùm potentiæ forent validissimæ; vel ex resistentia formali passi, quæ si vinci non posset, insensibiliter expelleretur; nihil enim remaneret ex alimento, quod tenue non esset, & quod per venas mesaraicas permeare non posset ad iecur, atque ideò non esset necessarius transitus vllus ad intestina. Quarta, non est propria passio animalium actu habere excrementa, sed potentia dumtaxat illa habendi, cum animalia plura voracissima, nec excrementa habeant, nec viam, qua emittant, & de nonnullis speciebus animalium referunt Gesnerus lib. 4. de aquatilibus, Rondeletius lib. de insectis, & zoophitis, quos sectatur Vlysses Aldrobandus tractans de stellis marinis. Sequestratio excrementorum ex accidenti est, & non fit peculiari actione viuentis intendente illa; sicut nec faber intendit superflua ramenta, seu scissuras, quæ ex artificioso opere resultant. Quinta, spinther, id est, musculus deseruiens ad expulsionem excrementorum, ex cibo, & potu, præter motũ contractionis versus vnam positionem, habet alios versus alias medijs fibris, quarum ministerio non mittens ad intestina, quod superfluum est cibi, posset illud insensibiliter versus aliam positionẽ expellere in statu naturæ integræ, cùm in lapsa sæpe humores frigidos viscosos, crassos, & terreos, aut per sudorem, aut per insensilem halitum euanescere constet, præcipuè in morbis puerorum, vt ait Galenus 8. prognost. Sexta, dato quod in statu innocentiæ essent excremẽta, nõ tamẽ fœtida, aut spurca fore arbitratur nõnulli, cùm fœtor, ex Galen. 3. aphoris. com. 26. ex mala coctione oriatur, quæ in Paradyso nõ esset, nec fuit in Christo, aut Deipara. Præterea fetor iuxta Gal. 1. progn. com. vltimo, & lib. 5. de simp. med. fac. c. 40. & Vall. 4. meteor. c. 1. sẽper putrefactionẽ sequitur,

quæ

quæ in Paradyso non contingeret. Septima, fœtor prouenit ex humido non regulato cum calido, iuxta Veigā super Gal. 1. de differentijs febrium, sect. 2. fol. 524. at in statu innocentiæ nihil esset non perfectissimè regulatum: sic defenditur D. Thom. dicens, quòd etiamsi essent excrementa, possent esse odorifera. Octaua probatio fit, eaque fusiùs proponenda facto examine veritatis ab auctoritate. Diui Thomæ in 2. dist. 20. Alberti in 2. dist. 20. & tractatu 13. summæ Theologicæ q. 78. dicūt expressè, *quòd sudor in statu innocentiæ non fuisset*; idem docet Ægidius in 2. dist. 20 art. 2. ad 4. & in vniuersum ait solum esse credibile futuras consuetas purgationes in Paradyso; quamquam firmiter doceat, si illæ forent, non futuras fœtidas, & immundas. Ex qua doctrina inferunt hanc consequentiam: *Ergo neque sordes alui, aut vrinæ*. Supponunt in primis ad probationem, quid sit sudor. Eustachius Rud. tom. 1. lib. 3. cap. 38. Brauus 1. prognost. text. 26. & alij sic definiunt. *Est expulsio excrementi serosi per cutaneos meatus*. Auic. lib. 1. text. 2. cap. 6 55. dixit: *Quòd est aqueitas sanguinis, cui pus cholericum est admixtum*. Gal. 10. de simp. medic. facult. dixit: *Est humor, qui habet eamdē naturam cum vrina, & eumdem generationis modum, quippè fit ex humore biliosio, cui miscetur bilis portio, & transmittitur per cutis meatus*. Et 4. de sanitate tuenda cap. 1 circa finem dixit: *Est tertiæ coctionis excrementum ex alimento membrorum, violento motu per cutim confestim erumpens*. Arist. autem sect. problem. 4. & 3. de partibus animantium cap. 5. dixit: *Est excrementum alimenti, quod debet nutrire vltima membra*. Ex quibus deducitur, quod semper sudor est excrementum. Secundò, supponunt, quod serum humorū, seu aqueitas ista, quæ est materia sudoris, est quædam aquea substantia, quæ sicut & alia terrea reperitur in omni alimēto: nam illud necessario de primo ad vltimum reducitur ad herbas, vel fructus terræ, hæc autem ad aquam, & terram, quæ sunt (cum alijs duobus elementis, esto maneant formaliter, nec non) prima componentia sensibilia. Igitur cùm per impotentiam facultatis commutatiuæ, & per defectum iuxta positionis iustæ partium maneant aliquæ partes primorum componentium immutatæ, istæ semper redolent priorem resistentiam, & manent de composito (esto maneant accidentia, vel similia ex sigillatione materiæ resultent) eadem par-

partes aquæ, & terreæ immutatæ prorsus, vel parum. Vnde fit, quòd regularis ordo coctionis naturæ includat excrementa crassa, quæ componuntur ex terreis antecedentibus immutatis, & tenuia, quæ vrinam conflant; & ex residuo huius aqueitatis elementaris permanentis fit sudor, & mador, licèt aliquando sudor fiat partialiter ex portione bilis, vel ex potu, quoniam circa omnem materiam versabitur argumentum. Tandem supponunt, quòd mador, & sudor solùm differunt secundùm magis, & minus: nam sicut sudor fluentem copiam liquoris includit, sic mador eam solùm dicti humoris quantitatem; quæ solùm valeat cutem madefacere. Quibus suppositis probatio horum Doctorum est. In statu innocentiæ non est sudor: ergo multò minus erunt fæces crassæ, aut vrina. Probatur: aqueitas, seu materia sudoris difficilior est coctu, quam alimentum; sed nihilominus vincitur, & coquitur adeo exactè, vt nulla pars aqueitatis supersit pro sudore; ergo nec remanebit ex alimento ad fæces, & vrinam. Maior, in qua est tota difficultas, probatur: quia aqueitas illa remansit inuicta, & intacta à coctione ventriculi, & hepatis: ergo, quia est coctu difficilior propter peculiarem frigiditatem conformiorem elemento aquæ, à qua fuit desumpta. Rursus id confirmatur. Ista aqueitas adeo erat imbibita, & intimè posita in poris mẽbrorum, vt non potuerit extrahi ab ipsis, vt decideret per vrinam, aut in materiam fęcis per aluum, & tamen virtute partium in tertia coctione inquiritur, segregatur, & separatur, & in totum vincitur, vt ex ipsa non fit sudor: ergo multò melius vincetur, attenuabitur, & resoluetur pars crassa alimenti, vt nõ supersint fęces: suadetur, quia hęc pars est superficialis, rectè iuxtaposita: ergo dum non fit defectus ex parte facultatis coquentis ventriculi, tota penitus denatabitur, & abolebitur. Quòd verò non sit coquentis defectus, probat status originarię iustitiæ fœlicitas, in quo summam perfectionem adeptę erant facultates. Iterũ confirmatur: in p[illegible] statu non fuit sudor; ergo nec fuit mador: patet, quia ille est sudor diminutus. Tũnc sic in membrorũ coctione potentia est finita, vt neq; reliquiã breuissimã aqueitatis permitteret non resolutam; ergo minus permitteretur inuicta pars crassa alimenti pro fęcibus alui. Quod confirmat temperãtia in voluntate, & appetitu ad cibum exactissimã,

quan-

quantitate,qualitate,horaque sumendum; confirmat rursus ipsius alimenti in illo statu bonitas;perfectio,coctio ad quātissima partium,& consequenter excrementorum carentia. Tertiò,fulcitur, quia ventriculus est pars destinata per se ordine executionis, priùs ad commutationem alimenti in chylum: per se secundò ad excrementosas partes alimenti perficiendas.(quod constat,quia si quis assumat cibum excrementitium,ventriculus elaborat excrementitiam illius alimenti naturam, quousque fugat aliquid vtilitatis ad viuentis alimoniam) Membra autem per se destinantur solùm ad commutationem alimenti in substantiam propriam; per accidens verò omnino ad resoluendam aqueitatem. Sed licèt per accidens tendant,de facto resoluunt aqueitatem alienā à natura,& indebitè approximatam, vt nihil eius maneat: ergo melius prædicta omnino resolutio fiet à ventriculo per se operante circa resolutionem partis excrementitiæ alimēti,quæ etiam est iustè approximata,& superficialiter posita. Sic commodè intelligendi Medina, Caietanus, Suarius allegati in hac parte pro alia thesi,dum aiunt sanguinem sudasse Christum Dominum in horto Gethsemani,quia in eius præstantissimo corpore, quod potioribus prærogatiuis conditū est,quā corpora in iustitia originali,deficeret materia sudoris,quibus adhæret Salmeron tom.10.tract.15.

Nona probatio est, quia ad amouendum incommoda pro statu innocentiæ,etiamsi crassa excrementa concederētur,poterant bonum odorem spirare,vt ait Marsil.in 2.q.13 docens propter puritatem superflui,nullam fuisse indecentiam excrementorum,nec odorem molestantem; imò quòd fæces ad nutritionem ineptæ vitalem odorem,& conuenientem tactui haberent. Quod suadent,quia pus in inflammata particula semper grauiter,& fœtidè olet;sed muscus est pus in inflāmata particula cuiusdā animalis factū, & est suauiter olori ferū;ergo crassa excremēta hominū existentiū in Paradyso suauē odorem possent exhalare. Deinde probāt,quia in eodē viuenti,cui grauiter olent crassa excremēta,eadē transeūt in optimū odorē tēporis begnitate,vt patet in excremētis bouis in æstate;ergo idē sine hoc trāsitu possent habere in colę Paradysi. Demū,quia essētia fœtoris nihil aliud est,quā separatio humidi,& calidi,quæ regulari non possit per naturam,vt docet Thomas à Veiga super Galenum lib.1. de

dif-

differentijs febrium, sect. 2. Sicut è contrario flores bene olent, quia humidum integrè possessum est à calido; ideò in corporibus perfectissimis, & temperatissimis in summo hic defectus reperiri non potuit; quia exactissimè calor, & humiditas regulabantur: prætereà fœtor semper putrefactionem consequitur, vt accidens proprium; in illis autem corporibus perfectissimis nulla esset putrefactio excrementorum, cùm nec ventilatio prohiberetur, nec obstructio contingeret, nec prædictarum substantiarum detentio. Quòd autem fœtor putrefactionem consequatur, docet Valles lib. 4. meth. cap. 1. & Galenus 1. prognost. comm. vltimo, & lib. 5. de simpl. medicam. facult. cap. 14. Hæc omnia faciliùs defendent pro Maria, qui admiserint reuelationem sanctæ Getrudis dicentis, beneficio Angelorum illam habuisse aerem circunstantem saluberrimum. His admissis, non erit incredibile quod docent Dionysius Carthusianus lib. de laud. Virginis, Carthagena lib. 2. hom. 5. & Iesuitæ quidam illis adhærentes, cum Barradas, Mariam odorifero corpore præditam fuisse, præ excellentia complexionis. Hanc dispositionem contingere potuisse in perfectissimis corporibus, etiamsi alimenta essent valde terrea, suaderi posset ex floribus basilicis fragantissimis, etiamsi ex sola terra, & stercore nutriantur.

Decima probatio sumitur ex 2. Genes. vbi miranda de vitæ arbore referuntur; pro botris enim florebat annis, & pro fructibus vitam longæuam, & quasi immortalem germinabat, quæ tamen cum fæcum alui, & vrinæ necess tate constare non poterant: nam ægritudinum colluuies inuadens mortales, ex prædictorum excrementorum vel retentione, vel excessu consurgit, adeò etiam in æquilibrio, quoad dictas excretiones persistête natura morborum, vel occursus, vel imminentia affligunt, teste Galeno lib. de sym ptch. differ. vbi ait, quod in excrementorum separatione sunt symptomata, vel saltem naturæ dispositiones, & ex ijs inuaditur natura humana per vapores crassos; quæ omnia renuunt vitæ téperantia, quæ esset in Paradyso, robur facultatum, alimêti perfectio, & tandem omnium rerum mensura. Quibus intelligendis valde deseruit consideratio facultatum interiorum illius status, & harmonia tum ministrantium, tum ministratarum, quæ attraherent, retinerent, & coquerent eo gradu;

q qui

qui requiritur, vt expulsus vacaret ab excretione per aluum, & vrinam; quoniam ductus isti ampli satis, & conspicui, crassis residuis alimenti partibus inseruiunt: hæ verò adeò essent tenues, incisæ, & paratæ ad motum, vt per insensibilem per poros transpirationem potuerint euanescere. De vrina etiam idem dicendum occurrit, quatenùs ad serosam partem, quæ mediatè præbet alimẽtum, & immediatè humori: at quatenus ad potum, istius residuum adeò esset exiguum, propter vitæ temperantiam, vt non superesset ad copiã per vesicã ordinarie modo effundendã, sed insensibiliter exhalaretur. Quod verò restat de bilis portione vrinæ commixta, eãdem sortitur rationem vt euanescat, quàm humorum serum. Quæ faciliùs intelliguntur, quia superfluitates crassiores, & earum emissio infantibus in vtero existentibus denegatur, quia natura dictat soboli quantitatem sumendam, quam integrè conuertat in substantiam propriam: si quid autem conuerti nequit, id per sudorem, aut transpirationem, aut euaporationem emittitur: atque id singulariter verum est, pro cibis homogeneis, qualis est panis, in quibus nulla poterit assignari pars, quæ non possit conuerti in partes viuentis.

Vndecima probatio est, quia excrementa generantur in ventriculo, & hepate, vbi elaboratur chylus, & sanguis. Hæ substantiæ perficiuntur à calore naturali, non vt elementaris est, vel cœlestis: sed per occultam virtutem ab anima participatam, vt communiter docent Philosophi, & Medici: itaque calor hic cum particulari determinatione & directione animæ in stomacho generat chylum, in hepate sanguinem, in mammillis lac, in vasis seminarijs semen, in ossibus medullam, & ita idem omnino calor cum virtute directum animæ ipsum determinante hæc operatur, vt expendit Ponce de Sancta Cruce, opusc. 6. de humoribus, cap. 2. Potuit igitur esse talis virtus directiua animæ in Paradyso, vt quod residuum erat alimẽti & potus, aut insensibiliter exhalaret, aut non infœtentem materiam conuerteret. Tandem cum pluribus scholasticis docet Ricardus de Mediavilla in 2. distinct. 20. nunquam in statu innocentiæ futuram esse materiam seminis, vsque ad tempus generationi opportunum: ergo ex ipsorum mente similiter non essent excrementa crassiora, cùm nullum sit tempus aptum, quo expediret in eo felici

lici

lici statu homines grauari.

Ex quibus omnibus probant prædicti Auctores corpus Christi, quod ex Conciliorum, Patrum, & Scholasticorum consensu perfectius, aut saltem æquè perfectum fuit, atque Adami corpus ante lapsum, similem prærogatiuam habere potuisse: & cùm de corpore sanctissimæ Virginis altiùs, & sublimiùs philosophentur Patres, & Theologi, quàm de corpore Euæ ante peccatum, par erit opinandi ratio: præsertim quia eucratica temperaméta habuere supremum gradum in corporibus Mariæ, & Iesu, & fortassis temperamentũ illustrius, quàm eucraticum, quod Deus nouit, & fuit in arbore vitæ ad inusitatos effectus.

Vt verò luculentiùs stabiliant, quæ hactenùs dicta sunt pro statu innocentiæ, probant nonnulli Doctores, in natura lapsa posse dari homines, quorum residuum alimenti, & potus ita attenuetur, & disponatur, vt per insensilem transpirationem secedat omni excrementorum alui, & vrinæ portione deficiente. Suadent primò, quia in quæstione de possibili euertenda, debet apponi euidentissima ratio; at nulla est, quæ conuincat esse de necessitate cuiuslibet indiuidui humani, præmissis excrementis grauari, vt patet ex nonnullis argumentis positis circa statum innocentiæ, & ex nonnullis inferiùs producendis: ergo naturaliter tale indiuiduum possibile est. Secundò, quia excrementorum necessitas nascitur vel ex impotentia agentis, vel ex resistentia formali passi; quia neque illud valet commutare, neque istud sinit commutari: sed non repugnat naturaliter esse agens validissimum, ex peculiari alicuius indiuidui perfectione, vt commutet, & assumi alimentum in debita quãtitate, qualitate, modo substantiæ, & omnibus requisitis, tum applicationis, tum reliquorum: ergo totum commutabitur, aut si quid non immutetur, propter ineptitudinem ipsius alimenti ad nutritionẽ, ita attenuabitur, vt resoluatur insensibiliter. Confirmatur, nam maior resistentia est in ferro, quàm in alimento, & illud digerit strutiocamelus, & cõcoquit, & in minutissimas partes secat, vel calore ventriculi, vel occulta qualitate, vel proprietate, quam alteri viuenti possibilem esse debet concedi: item maior est resistentia terræ, & illam digerunt serpentes frigidissimi. Consonat Galenus cap.85. artis M dicæ: nam dum optimam naturam depingit, hæc habet; *In cibis autem coctionis*

coctionis perfectio, & excrementorum modus in quali, quantoque conueniens; æqualis verò in ijs quodammodo est coctioni appetitus, quare neque præside egent, qui singulorum quæ assumuntur quantitatem metiatur, optima siquidem natura quantùm appetit, tantum, & probè concoquit; sic & somno modum ipsa natura præfinit ijs, qui optimam corporis constitutionem sunt sortiti, & tunc à somno excitantur, cùm corpus ampliori quiete non eget, cumque talem victus rationem adhibuerunt, nullum est in eorum excrementis delictum, quæ vel per ventrem, vel per vrinæ meatus, vel per totum corpus egeruntur. Galenus hic supponit excrementa, verum ea negaret, si perfectionem maximam, & discretionem alimentorum in quantitate, qualitate, hora, & modo, & qualitates occultas, proprietatesque indiuiduales efficacissimas concederet. Petrus Garcia Carrera. Fen. 1. lib. 1. D. D. 3. capit. 3. Auicennæ ait non esse necessarium ex alimento quolibet generari excrementa. Arist. sect. 11. problem. q. 58. in illis verba: *Ex cibo omni proficiscitur excrementum ex copiosiore copiosius* problematicè, & dubiè loquitur: præterea supponere videtur cibum si in mensura proportionata, & horis constitutis assumatur, paucissima dare excrementa, pro quibus sufficiet insensilis exhalatio. Ij qui cum Valesio 1. controu. cap. 6. præter temperamentum qualitatuum dãt aliud substantiale, seu substantificum independenter à qualitatibus operans facilè meditabuntur aliquod in præstantissimis indiuiduis, quod ratione indiuidualis differentiæ sublimissimæ insensibiliter se liberet excrementis. Secundò probant, quia hæc excrementa crassiora non debentur homini, prout est compositum metaphysicum, sed prout est compositum physicum ex materia, & forma; ergo vel debentur, prout est homo reduplicatiuè per animam rationalem, & hoc manifestè falsum est, cum hæc in actu primo solùm habeat viuificare rationaliter, & in actu secundo operari per intellectũ, & voluntatem; vel debentur, prout est sensitiua anima rationalis virtualiter, & hoc etiam est falsum, quia prout sic tantùm est productiua sensuum internorum, & externorum, appetitus sensitiui, & potentiæ loco motiuæ; vel debẽtur prout est anima rationalis principium corporis mixti; & hoc etiã falsum est, quia vt sic tantum quatuor qualitatum est principium; vel debentur animæ rationali, prout est vegetatiua

includens potentiam coquentem, in cuiusmunere superfunt alimenti dissimilia, & hoc etiam est falsum; tum quia excrementorum generatio est per accidens ad separationem vtilis, ergo non sunt debita; tum quia supponitur falsum cum principio vegetatiuo, adhuc per accidens non debeatur talis excrementorum resultantia; cùm in pluribus arboribus, plātis, & herbis non inueniatur. Tertiò probãr, quia excrementorum necessitas non conuenit soli homini, vt bruta ostendunt, non semper, vt manifestat experientia, præsertim nouem mensium ante ortum in homine, & biennij in elephantis, quo tempore crassiores superfluitates non emittuntur: non omni, vt euincit Garcia Carrera disp. 19. de essentia, & numero humorum, loquens de homine, qui tempore indigētiæ nutritur ex pituita, quam conuertit in sanguinem, in qua commutatione nullum superesse excrementum confirmat. Obiecit contra dicta Medicus quidam Hispalensis, ex præmissa doctrina consequi pro illis, quibus in statu innocentiæ, aut post lapsum Adami fuerit applicata, frustranea, otiosa, & sine fine condita fuisse intestina, vesicam, lienem, fellis vesicam, venas, & arterias emulgentes, vreteras, & alia instrumenta excrementorum, reclamante illo vniuersali axiomate: *Deus, & natura nihil faciunt frustra.* Eam propositionem opposuerat Alexander 2. part. qu. 95. secundùm alias editiones, 89. & S. Bonau. in 2. dist. 20. art. 1. q. 2. Hanc obiectionem prædicti Doctores repellunt: primò, quia etsi vnus ren, & vnicus oculus sufficeret, geminum natura donauit, vt commodior fabrica pararetur; pilos, & alia huius generis, quæ necessaria non sunt, quoniā ad ornatum spectant, natura distribuit. Prædictæ igitur partes intestinorum, & receptaculorum, tam ad ornatum, quàm ad integritatem naturæ pertinentes, pro illis indiuiduis, etiamsi communia, & solennia officia non exercerent: nam sicut lien, verbi gratia, non dicetur superfluus tempore exiguo, quo non superfluit melancholicum excrementum, eò solùm quia ipse est positus, vt illud expurget, quando superfluit: sic neque dicetur superfluus, etsi numquam expurget, si excrementa ita disponantur, vt commodiori, excellentiorique modo insensibiliter transponantur. Secundò, quia non omnium partium, adhuc organicarum, est compositio simpliciter necessaria, cùm in opinione Aristotelis, & D. Thomæ, fœminæ

eadem habeant instrumenta elaborandi, & formandi seminis, atque viri, & tamen non esse frustra facta dicit Auerroes 2 collect. cap. 10. & in paraphrasi lib. 2. generat. animal. cap. 10. quia licet ea instrumenta fœminarum non sint ad semen faciendum, nihilominus frustranea non sunt, nam sufficit esse notas similium partium, quæ sunt in viris; sicut mammillæ, quæ sunt in viris non procreant lac, sed sunt notæ mammillarum, quæ reperiuntur in fœminis. Hæc solutio est Alexandri Alensis sup. à in simili, vbi docens fœminas Paradysi, non lactaturas infantes, addit: *Nec propter hoc frustra essent vbera data mulieri, sicut nec sunt frustra data viro, sed data essent illis ad decorem, & integritatem corporis humani; & hæc ratio videtur mihi magis appropinquare veritati, & magis consona esse nobilitati illius status.* Idem omnino dicunt prędicti Auctores de intestinis, liene, & vesica, quamuis officia consueta non exercerent; nam primò essent de integritate naturæ; deinde essent notæ eorum, quæ in cæteris indiuiduis reperiuntur; tertio, vt si quando aliquid superflueret, suo munere fungerentur. Sic de Ioanne ait sancta Brigitta lib. 1. cap. 2. numquam de corpore eius seminarium humorem exiuisse, licet habuerit vasa præparantia, & deferentia, & cætera necessaria pro semine. Sic in Paradyso essent venæ, & arteriæ emulgentes, & renes, & vreteræ, veluti instrumenta ad expellenda excrementa si forent.

Vltima probatio singulariter suadet de vrina, nam cū adeò esse posit elaborata pars potabilis, aut humida alimentorum præsertim à facultate sanguifica hepatis Christi, & Matris per virtutem communicatam ab anima, continget, vt fere totus conuertatur sanguis, relictis solùm pro excrementis secundæ elaborationis hepatis, solùm partibus serosis, & humidis, quæ deseruiant, vt vehiculum ad distribuendum sanguinem per venas, vt accidit alijs corporibus humanis iuxta Auicennam, Fen. 11. doctrina 4. de humoribus, & cū eo Hugo Senensis, & tota Medicorum Schola. Hæc, quidem vrgentius probāt in opinione pluriū, quā sectatur Mercatus tom. 1. lib. 2. q. 164. art. 2. & tom. 2. cap. 2. agens de potu, vbi ait aquam nutrire substantificè conuersam in propriam substantiam, quod fieri nequit, si non prius in sanguinem conuertatur; atque id de aqua elementari intelligēdum; nam de aqua elementata, quam incolæ Paradysi biberent, & qua Christus

vte-

rebatur, certius est in sanguinem fuisse conuertibile; & propterea necessariũ non fuisse, vt pars crassa, & humida in hepate separaretur pro vrina, sed quod attenuaretur, atque distribueretur cum massa sanguinaria, vt eius vehiculum, & finito hoc ministerio præ tenuitate insensibiliter resolueretur. Neque verò semper esse necessarium, vt in hepate hæc pars serosa pro vrina secernatur, probant Peramatus lib. de humoribus capit. 35. Alexander Aphrodisæus lib. 4. problem. 111. Vincen. Beluac. lib. 22. speculi naturalis cap. 1. exẽplo auiũ, quæ bibunt, & vrinam non emittunt; quod etiam expendit Petrus Hispanus libro vrinarum super Isaac Israelitam filium adoptiuum Salomonis Regis Arabiæ, fol. 158. docens aquositatem potus in auibus cedere in plumas, iuxta doctrinam Aristotelis, vel consumi à calore essentiali, vel elementari existenti in ipsis.

Hæc sane quæstio philosophica est similis illi, quam tractant Theologi 3. p. q. 41. an ieiunium Christi, per quadraginta dies in deserto, sine vllo cibo, aut potu, peractum fuerit virtute naturali, aut miraculosa: pendet enim illa controuersia ex principio philosophico: An substantia animæ concurrat immediate ad omnes operationes virtutis vegetatiuæ. Nam si hoc modo concurrit naturaliter videtur consequi, vt quando anima tenetur tota extasi, non possit simul concurrere ad opera vegetatiua, & consequenter possit fieri, vt sine cibo, & potu, potuerit per quadraginta dies aliquod indiuiduum humanum conseruari: ideò in illa controuersia ex vtraque parte sunt opiniones, quas refert Suar. to. 2. in 3. p. disp. 29. sect. 2. Sic etiam præsens quæstio pẽdet ex alio principio philosophico, an natura humana retenta tota integritate naturæ, & omnibus suis potentijs, possit tamẽ adeo perfici intra suos terminos, vt accedente regula exactissima, & perfectissima cognitione, non indigeat expulsione excremẽti crassioris, sed possit sufficienter expellere omnia superflua per transpirationem, & euaporationem: in qua etiam controuersia partem asserentem plures Medici, & Philosophi, & Theologi comprobarunt, & quidem nihil ex hoc ponunt violentum, aut contra naturam; sed dicunt, quod sicut stante veritate, & integritate naturæ humanæ Christus, & Deipara absque vllo miraculo, sine morbo vitam totam peregerunt, ex communi sententia Chrysostomi à Caietano

ietano allegati, & laudati opusculo de Spasimo Virginis, quã tenet Siliceus super Magnificat, quos reliqui homines patiuntur, & quos ipsimet, absque vllo miraculo subire potuissent, atque illud priuilegium habuerunt ratione temperamẽti perfectissimi, & prudentiæ, ac temperantiæ, qua se gubernabant, sic etiam absque miraculo potuerunt vitam, sine excrementis crassioribus transigere ratione perfectissimæ virtutis nutritiuæ, & sapientiæ, ac temperantiæ, qua victum sumebãt, licet potuerint etiam absque miraculo, hæc excremẽta habere, & licèt cæteri homines illis de facto non careant; per quod nihil aufertur de perfectione, & integritate naturæ humanæ, vt notum est.

Obijcitur illud Matthæi 15. *Omne quod in os intrat in ventrem vadit, & in secessum emittitur.* Vbi vniuersalis locutio videtur omnes comprehendere, ita vt nullus ab excremẽtis emittendis sit immunis. Respõdetur ex hoc loco teste Hieronymo Iulianũ Apostatã Porphyriũ, & alios coarguisse Christũ, tãquam Philosophiæ ignarũ, quod certũ sit magnam cibi partẽ in corpore remanere ad nutriendas eius partes, ac proinde non omnes in secessum emitti. Salmerõ tom. 8. tract. 29. & alij docẽt Christũ ibi non ex simpliciter veris argumentatũ fuisse, sed donando ea quæ rudibus auditoribus vera videbãtur. Facilius tamẽ, & verius est responsũ; propositionẽ Christi, non debuisse intelligi vniuersaliter, sicut illam intelligebãt Iulianus, & Porphyrius; sed solũ circa subiectã materiã scilicet de ijs, quæ intrãt per os, & de quibus timeri poterat, quod coinquinarẽt hominẽ. De his solis Christus agebat, & propter hæc adeo solliciti erant Pharisei, de lauãdis manibus ante prandiũ. De ijs ergo vniuersaliter verum est, quod quæ huiusmodi sunt in secessũ vadũt, & nõ remanẽt ad coinquinãdũ hominẽ. Hinc autem nõ fit debuisse in Christo etiã verificari; in ipso enim propter rationes, & fundamenta præmissa parũ erat, quod expulsione indigeret, atq; ideo modo subtiliori poterat per alias vias expelli. Confirmatur ex verbis sequentibus. *Quod exit per os coinquinat hominẽ*, quæ etiam non possunt vniuersaliter intelligi cum constet multa bona consilia exire per os, sed debent intelligi iuxta subiectam materiam.

Hæc omnia fusius proponuntur à nonnullis Doctoribus, quod ex illis pendeant innumera; vt de absentia, aut defectu

le-

secundinarum, menstruorum, & de munditie vestiú Christi, & alijs, & vt non sit necessarium in singulis omnia replicare.

12. *De munditie Virginis tempore gestationis, & partus, & de vestibus impollutis.*

Quæ hactenus relata, dictaque sunt, persuadere videtur Medice, & Philosophice doctrinā Patrū, & Doctorū statuentium Mariā, nec tēpore gestationis, nec in partu habuisse cō suetas sordes S. Epiph. in cōpendio. *Natus est absque pudefactione impollute absque inquinamentis.* Nazian. orat. 40. *Dei filius sine vlla spurcitie ex Virgine progressus est, nihil enim spuriū vbi Deus est* eadē expucatos proponit Nicetas in cōmentarijs. Similiter S. Ildefonsus serm. 1. de Purificatione Hesichius orat. de Deipara. *Non est passa ea quæ mulieribus accidunt.* Thaumaturgus de Virgine. *Quanis auro quātūuis probato purificatū magis habes corpus.* Sunt innumera huius generis testimonia Augustini, lib. de quinque hæresib., Zeno serm. 3. de Natiu. & aliorū. Ex quibus, & alijs superius propositis numero præcedēti fit, non admitti ab illis Doctoribus sentētiā Caietani Leu. & 3. p. q. 35. art. 6. & quorūdā aliorū, sic de Christo loquentiū, vt in ventre Matris pluribus immūditijs pleno stagnauerit, & postea in ipso partus tēpore sordes illæ Angelorum, aut Iosephi ministerio ex stabulo foras fuerint proiectæ. Quē sensū impugnat Salmerō, tom. 3. de infantia Saluatoris, tract. 33. tribuēs Caietano scripsisse Christum infantē lotū ab Angelis, absq; aqua ne manus Virginis inficerentur. Suar. tom 2. de vita Christi, disp. 13. sect. 2. plura in huius thesis confirmatione attulit, quæ communia sunt apud Auctores, Canisius lib. 2. c. 9 postquam omnes sordes parienti Virgini denegauit, subdit est piorum, qui succedūt veteribus constans, & laudabilis consuetudo, eam doctrinæ partē libentius cōplecti, quæ Christo Domino, & præcellēti eius Matri maiorē adhibet gloriā. Tot numerus præcedēs probationes plurimas cōfert ad persuadēdā doctrinā huius numeri.

Ex hoc numero, & præcedenti, & ex proxime sequenti fit valde esse conforme pietati asserere vestes Christi, & Mariæ, non contraxisse i corporibus vestrorumq; aliquam immunditiā. Quod si ex reuelatione sanctæ Brigittæ suprā relata nulla fuit perplexitas, aut immunditia in capillis Christi, idē credibile est de reliquo corpore; non enim maior ratio est de capite, quām de alijs membris, si autem corpora nullam immūditiā haberēt, nō poterāt vestes ab eorū cōtactu sordidari.

Pro ijs, & alijs expedit attendere ad doctrinam illam Toleti, in 4 Lucæ, annotat. 6. dicentis ex Damasceno, Christi passiones & naturales fuisse, & supra naturam, siue famem, siue sitim, siue metum sustineret; atque idem ex parte applicandum est passionibus Deiparæ: & ad aliam, quam Salazar tomo de Conceptione, ex Gersone, Henrico de Hasia, Dionysio Carthus. attulit, scilicet Deum abundantissimè ornasse, & ditasse Mariam omnibus bonis naturæ.

13. *In statu innocentiæ an fuerint menstrua.*

Quanquam numerus vndecimus innumeras conferat huius thesis probationes, subijciemus alias, quę magis propriæ sint, & expressæ. Albertus in 2. dist. 20. ait, in statu innocentię menstrua mulierum non esse futura. Rupertus 3. de Trinit. c. 22. *Mulier* (ait) *vnum est solum, & menstruū animal; quanta putas hæc ira, atque vindicta*: quibus alij innumeri accedunt, opinantes menstruos sanguines pœnam esse originarij peccati, atque adeò exprimunt Doctores nonnulli eos Mariæ denegandos. Toletus in 2. Lucæ, annot. 35. Canisius lib. 2. cap. 11. & fauet Bartholom. Medina 3. par. qu. 35. illis verbis: *Obseruet Theologus, Dominicam carnem non ex mēstruo sanguine Mariæ conceptam fuisse.* Probant primò ex Epiphanio lib. 3. hæresi 78. appellante mēstruum sanguinem iniuriam naturæ, & ex Aristotele illum morbosum nominante, vt expendit Palacios in 3. dist. 4. & ex alijs eundem venenosum appellantibus: at quidquid iniuriosum, morbosum, & venenosum est, id Mariæ non est attribuendum. Secundò probant ex D. Thoma, 3. p. q. 37. art. 4. & communissima Doctorum sententia, statuente ideò Mariam purificationis debito non fuisse adstrictam, quia menstruo fluxu careret. Tertiò, quia similis superfluitas est pœna originarij peccati, vt ait suprà Rupertus, & Vincentius lib. 22. speculi naturalis, cap. 53. docens fluxum sanguinis nonnisi in fœminis manifestari in alijs animalibus. Et licèt verum esset, equas, & vaccas menstruis grauari (quod tamen nonnulli negant apud Aldobrandum, in libro de equo) nihilominus in fœminis humanis similis superfluitas esset in vindictam peccati. Docet verò communissima sententia cum Antonino 4. p. summæ, tit. 14. cap. 20. nullatenus mansisse in Maria aliquid pœnæ originariæ; & tit. 15. cap. 10. & 15. ait, Mariam non ex menstruo concepisse: & Ioannes Bacco in tertio distinctione 4. articulo 41. di-

cit

cit non fuisse humidum superfluum in menstruo Virginis. Ergo ipsi menstruus sanguis est denegandus. Quartò probant, quia potest dari casus in natura lapsa ex Hippoc.2. epidem. p.2.sent.16. Forliuiensi prima primi, & Gainero tract. de ægritudinibus matricis, Toleto suprà, & alijs, vbi generatio fiat, sine menstruo sanguine, & partus sine fluxu sordiũ, quod plures Medici exemplis illustrant, & Theologi non pauci cum Iansenio in armonia Euangelica cap.10. ex Aristotele mutuantur, idem igitur de Maria ob præstantissimam naturam dicendum erit.

14. *An vesica fellis in statu innocentiæ, & quid in hac parte de corporibus Christi, & Matris dicant alij.*

Neque fel, neque vesicam fellis esse de integritate naturæ humanæ, docent plures; in quibus Vincentius lib.21. speculi naturalis cap.31. dicens: *Hominum paucis non est fel, quorum valetudo firmior, & vita longinquior.* Anaxagoras ab ipso relatus cap.32. ait *Priuatio fellis putatur causa longæ vitæ.* Idem Vincentius lib.28. cap.74. addit. *Nonnulli homines, vt dicit Plinius, felle carent.* Locus Plinij reperietur lib.11. cap.37. & quod caput est, Aristoteles lib.4. de partibus animalium cap.2. ait fel esse excrementum, vt sedimen alui, & intestinorum; subdit ibidem plura animalia felle carere omnino, & inter homines plures habere, aliquos tamen omnino non habere; quam doctrinam Philosophi, Nicolaus, Nancellius in analogia Microcosmi lib.6. cap.5. sic exponit, vt ideo felle carere dicantur, quia nullum habeant fellis folliculum. Idem docent Cornelius Gemma lib. Cosmet cap.6. Holerius, Andreas Laurentius, propter experientias de hominibus perfectissimis, qui fellis vesiculam non habuere; idcirco, nonnulli dubitarunt an in statu innocentiæ fel, eiusque vesica hominibus adesset, atque idem dubium propagarunt ad corpora Christi, & Matris: Nam cum defectus huius receptaculi proueniat ex meliori temperamento, & valetudine, ambigunt an sit maior excellentia indiuidualis prædictorum corporum, fellis folliculum non habere. Nos eam sententiam tuebimur, quæ magis adaptetur verbis D. Thom. 3.p.q.54. art.2. & sancti Augustini ab eo allegati, dum tractant de Christi felle. Grauiores Doctores verius arbitrantur

tur hæc receptacula, & quæcumque alia nunc sunt in humano corpore, fore in statu innocentiæ, siue quia de integritate compositi, siue quia de illius ornatu essent, quanquam vacua, & libera à superfluitatibus, quemadmodum S. Augustinus, & D. Thomas suprà videntur opinari. Certè cùm fellis materia ad vesicam fluens sit pessima bilis, in corporibus, quæ nihil habuere pessimum, aut malum, in illius folliculo non est admittenda.

15. *An lien in statu innocentiæ.*

De liene similiter iudicant Doctores nonnulli, ex Arist. 3. de partibus animalium cap. 7. vbi sic ait: *Lien per accidēs necessarius est, quomodo excrementa tum alui, tum vesicæ, ex quo fit, vt nonnullis deficiat magnitudine.* Albertus Magnus, quē in hac parte laudat, & approbat Vincent. lib. 21. speculi naturalis, cap 30. sic ait: *Lien, seu splen est in corporibus animalium accidentaliter, & non necessarium.* Hunc sensum comprobant Medici, & Philosophi plures, de quibus legendus est Nicolaus Nancellius in analogia Microcosmi, lib. 6. cap. 6. quibus videtur, lienis magnitudinem vitiosi corporis esse argumentum; idcircò viuentia nonnulla aut perexiguū, aut nullum habent lienem, vt docuit Arist. suprà; & lib. 2. de historia animal. cap. 15. Homines verò nonnullos esse omni penitus liene destitutos testatur Ioannes Schenchius lib. 3. obseruat. Medic. titulo de liene, obseruat. 2. Non enim lien est nisi coaceruatio certi generis excrementorum, à quo corpus humanum floridum, & vegetum cum summa perfectione, vt alijs etiam materijs excrementitijs, liberum esse potest. Vincentius vbi suprà, ex Philosophis addit: *Splen est rarum, vt recipiat superfluitates melancholicas.* Plura remedia ad totum lienem expellendum numerat Plinius varijs in locis; & cursores solent lienem vel in totum, vel in partem adimere. Eum integrè abscindi frequenter in regionibus Turcarum, ait Falopius lib. de vulneribus, cap. 12. Hæc quidem, & similia quædam fundamenta addubitare fecerūt nonnullos, an maior esset perfectio corporum productorum cum excellentia status innocentiæ, carero liene, seu splene. Alij verosimilius credunt, illis infuisse hoc receptaculum, sicut & alia, verùm sine malignis cruditatibus, & viscositatibus.

16. *An*

16. *An saliua pituitosa in statu innocentiæ.*

Doctores pauci non negant saliuam pituitosam, & superfluam, quæ ex cruditate ventris, aut cerebri grauatione dimanat fore in corporibus Paradysi: probant primo, quia ex ea generantur morbi, & quæ solent appellari mucus, & distillatio; in Paradyso autem nullus esset morbus, nec apparatus ad illum. Quod idem extendunt ad corpora Christi, & Matris, vtpotè cum perfectione integritatis naturæ fabricata: in quibus esset quidem pituita vnus de quatuor humoribus, non tamen saliua pituitosa, idest superflua: Bartholomeus Medina 3. p. q. 14. temerarium ait esse Christo rheumaticam saliuam concedere: non ideo nobiles humiditates è cerebro descendentes Mariæ, & Christi corporibus denegantur, quales in Paradyso contingerent; & hæ sufficiebant ad nobilem saliuam generandam, quæ nec rheumatica, nec pituitosa videretur.

17. *De incremento capillorum, barbæ, & vnguium in statu innocentiæ.*

Ex singulari prouidentia Domini factum est, quod ait S. Hieronymus ep. ad Pammachium, ijs verbis. *Israeliticus populus per quadraginta annos, nec vnguium, nec capillorum incrementa sensit*; quem euentum in Paradyso miraculosum non fore, aut in ijs quorum corpora Deus creare voluisset cum effectibus radicalibus intrinsecis iustitiæ originariæ, dicunt nonnulli Doctores. S. Anselmus nunquam Iesum barbæ, aut capillorum tonsione indiguisse scribit. Scotus in 3. dist. 16. dubitat an Iesus inciderit sibi vngues, aut capillos, quamuis capilli, & vngues, vt ait S. Thomas in 4. dist. 44. q. 1. art. 2. quæst. 3. sint ad conseruationem aliarum partium, & de perfectione hominis. Id non intelligunt prædicti Doctores de superfluitate, aut nimio augmento; idcirco ex eorum mente, etiamsi in statu innocentiæ adessent capilli, & vngues, vbi attingebant certam mensuram, quæ conseruaret, & perficeret, non augebantur nec erat tonsio, aut sectio necessaria. Probant ratione intentum, quia ex D. Th. supra capi li, & vngues perficiuntur ab anima, vt est vegetatiua tantum, sed plures animæ dumtaxat vegetatiuæ, vt

Lauri, Pini, Cupressi, Abietis semper retinent eadem folia inuariata sine augmento, aut decremento, quando ad mensuram debitam perueniunt, ergo idem attribuendum excellentissimæ animæ vegetatiuæ Christi pro capillis, & vnguibus, quibus instar foliorū sunt, quibus humanū corpus perficitur, & conseruatur. Quod si ex caliditate, & fortitudine summa spiritus terrei, quo donantur prædictæ arbores; id habent, vt folia earum nunquam decidant, & in debita mensura sine augmento, cum eximia pulchritudine inuariata, quoad speciem perseuerent, absque dubio corpora Paradysi, & Christi, & Matris spiritum illum terreum nexumque vitæ fortiorem habuerunt, magisque ab excrementis liberum, vt in propria mensura vngues, & capilli inuariati perseuerarent. Sigillatim de Christi corde scripsit S. Brigitta lib. 1. cap. 10. etiam inter cruciatus spinarum, & flagellorum: *Cor recens erat, qui optimæ & fortissimæ naturæ erat.* Hæc igitur fortitudo ad prædictum effectum iuuare potuit. Secundò probant ab inconuenienti, nam in statu innocentiæ superfluitates hæ capillorum, & vnguium essent contra simplicitatem, & independentiam illius status; indigerent enim forcipibus, & instrumentis ferreis, & similibus artificijs. Verisimilius ergo est, quod postquam vngues, & capilli peruenirent ad debitam mensuram, non progrederentur vlterius, quia maius augmētum non posset sine deformitate fieri, ac per consequens de Christo, & Matre idem dici potest iuxta regulas superiùs positas. Confirmatur ex palpebris, & supercilijs, quæ postquam ad debitam mensuram veniunt, vix vlterius crescunt. Cur ergo non potuit hoc ipsum speciali Dei prouidentia contingere in capillis Christi, & Deiparæ. An viuant, vel non, ad me non attinet, color ille vniformiter difformis in circulis pennarum pauonis crescentibus magnum argumentum, est de aliquali vita capillorum.

§

18. De

28. De ætatibus tam vulgaribus, quàm philosophicis, & medicis Christi, & Matris.

Christum vulgares ætates infantiæ, pueritiæ, adolescentiæ, & iuuentutis percurrisse indubitatâ fide credendum est, vt ait sexta Synodus actione 11. & docuit Lucas 2. cap. dicens: proficiebat *Iesus ætate*, quod Athanasius serm. 4. contra Arrianos legit *proceritate*, alij cum Theophilo *statura*, vnde vulgares, & communes ætates mensurantur. Ideò S. Gregorius Nissenus orat. catech. cap. 16. scripsit Iesum omnem transisse ætatem. S. Greg. Naz. orat. de Natiuitate, & Nicetas in commentarijs varias ætates illi attribuunt. Hãc certam veritatem omnes supponunt: solũ disputant de ætatibus philosophicis, & medicis, quæ ex præstantia, & notabili diuersitate temperamentorum desumuntur.

Nonnuli Doctores huius temporis negant Christo, & Matri ætates perfectiuas infantiæ, pueritiæ, & adolescentiæ, philosophicè, & medicè consideratas: nam vbi nihil est crudum, nulla residentia materiæ, nullum obstaculum, quod impediat productionem temperamenti naturalis perfectissimi, seu quod idem est productionem perfectissimæ ætatis, esse non poterant ætates perfectiuæ in sensu philosophico, & medico, vt ex docto, & singulari tractatu de essentia ætatum Michaelis Barredæ primarij Complutensis, & Regis Hispaniarum ex primarijs medicis innotescit; sed Iesus, & Maria in prima formatione habuere perfectissima temperamenta ab omni impuritate, & cruditate libera; ergo illis denegandæ sunt ætates variæ perfectiuæ in sensu philosophico, & medico. Maior propositio solidissimè roboratur in prædicto Michaelis Barredæ tractatu: minor suadetur pro Iesu testimonio S. Bonau. in 3. dist. 12. illis verbis: *Ita pura fuit caro Christi, sicut si de cœlesti substantia sumpta fuisset*, dist. 3 dixerat. *Ab instanti conceptionis vir fuerat ita perfectus, quod proficere numquam potuit*: quibus verbis omnem repellit impuritatem, & cruditatem à corpore Iesu, & sublimissimam tribuit perfectionem temperamenti, qua maior alia esse nequeat. S. Antoninus 4. part. summæ tit. 15. capit. 23. hæc ait: *Conceptus est Iesus vir perfectus in naturalibus. Alij pueri per plures annos manent, antequam in-*

intelligant, vel loqui posſint, vnde infantes dicuntur: ſed ſubitò Chriſtus conceptus habuit completum vſum rationis, & memoriam tenaciſsimam, intelligentiam acutiſsimam, ioqui perfectiſsimè potuiſſet, ſi voluiſſet. Eſtius ſumma referens ex mente Aug. de ſtatu innocentiæ, hæc dixit: *Propriè nulli infantes in Paradyſo eſſent:* ideò ſcilicet, quia intelligere, moueri, & loqui potuiſſent: ſic plures alij Scholaſtici, quorum non pauci in alijs numeris huius quartæ partis ſunt producti. Ex Patribus omnem immaturitatem, ſeu cruditatem infanti lelu denegãt. S. Bernardus Homil. 2. ſuper Miſſus eſt illis verbis: *Chriſtus à principio perfectus vir erat maturitate ſenſuum, non corpulentia membrorum*: & Hieronymus in 31. Ieremiæ: *Perfectus vir Ieſus in ventre fœmineo.* Quibus ſuadent ſimul cùm ætate infantili vulgari Chriſti aliam ætatem virilem coniunctam eſſe, ratione perfectiſsimi temperamenti, maturitatis, intelligentiæ: quibus aſtipulatur Gerſon ſermone de Annunciatione, ex ſententia plurium Scholaſticorum, ijs verbis: *Corpus Chriſti in uno momento adeò fuit perfectum in ſenſibus, ſicut modò eſt.* At de ratione infantiæ philoſophicæ, & medicæ eſt cruditas, immaturitas, imperfectio ſenſuum, & facultatum, vt ſuprà ſtatuit Barreda. Ex Ieſuitis ſimiliter opinantur plures, quibus præit Gabriel Vazquez 3 p. diſp. 119. cap. 3. dans vſum phantaſiæ, & rationis Deiparæ à primo conceptu, & ſemeſtri Baptiſtæ, & inde vtrique denegat proprijſsimam, & rigoroſiſsimam infantiam, & pueritiam, allegans illa verba S. Ambroſij de Ioanne. *Nullam infantiæ ſenſit ætatem infantiæ impedimenta neſciuit*: quæ ſic commentatur Vazquez. *Manifeſtè denotat Ambroſius Ioannem nunquam caruiſſe vſu rationis, alioqui & aliquam infantiæ ſenſiſſet ætatem, quod tamen ipſe negat.* Omnia præmiſſa nituntur eo probabiliſsimo fundamẽto Philoſophico, & Medico, quo ætas nihil aliud eſſe dicitur, quàm temperamentum viuentis innatum in obliquo, id eſt cùm commutatione ad aliquam mutationem factam per aliquod ſucceſſiuum in aliquo extrinſeco. Omnis vtique ætas eſt ſecundum naturam, & ab intrinſeco, ita ut neq; phyſicé, neque medicè poſsit eſſe contra naturam, & diuerſæ cõtingunt ætates ſecundùm diuerſas ſenſibiliter alterationes receptas in oppoſitis patibilibus, quæ remanent imbibitæ in fœtu, & ſunt prohibens, ne anima, quæ, vt mera natura eſt ori-

origo ætatum, producat priùs perfectionem ætatem; facit autem victis patibilibus, & tunc viuens dicitur perfectè maturus: Quoniam verò in Christo Domino, & Matre pro formatione prima nulla fuerunt opposita patibilia cruda, & immatura, quæ vincenda essent, sed purissima, & clarissima materia debita inducenda animæ, perfectissimum temperamentum, id est, perfectissimam ætatem ab initio produxerunt.

Non ideo Christo, & Matri denegantur, varia, & diuersa temperamenta successiuè, sed ea solum, quæ diuersam inducant ætatem medicam: nàm, & in pueris v.g. durante pueritia quotidie immutantur temperamenta, propter mærores, fastidia cibi, & vigilias; non tamen ideò ætatem aliā induunt: sic philosophantur Doctores prædicti, & suam opinionem alijs etiam fundamentis persuadent. Nam primo fundātur in ijs, quæ plures Patres, & Theologi docent de Christo, & ea quæ de illius corpore dicuntur satis probabiliter ad corpus Deiparæ, possunt extendi. De Christo autem dicunt, in primis habuisse ab initio suæ conceptionis vsum scientiæ adquisitæ Bonau. in 3. dist. 14. art. 3. q. 2. Durandus ibidem q. 2. & alij, quos sequitur Suar. tom. 1. in 3. p. disp. 30. quibus fauere videtur apertè August. lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 29. S. Bernard. Hom. 2. super Missus est; vbi in hoc sensu intelligit illud Ieremiæ 31. Fœmina circumdabit virum, & Damascen. in lib Quomodò ad imaginem Dei facti sumus, qui omnes supponunt Christum ab instanti conceptionis habuisse talem scientiam, quæ omnino requireret debitum temperamentum in organis cerebri ad vsum specierū: inde enim probant dispositionem corporis perfectam, quia iam tunc habuit scientiam perfectam, & è contra August. suprà hæc habet loquens de infantibus naturæ lapsæ. *In quo corpore infirmissimo nulli vsui congruis infantilibus membris anima rationalis miserabili ignorantia prægrauatur; quam planè ignorantiam nullo modo crediderim fuisse in infante illo, in quo Verbum caro factum est, neque vllam ipsius animi infirmitatem in Christo paruulo fuerim suspicatus; quam videmus in paruulis.* Colligit in alijs paruulis defectum vsus rationis ex membrorū corporalium imperfectione, aliunde verò illum defectum vsus rationis Christo negat, quia aliorū paruulorum infirmitates non habuerit; docet igitur Iesum non habuisse rude, & defectuosum temperamentum à quo vsus

ra-

rationis denegatur alijs paruulis. Damascenus vbi suprà hæc dedit: *Nam pro ætatis corporeæ modo, & progressu in eo sapientia apparebat, quandoquidem tamquam à prima conceptione infans perfectus extitit, habuitque digesta, & composita membra corporis propterea quod non pedetentim, & sensim membrorum eius facta est delineatio, & compositio quemadmodum ait magnus diuinisque rebus eruditus Basillus in oratione, quam in Domini natali habuit, sic humana, & diuina in ea sapientia à prima conceptione perfecta fuit, qua scilicet ex parte homo erat.* Probat Damascenus perfectam Christi scientiam, quia perfectè disposita habuerit membra in ætate infantili, id est cum temperamento debito ad vsum rationis necessario; omnis enim alia dispositio corporis accidentalis esset. Ex ijs, & alijs Patrum testimonijs videtur Christum, non fuisse conceptum cum temperamento imperfecto aliorum infantium, quæ doctrina philosophica ratione persuadetur, quam latius exponimus num.10. huius quartæ partis, quia illa scientia, quæ ponitur in Christo infante talis erat, vt posset dirigere actiones, & motus membrorum omnium absque illis imperfectioribus, quas reliqui infantes ostendunt in suis motibus, per quos significant suos affectus inordinatos, & stultitiam propriam illius ætatis. Scientia autem ad hoc requisita debuit esse coniuncta cum operatione phantasiæ, seu imaginatiuæ, quia intellectus non gubernat membra corporis immediate, sed mediante imaginatione per quam gubernat politicè, appetitum, quo appetitu mediante alias partes corporis moderatur iuxta doctrinam D. Thom. 1. part. q. 80. art. 2. ad 3. & lib. 2. contra gentes capit. 32. & 12. q. 17. art. 7. debuit igitur Iesus temperamentum habere requisitum ad vsum phantasmatum, & ad eius species, quæ sine illo temperamento conseruari non possunt. Si autem in cerebro datur hoc temperamentum, idem aut proportionatum concedendum est in reliquis corporis partibus, ne complexio monstruosa, & ex dissitis compacta videatur.

Iuxta sententiam Aristotelis libro 2. de ortu, & interitu textu 56. & 2. Rhethor. capit. 12. in illis verbis. *Ætates autem sunt iuuentus, & vigor senectus*; duplicem solum agnoscentis differentiam ætatum, dicendum erit Chri-

Christum nullam variasse ætatem cum obierit ante senectutem: neque ideo quidquam dicitur contra veram pueritiam Saluatoris; sicut non erat contra illam perfectissima maturitas scientiæ, & notitia omnium linguarum, satis erat ad infantiam teneritudo, & paruitas membrorum ratione cuius verè baiulabatur, & dicebatur paruulus, & infans. Similiter in phrasi Tullij libro de senectute, & Ouidij 12. Metamorph. ætas sumitur pro seculo centum annorum; si quis dicat Iesum, & Mariam vnam ætatem, non exegisse, seu compleuisse; nihil dicet contra infantiam, pueritiam, adolescentiam, & iuuentutem vulgarem vtriusque, Ioannes Maior in 2. distinct. 19. ait de Caleb iuxta Scripturam Sacram conseruasse æqualem, & inuariatam fortitudinem annis saltem quadraginta, vsque ad octogesimum annum vitæ suæ, ac propterea tandiu in ea ætate perseuerasse, adde non paucos annos ante quadragesimum, & alios nonullos post octogesimum eiusdem fortitudinis, & temperamenti, & non miraberis Christum, & Mariam in eadem ætate medica perseuerasse.

Ex ijs, & alijs principijs in superioribus numeris addictis ait Spinellus cap. 20. Throni Deiparæ num. 8. quod miraculum sit Mariam esse fœminam, non masculum cum fuerit ex miraculo absterili concepta cum summa perfectione.

Dices multiplicantur miracula sine necessitate; respondent primò harum tabularum propugnatores, supposita perfectissima formatione corporum Christi, & Matris nullum ex effectibus extraordinarijs, qui memorantur esse mimiraculosum in se, sed ad summum in radice; sicut cum cæcus miraculose donatus facultate videndi, naturaliter videt, deinde hypothesi data quod essent miracula, ea quidem non esse multiplicanda sine necessitate, aut ratione aliqua probabili, quando vero ratio huiusmodi adest, non esse cur fugiatur ab asserendo aliquo miraculo præsertim erga beatam Virginem, quam Deus voluit esse officinam omnium miraculosam.

S

19. Som-

19. *Somnus in statu innocentiæ non priuabat libertate, ex quorundam Patrum, & Scholasticorum sensu; & quid de somno Virginis opinentur nonnulli.*

Albertus Magnus in summa Theologica tractatu 14.q. 83.docet aliter futurum esse somnum in statu naturæ integræ, atque nunc est in statu naturæ vulneratæ. Alexander Alensis part.2.q.89.membro 3.ait in Paradyso non futurum somnum, nec grossas fumositates illum causantes, sed soporē sine læsione libertatis ligantem sensus, atque hanc ait esse mentem sanctorum Gregorij, & Isidori. Idcirco idem Alensis, si hanc speciem somni, quæ propriè dicatur sopor, & absolutè somnus non nominetur, in Maria concederet, consequenter affirmaret, Deiparam nunquam interrupisse meritum, quòd illius dormitio esset cum libertate coniuncta. Illi adhærent nonnulli allegati à Mendoza in viridiario lib. 4. probl. 16.qui docent, etiam sine miraculo, Mariæ somnum non interpolasse, aut abstulisse libertatem. Estius in 2. dist. 20.§.7, refert Isidorum, & Gregorium necessitatem somni à Paradyso remouisse, & ipse singularem quandam speciem somni ibidē collocat. Alij, quorū meminere Gerson Alphabeto 86.& S.Thomas in 2.dist.19,q.1.art.3. ad 3. negarūt Adami posteros in statu innocentiæ somnum capturos: quod sic intelligo, vt Alensis exposuit Gregorium, & Isidorum, scilicet dormituros, non per somnum auferentem meritum, & libertatem, sed per aliam speciem somni, quam soporem Alensis nominauit. Suar.tom.2.in 3.part.disput.18.sect 2. refert Augustinum dicentem in statu innocentiæ; *tam fœlicia erant somnia dormientium, quàm vita vigilantium.* Eundem allegat Patriarcha Ximenius lib.5.de vita Christi cap. 34 & addit hanc esse plurium Doctorum opinionem. Vbertinus de Cassali, ait somnum Paradysi, nec sepelijsse libertatem, nec abstulisse meritum; sic arbitrari potuere, quia plura dantur accidentia perpetuò consectantia res aliquas, quæ ex sola Dei voluntate semper ta hærent, cùm alia, & aliter adhærere potuissent, vt quòd homo careat alis ad volandū, & quinque tantum digitis singulis manibus, & pedibus instruatur; ergo licèt cō natus somnus post lapsum Adami libertatem impediat voluntatem, alias esset iuxta naturam in Para-

ra-

radyso, qui non violato iure, & exercitio libertatis sensus externos clauderet, & ligaret, vel ipsis non ligatis corpora humana mulceret. Sola vtique voluntas Dei in causa est, vt dormientes careant libertate, non ipsa rerum connexio, & exigentia. Secundò, sic potuere opinari, quia ideò deest nunc dormientibus libertas, quia phantasia, & sensus interiores turbantur, & confunduntur in somno, non remanente debita relucentia imaginum ad saluandam libertatem; & quoties phãtasia, & interni sensus læduntur, nulla est libertas, vt constat de phreneticis, & insanis; at in statu innocentiæ, neque in vigilia, neque in somno turbaretur, aut confunderetur, aut læderetur phantasia, & sensus interni, esset igitur tunc dormientibus libertas, & meritum.

Nonnulli Doctores existimarunt Mariam dormientem, & libertate, & merito caruisse. Sic Ioannes Maior in Matth. dub. 8. & in 1. Lucæ; licet sub formidine, vt innuitur illis verbis. *Maria in somno liberi arbitrij actus, vt puto, non elicuit.* Idem arbitratur Gerson tract. 5. in Magnificat; vniuersaliùs docet Abulēsis 3. Reg. 3. quæst. 4. & 12. & super 1. Matth. quæst. 55. eos etiam, qui diuina somnia acceperunt, durante somno libertate caruisse: sic nonnulli ex allegatis, & Spinellus in Mariali cap. 20. num. 8. Alij tamen concedunt Mariæ dormienti libertatem, & meritum, etiãsi nullam aliam habuisset scientiam, nisi eam, quæ à sensibus, & phantasmate penderet. Primò, quia Maria fuit condita cum prærogatiuis intrinsecis, & formalibus status Paradysi, vt superiùs pluribus argumentis, & testimonijs probatum est, sed in eo statu, ex Gregorio, Isidoro, Augustino, Alensi, Vbertino, & alijs somnus, aut sopor non priuaret libertate, & merito; ergo idem pro Deipara statuendum est. Secundò suadetur, quia post naturam lapsam, etiamsi somnus sit ligatio omnium sensuum externorum ad animantium quietem, iuxta Platonem 9. de Rep. Arist. 2. & 3. capitulo de somno, & vigilia; & 6. Top. capitulo 3. Galeno 2. aphorism. 3. Lactant. libro de opificio Dei capit. 8. nihilominus inueniuntur indiuiduæ, quæ dormiant vno, vel duobus, vel tribus sensibus non ligatis, atque vt ait Arist. 5. de genera. animal. capit. 1. apertis oculis per loca periculosa incedant, vt vigilantium opera exerceant; ergo potest dari somnus, qui nullum sensum liget, aut qui si

omnes ligauerit, & impediuerit, relinquat functiones sensuũ internorum sic impeditas, vt intellectus, & voluntas operentur liberè. Tertiò suffragantur plurium testimonia, quæ Mariæ dormienti libertatem attribuãt, vt S. Bernardinus serm. 51. Patriarcha Ximenius suprà, cap. 33. vbi ait hanc esse plurium Doctorum sententiam, sancta Brigitta orat. 4. & alij innumeri. Quartò probant, quia in B. Virgine dormiente phantasia, & interni sensus nullam turbationem, confusionem, & specierum commixtionem patiebãtur, quæ alijs hominibus accidunt in pœnam peccati, vt optime probant Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 18. sect. 6. contra Gersonem, & Cordubam, potius erat relucentia imaginum perfectissima, vt cũ hęc liberè mereri potuisset. Tandẽ pro Iesu speciatim expende illud, quod Salmeron scripsit tom. 6. tract. 12. Iesus erat Dominus naturæ, quam non omnino ineuitabilis sequitur somnus, ideo poterat pro libito dormire, & vigilare, vt cum tota nocte in oratione pernoctauit, teste Luca, ita vt nõ esset debilis ad actiones diei sequentis, idest ad sermonem illum longum in monte habitum, & hoc nulla etiam causa naturali existente, quia poterat calefacere, & frigefacere cerebrum, & obturare poros pro voto suo. Hactenus Salmeron.

20. *De comparatione lactationis Annæ, & Deiparæ.*

Dicunt nonnulli Doctores singulari Dei prouidentia effectum esse, vt lactationis tempore in mammillis sanctæ Annæ lac æqualem dignitatem, & perfectionem Ambrosiæ simulem obtineret, iuxta ea, quæ tertia parte harum tabularum sunt relata. Id probant, quia lac Annæ verè fuit miraculosum, cum datum fuerit vetulæ & impotẽti illud generare. Quæ autem miraculosa sunt, perfectissima sunt, ex doctrina celebri Chrysost. Hom. 21. in cap. 2. Ioan. August. lib. de vera, & falsa pœnitentia; & cap. *Reuera*, de consecratione dist. 2. Cùm ergo manna Hebreæ genti collatum haberet admirandos effectus, idem oportebit dicere de lacte, quod Deus miraculosè præparabat in vberibus Annæ ad nutriendam futuram Dei Matrem. Panis Eliæ fuit verus panis, sed tamẽ habuit mirabilem virtutem ex vna sumptione, nutriendi, & conseruandi corpus Eliç, dum quadraginta diebus, & noctibus

bus vagaretur; sic etiam lac istud licèt fuerit verum lac, miraculosè productum, potuit habere virtutem peculiarem nutriendi, & conseruandi maiorem, & nobiliorē, quam habeat reliquum lac aliarum matrum.

Addunt, Deiparam lacte supernaturali (qua ratione dicitur super naturale manna) sui se enutritam: ipsius etiam corpori fortitudinem inditam ex parte ab hoc lacte, qua septuagenaria florens esset, & robusta, vt Sara, quæ etiam nonagenaria pulchritudinem conseruauit iuxta doctrinam sancti Antonini 4. part. tit. 16. cap. 10. & aliorum; atque ideò dicunt lac illud fuisse miraculosum, quia Anna in senectute, & post diuturnam sterilitatem conceperit, & in eodem senio, & impedimento ætatis permansit continuò; indeficienter vero eius vbera lac ministrasse continuum, fuit miraculum, cùm perpetuum impedimentū maneret ad generationem lactis, nempè senectus, & ariditas naturæ. Nec enim iuxta hanc opinionem Anna fuit restituta in ætatem iuuenilem, sed relicta adhuc in sua senectute diuinitus confortabatur ad producendum lac, supra id quod senilis conditio postulabat; fuit ergo illud lac miraculosum, atque ideò perfectissimum, & habens meliorem virtutem, quam cætera alimenta infantiū, iuxta præmissam doctrinam Chrysostomi, & Augustini proximè relatam.

Ex his inferunt mirabiliorem fuisse lactationem Annæ erga Deiparam, quàm Deiparæ erga Iesum; nam licet miraculum fuerit, quòd virgo conceperit, cæterum supposita cō ceptione, & partu, naturaliter sequebatur, quod posset lactare, cùm nullum ex parte Mariæ esset impedimentum ad producendum lac. At verò ex parte Annæ remanebat adhuc impedimentum senectutis, & impotentiæ, vt producer et verum, & copiosum lac: quare negari non potest fuisse magis miraculosam hanc lactationem, quam illam.

21. *Dē sanitate Virginis.*

Dicunt Doctores nonnulli (esse de fide admittendū Mariam fuisse mortalem, & corpus ipsius ex laboribus, & ieiunijs plura esse passum) quòd nihilominus illius sanitas extitit maxima, & talis, vt si non aliquid violentum, & insolitum passa fuisset, forte absque miraculo à morbis, senectute, & mor-

morte potuerit in perpetuum esse libera. Hæc opinio est Galeni libro de Marasmo capit.4. & aliorum, quos refert Vazquez tom. 1. in 3.part.disp.60.qui dicunt, si homo aliquis haberet perfectissimam scientiam vtilium, & noxiorũ, & posset vitare omnia extrinseca lædentia, simul etiam potuisse nunquam mori; quia tamen illud communiter fieri nequit: hinc etiam est, vt non possint natu aliter homines non mori. Quercus Sichem, de qua Genes.35. erat eadem cum illa, de qua Iudicum 9.& saltem annis quingentis permansit. Quercus, sub qua moratus Abraham in valle Mambre, auctore Hieronymo, tempore Theodosij Imperatoris adhuc permanebat: id est saltem suprà duo millia annorum vixit; cùm Deiparæ vegetatiuæ potentiæ, & sublimiores, & fortiores essent, ex singulari Dei beneficio, quàm ilicis, seu quercus, illam sa tèm dicendum est in integra valetudine diutissimè perseuerare potuisse. Verum tota hæc quæstio philosophica, & medica est in varias, & contrarias Philosophorum, & Medicorum sententias diuisa.

Addunt prædicti Doctores mortalem sanitatem Virginis adeò fuisse perfectam, vt cum sanitate corporis gloriosi omnino sit conferenda. Fauet ijs expressè Ægidius à Præsentatione Augustinianus libro 3. de perfectione accidentali corporis gloriosi, quæst.6.art.1.§.4 asserens sanitatem corporis Iesu, in vita mortali saltem pro aliqua parte temporis in ordine ad aliquam operationem exteriorem, aut æquè perfectam, aut perfectiorem fuisse ea, quam habitura sunt corpora beatorum in patria. Sunt qui putent hanc quæstionem esse de nomine: nam sanitas dupliciter potest accipi; primò pro tali temperamento humorum; secundò pro illo cum securitate, & libertate ab agentibus contrarijs: si accipiatur hoc posteriori modo, certum est, quod perfectior sit sanitas corporis gloriosi propter securitatem, & inamissibilitatem, quam habet; si verò accipiatur primo modo, potest etiam dici sanitatem Virginis in hac vita potuisse comparari cum sanitate corporis gloriosi: nam compositio quatuor humorum proculdubio erat, ita perfecta saltem pro magna parte temporis, sicut est in corporibus gloriosis, cum esset temperamentum æquale ad iustitiam, iuxta communẽ Theologorum sententiam, in qua temperamenti æqualitate consistit substantialiter sanitas. Explicatur optimo exemplo sa-

ni-

nitatis spiritualis, seu gratiæ habitualis, quæ procul dubio est aliquando maior in aliquo sancto in hac vita, quàm sit de facto in aliquibus beatis. Quare licet in aliquo sensu beatus habeat maiorem sanitatem spiritualem propter securitatem maiorem, quam habet non amittendi gratiam habitualem; in alio tamen sensu potest dici habere perfectiorem sanitatē spiritualem, qui in hac vita habet gratiam intensam, quàm qui in cœlo habet gratiam remissam in nostro casu.

22. *De pulchritudine Virginis.*

Solus Michael de Medina libro de recta in Deum fide cap. 7. negauit eximiam esse corporalem Christi pulchritudinem, atque varijs argumentis id voluit persuadere; quæ magna ex parte similiter probant de Maria. Cæteri omnes tam Patres, quàm Scholastici, & sacri interpretes refragantur, cū Nazian. orat. 2. in Paschate. Chrisost. Hom. 28. in Matth. Bernard. serm. 1. in festo omnium sanctorum Hieronym. ep. 140. ad Princip. & lib. 1. comm. in Matth. capit. 9. S. Thom. 3. part. quæst. 54. art. 1. & tandem omnes. Idem statuendum pro Deipara: nam quod ait ex communi doctrina Bacco in 3. dist. 4. art. 4. Iesus maximè assimilari debuit Matri, quia ab illa totum cibum habuit.

Quæstio à nonnullis excitata, & ipsorum sententia, quatenus dicit pulchritudinem Mariæ in corpore mortali degētis suauiorem, & amœniorem fuisse, quàm quæ futura sit aliorum corporum immortalium, fundatur super controuersia de nomine; nam si pulchritudo sumitur pro cōpleta pulchritudine, quatenus ornata est certo lumine, & splendore, & reliquis dotibus gloriæ, certum est maiorem esse pulchritudinem corporis gloriosi, & magis ad se attrahere oculos spectantium. Quod si pulchritudo accipitur pro sola proportione partium, in qua substantialiter pulchritudo consistit iuxta Aristotelem, Tullium, D. Thomam, Nazianzenum, Basilium, Dionysiū, & alios patres inferiùs allegandos, certū est potuisse esse maiorem proportionem inter partes in corpore mortali Deiparæ, quā sit de facto in corpore alicuius beati; nec enim omnes debēt resurgere cū eadē figura, sed cū diuersa, itaut possint singuli ex vultu dignosci, vnusquisque igitur retinebit diuersam partiū proportionē licet ablatis imperfectionibus, & indecentijs, cum ergo corpus Mariæ habuerit

ma-

maximam partium proportionem, & omnino similem corpori Iesu, vt probat integro capite Albertus Magnus super Missus est, sequitur habuisse maiorem pulchritudinem substant aliter acceptam, quam nonnulla corpora gloriosa, licet non cum illo splendore gloriæ, quod multum confert ad delectabilitatem, & elegantiam extrinsecus aduenientem. Explicatur exemplo vulgari alicuius imaginis auro illuminatę, quę quidem etiam antequam illuminaretur, exprimebat figuram æquè pulchram, & cum eadem partium proportione sicut postea, non tamen ęquè splendidam; sic se habet splendor glorię ad pulchritudinem naturalē; est enim quasi illuminatio supernaturalis supponens pulchritudinem naturalem, & proportionem partium. Nazianz. orat. 2. in Pascha succurrit, dicens Christo resurgenti pulchritudinem fuisse restitutam; quare sensit nihil ex ijs, quę adduntur ex dotibus gloriosis pertinere ad pulchritudinem; siquidem, quæ erat in mortali statu restituta est; sicut elegantia vestium ab extrinseco prouenit, & non intrat formalem rationem pulchritudinis, sic & elegantia dotum glorię, quę supernaturalis est. Difficile est decernere, quę sit essentia pulchritudinis, cū Plato dialogo de pulchro, cuius titulus est Hippias, post plures definitiones pulchritudinis à se refutatas tandem dicat vix posse definiri; nam quę pulchra, sunt difficilia. Verū Doctores huius opinionis extra essentiam pulchritudinis collocant, quidquid suprà naturam est, aut debitum ipsius: & videantur sensum ex Aristotele libro de arte poetica: Tullio 4. Tuscul. & 1. de officijs. Aug. ep. 151. Clem. Alex, 3. pædag. capit. 11. Basil. in Psalm. 44. Nazianz. orat 31. Isidoro 10. Origin. S. Thom. 1. parte quęst. 39. art. 8. & 2. 2. quęst. 145. art. 2. vbi allegat Dionys. lib. de diuin. nom. cap. 4.

Addunt prędicti Doctores Virginem à mortuis resurgentem, eundem colorem in eodem intensionis gradu obtinuisse, quem antea mortalis tenuerat, & nihil habuisse Deū supplendum in resurrectione Marię, quod ad pulchritudinē spectat. Hęc doctrina ex precedenti oritur. Nam si B. Virgo in hac vita habebat optimum temperamentum, scilicet ęquale ad iustitiam, vt dicunt Philosophi, ex quo tēperamēto resultat optimus color, consequens est, quòd eundem colorem retinuerit etiam in resurrectione, additis tamen

doti-

dotibus gloriæ. Quod si loquamur de pulchritudine substantia iter accepta, non potuit esse melius temperamentum humanum ex ijs quatuor qualitatibus, & humoribus, quàm illud, quod habebat B. Virgo, cum esset æquale ad iustitiam, id est optimum omnium. Nihil igitur quoad illud fuit supplendum à Deo, sed solùm oportuit addere splendorem, & alia ornamenta gloriosa. Docent præterea Mariam septuagenariam florentem habuisse pulchritudinem; nam quod ait S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 10. Maria figurata est per pulchras fœminas veteris testamenti; sed Sara etiam nonagenaria pulchritudinem eximiam conseruauit, vt sacræ litteræ testantur, ergo id habuit Maria, cum esset septuagenaria. Ideo hæc Saræ prerogatiua diuinis litteris commendatur, vt notetur in imagine, qualis esset futura in postrema ętate Deipara. Millies erat pulchritudo, & complexio Deiparæ sublimior, & perfectior, quàm pulchritudo, & complexio Sarę: & vtraque nata est post diluuium, quando iam terra erat corrupta salsugine, propter stagnantem, & superfusum Occeanum in ipsam plurium mensium spatio; vnde cœpit hominum vita esse breuior, & complexio debilior: terra enim salsuginosa sterilitatem coniunctam habet; vnde Dauid Psalm. 106. *Terram fructiferam in salsuginem à malitia habitantium in ea.*

Subdunt prędicti Doctores alia pertinentia ad pulchritudinem Virginis. Liber canticorum, quoad plures clausulas à Petro Damiano ad Blancam, à Ludouico Legionensi in cantica, & innumeris apud Ghislerium, & Delrinm declarantur de pulchritudine, & lineamentis corporeis Marię, & Iesu. Tunc maximè in singulis expositionibus iuxta hunc tenorem explicandi pręferri debent interpretes, cum consentiunt ijs, quę Epiphanius, Anselmus, Nicephorus, Cedremus, S. Brigitta, & alij de Marię, & Iesu vultu scripsere, & ijs imaginibus, quę à Luca, Nicodemo, & alijs viris Apostolicis factę perhibentur: ijs etiam, quę miraculosè fabricatę sunt.

Quod Albertus Magnus super Missus est pluribus capitibus differat de pulchritudine Deiparę, de corporis quantitate, de membrorum proportione, de colore cutis, de colore capillorum, de colore oculorum, & alijs similibus, & quod ex illo plura mutuetur S. Antoninus 4 parte tit. 15. cap. 10.

&

& 11. non fit sine documento antiquorum Doctorum, & sine magna vtilitate. Similiter, quod S Thomas 3.p. quæst. 54. art. 1, disputet, an color capillorum Christi fuerit flauus, & color cutis rubeus. Conradus Rodemberg Benedictinus, libro de vinea Dñi Sabaot tractat sub typo botri de singulis membris Deiparæ (quem laudat Tritemius de Script oribus Ecc esiasticis) innumera colligit, lateque proponit Ludouicus Turrianus in se ectis disp. 34. pag. 213. 214. & iungit alia Mendoza in viridario, lib. 4. probl. 30. Spineius in Throno Deiparæ cap. 5. & cap. 29. num. 51. Salazar cap. 22. de cõceptione, ex Gersone, docens Deum plantasse in Maria omnem corporalem pulchritudinem, suprà reliquas creaturas. Quare accurata descriptio membrorum Deiparæ non est contemnenda.

23. *Quæ, qualis, quanta sit materia sanguinis, & lactis Deiparæ permanens in Christo resurgente, & Eucharistia, conuersa in aliam substantiam.*

Vt inuestigari queat, quæ, qualis, & quanta sit materia sanguinis, & lactis Deiparæ transmissa ad filium, & in Eucharistia perseuerans, oportet examinatiuè discutere, quid dicendum sit de opinione eorum, qui arbitrantur propter minutias, & subtilitates quasdam philosophicas cum manifestis experimentis rationibus oppositas & certantes, paruo temporis interuallo nihil remanere in filio ex sanguine, carne, ossibus, neruis musculis, & alijs, quæ à Deipara accepta sunt. Firmiter statuunt nonulli Doctores ex legibus consuetis nutritionis, & augmentationis nihil, aut ferè nihil amitti de partibus carnosis, & ossibus acceptis à prima formatione, vsque ad tempus natiuitatis, & lactationis à Matre exhibitæ. Probant, adducentes primo experimentum plurimórum infantium, qui ante finitam lactationem occisi sunt, aut mortui, quorũ ossa nihilominus pluribus sæculis, & annorũ millibus perseuerant, parũ, aut nihil de prima constitutione cadũce is amittentia: ergo à fortiori idem est dicendũ de ijsdem ossibus, etiãsi viuens annos centũ peragat viuendo: nã solus natiuus calor suauis non potest in vnica annorum centuria deuastare ossa illa, quæ temporum inclementiis, &

ann-

ambientis aeris corruptela pluribus seculis non absumit. Secundò adducunt experimentum acceptum à morbis chronicis, criticis, & acutissimis, qui integram ferè humani corporis carnem deuastant, ossibus in prisca magnitudine permanentibus: in cuius confirmationem ait Galenus lib. 7. methodi cap. 6. febres ethicas, quæ varia humida viuentium consumunt, nihil omnino de ossibus destruere. Certè huiusmodi partes iuxta multorum sententiam, postquam ad certum consistentiæ statum peruenerunt, non nutriuntur, nec augentur, sed solùm indigent aliqua madefactione extrinseca. Nemi eandem magnitudinem retinent; præter hoc solù, quod exsiccati sunt ob defectum madefactionis extrinsecæ. Tertiò probant, quia partes seminales, id est, illæ, quæ ex parentum semine, & sanguine conflantur in sobole, nunquā reproducuntur, vt suadet Petrus Garcia super Fen 1. lib. 1. Auicen. disput. 31. quæst. 2. cui sucurrit Galenus libro artis medicæ capit. 87. illis verbis: Deficientes verò partes quæcumque ex sanguine ortum habuerint corrigi quidem non est impossibile; quæ autem ex semine, propemodum impossibile existit, lib. 14. methodi capit. 16. & 1. de semine, capit. 13. addit, se quidem vidisse in paruulis venas regeneratas, ossa verò regenerari, aut reproduci iudicat impossibile; idcirco pro similibus partibus datis à Maria Filio, necesse existimat decernere illas in Christo, & Eucharistia permanere. Quartò probant, quia calor naturalis, quantumuis associatus humido natiuo abundantissimo, non potest reproducere partes viuentes filiorum ex seminalibus paternis compactas; ergo neque illas destruere, easdem attenuando. Hæc illatio roboratur iisdem argumentis, quibus suadetur toto vitæ cursu non deuastari vniuersas partes carnosas viuentis ab initio sumptas, sed plurimas permanere, si morbus, aut violenta causa extrinseca ipsas non consumat; de ijs nunc specialiter agendum.

At quò faciliùs rationum philosophicarum pondus innotescat supponitur calorem natiuum non resoluere, attenuare, aut deuastare illas partes viuentis, quibus inhæret, vt forma: nam alterare non potest, nisi per actionem transeuntem iuxta communem doctrinam Conimbricensium lib. 1. de gener. capit. 5. quæst. 3. art. 2. Petr. Garciæ disputat. 18.

de parte naturali: deinde supponitur attenuationem, & resolutionem non esse effectum primarium, & præcipuum caloris, sed solam calefactionem; quando vero natiuus calor calefacit, tunc fouet, & conseruat partem viuentem, ergo deuastatio est effectus secundarius, & accidentarius, ob quod nimium attenuet, & resoluat. Tertiò supponitur, siue verè, siue falsè dicatur id, quod in opinione versatur, causam amissionis, & resolutionis plurium partium corporis viuentis esse, quod noster calor suam in illas exerceat efficaciam veluti in alimentum, quando alia nutrimenta desunt, in quæ calor ipse vim suam potestatemque extendat.

Ijs positis, sit primum argumentum: calor consumit partem viuentis, at non illam, cui inhæret, sed propinquam prius, deinde eam quæ distat: id non præstat veluti primarium effectum, sed secundarium, & accidentalem; ergo cum actiuitate adeo remissa, nequit toto vitæ tempore magnam quantitatem partium carnosarum acceptam à Matre deuastare, ac propterea multominùs omnino absumet. Secundũ argumentum sit: nam pars viuens carnosa, quæ in aliam propinquam operatur, ipsum exercet causalitatem suam per calorem; at pars carnosa, quæ patitur, resistit cum omnibus qualitatibus componentibus temperamentum ipsius, scilicet frigiditate calori opposita, & humiditate hebetante caloris actiuitatem, & siccitate vniente, addensanteque partes. Notissimum verò est densitatem, sicut ad agendũ, ita & ad resistendum vehementer conducere; ergo improbabile est calorem natiuum vllam partem carnosam, quamtumuis propinquam deuastare. Tertium argumentum est, quia natiui caloris actiuitas est limitata, ergo cum illa, vsque ad ætatem consistentem augendis carnibus, & ossibus occupetur, incredibile est suam adhibere efficaciam ad resoluendum, & deuastandum proprium compositum. Non propterea negant prædicti Doctores aerem ambientem plures partes viuentis deuastare. Verum pro Mariæ corpore non deuastato ab ambiente aliquid erit singulare, si admittatur, quod scripsit sancta Getrudes, lib. 4. capitulo 53. ijs verbis. *Angeli aerem, & omnem creaturam, vnde vegetabar in vtero per diuinam gratiam nobilitabant. Similiter, & cæteri ordines toto conamine ministerium deuotissimam exibentes, &c.*

Fa-

Fauet prædictis expressè S. Thom. de Malo quæst. 5. art. 5 in solut. ad 6. illis verbis. *Contrariæ qualitates in corpore mixto regulantur, & conseruantur, ne se inuicem corrumpant per formam substantialem, quæ est impressio quædam corporis cælestis.* Idem docet in tractatu, cuius titulus est. Quomodo elementa maneant in mixto, Albertus Magnus 4. Meteor. tract. 1. cap. 4. & 6. latissimè, idem probat intentum: cuius verba allegat Capreol. in 2. dist. 3. per duas columnas statuens quam diu calor est naturalis, & componit mixtum non posse illius corruptionem machinari, & concludit dicens. *Ad corruptionem mixti & eius putrefactionem, aut resolutionem concurrit agens extrinsecum, siue sit cælum, siue locus continens, vel aliquid aliud, quod intendit vnam qualitatem mixti, & remittit aliam* Similia dedere in 2. dist. 30. Dur. & innumeri Scholastici. Si admittatur doctrina Ricardi quodlib. 1. q. 10. dicentis omnem actionem nutritiuam Christi esse supernaturalem, facile plura argumenta dissoluentur; sed dandum huic disputationi omnes actiones nutritiuas Christi esse naturales, circa quam thesim innumera colligit Henricus de Gandauo quodlib. 15. quæst. 4.

Hæc fundamenta suadent magnam partem sanguinis, & lactis Deiparæ sub alia tamen forma substantiali, & supposito permanere in Eucharistia; libet tamen varijs testimonijs eundem sensum stabilire. Scotus in 3. dist. 16. docet principales partes corporis Christi, vt caput, manus, cor, & alias huiusmodi nunquam esse dimissas. Hæ cùm acceptæ sint è sanguine Virginis magna materia eiusdem sanguinis, ex mente Scoti sub alia tamen forma in Christo perseuerat, quia tamen corpus Christi in primo biennio è solo Virginis sanguine, & lacte compositum fuit, & de ossibus, & alijs partibus solidis corporis humani in infantia fere per demonstrationē philosophicam conuincitur longissimo vitæ spacio non integre deuastari, tùm ex hoc capite, tùm ex communi Theologorum effato, cui Scotus innititur indubitatum est in Eucharistiā magna pars materiæ sanguinis, & lactis Deiparæ sub alia tamen forma substantiali, quæ simul cum eadem materia ad constitutionem corporis Christi pertinet. In alijs reliquijs cadauerum sanctorum circa identitatem, aut suppositionem pendentem ex fide humana occurrunt dubia interdum, atque formidines simul cum opinione probabili: at

circa

circa existentiam materiæ sanguinis, & lactis Deiparæ in Christo resurgente, nulla potest esse formido, quod idē manifeste infertur ex doctrina S. Bonau. in 2. dist. 28. q. 1. art. 3. & ex Petro Blassensi tract. de Eucharistia cap. 1. in illis versiculis. *Et tamen est eadem caro tunc de Virgine nata; & caro nunc Verbo vitæ de pane sacrata.* Possent innumera testimonia huius coloris, & roboris adduci; verum in controuersijs Philosophicis, & Medicis; etiamsi plurima habeamus Theologorum, & Patrum testimonia, cum experimentum & ratio præponderet apud seueros naturæ examinatores, ideo magis experimento, & rationibus inniti curauimus per hanc partem quartam summariam tabularum.

Libet ad expositionem Doctorum, eorumque confirmationem addere nonnulla. Mariæ vnio fuit magna cum Filio; est enim Filius à principio viuente coniunctio. Hæc sanè coniunctio fit per aliquam identitatem Matris cum Filio; ea enim quibus Filius in vtero compingitur, & alitur, sunt fere omnia de substantia Matris, Filius tunc nihil fere accipit, quod non sit Matris, vt ideo Mater secundum aliquas sui partes sit in toto Filio. Maria id multo perfectius, & sublimius præstitit, nihil enim fuit in toto Filio tempore gestationis nouem mensium, quod non fuerit de integritate Deiparæ. Partes vtique spermaticæ, quæ ex natura rei habent aliquid de semine paterno nihil habent, nisi à Maria, ob quam rationem debet Iesus Mariæ soli, quæ alij Filij simul Patri, & Matri debent; atque ideo magis est cum Filio coniuncta, quam cæteræ matres cum filijs. Nam ij non sunt ex parte sui adæquate idem cum matribus, sed inadæquate, cum aliquid habeant à patribus, cum quibus sunt idem. At quidquid Christus habet est maternum sine viro Patre, ergo cum illa sola habet hanc identitatem. Non, quod non sit aliquid in Maria, quod non fuerit in Christo, sed quia nihil fuit corporeum in Christo nouem primis mensibus, & toto lactationis tempore, quod non fuerit Mariæ. Hanc identitatem Christi, & matris agnouerunt patres cum Petro Damiano, sermone de natiuitate Virginis, singulariter Augustinus allegatus à Spincilo in throno cap. 8 num. 176.

Vt plenius hæc intelligantur expende ex D. Thom. 3. part. quæst. 31. art. 6. Matrem habere in se vt partem actualem sui, quod à parentibus accepit, eam verò dare filijs, non

quod

quod accepit, sed quod ipsa conficit, nempe sanguinem; est itaque in Filio aliquid Matris signatum, & determinatum, quod verè fuit so ius Matris; non verò auorum, quorum nulla est pars materiæ in nepotibus. Profectò in auis, & proauis solum fuit Iesus secundum originem remotam, at in Maria fuit secundum aliquid determinatum, quod fuit solius Mariæ. Propterea in præmissum locum D. Thomæ, sic ait Caietanus; *Prima & præcipua pars geniti est id, quod à parentibus habetur secundum omnes.* At in Iesu, non prima, & præcipua pars, sed totum Christi corpus compactum fuit ex sanguinibus determinatis, signatisque Deiparæ, qui ex eius substantia fluxere, & de illius integritate erant, licet anima rationali, non informarentur. Adde id, quod maxime expendendum est, sanguinem Mariæ, non prius corruptum, quam anima Christi dotaretur, sed immediate ex parte actuali integrante Deiparæ transijsse in corpus informatum anima ipsius Christi: quia apparatus dispositionum ad generationem humanitatis illius fuit in instanti sine vlla temporum successione: sic optime defenditur, quod ait Suarius tom. 2. disp. 1. sect. 2. *Potest facile credi illam substantiam carnis, quam Christus assumpsit ex Virgine, numquam fuisse omnino dimissam, aut continua caloris naturalis actione resolutam, sed eandem omnino fuisse conseruatam Verbo Dei vnitam, quod partim physica ratione, partim probabili coniectura fit verisimile, partim ex speciali prouidentia, & voluntate ipsius Christi*; quem sectatur Spinellus in suo throno Deiparæ capit. 8. num. 17. ibidem num. 23. allegat idem Spinel. S. Bernardinum tom. 4. serm. 61. art. 1. verba ipsius sunt. *Quoniam de carne Virginis benedictæ, & in parte corporis eius excissa consistit, perficitur & terminatur totum decus, aut pondus sacramentorum Ecclesiæ*, id est Eucharistia. Addit num. 24. *Substantia olim Virginis nunc hypostaticè est vnita Verbo Dei.*

§.

24. *Quæ*

24. *Quæ, & quanta sit in Eucharistia materia sanguinis Deiparæ instructa eadem numero forma substantiali, sed cum diverso supposito.*

Prædicti Doctores, vt adstruant in Christi corpore esse partem aliquam sanguinis instructam eadem numero materia,& forma substantiali non viuenti, cum qua fuerit idem sanguis in venis Deiparæ sub diuerso supposito, docent generaliter propter diuersitatem naturæ, & circunstantiarum breuiori multò tempore,quam alias quasdam partes solidiores sanguinem viuentium mutari,destrui,& conuerti:nihilominus addunt valdè esse verisimile, perseuerare immutatas, vsque ad finem vitæ plures partes sanguinis in homine ex ijs, quæ hora natiuitatis sunt extractæ,quarum omnes, & singulę sub eadem numero materia,& forma substantiali præcesserant in venis Matris,antequam per vmbilicarem tramitem ad Filium traijcerentur.Probant primò,quia sæpe anno quadragesimo,& quinquagesimo vitæ humanæ morbi hæreditarij parentum solent erumpere ratione alicuius partis sanguinis materni,qui in venis Filij permanebat,& in ea ætate protracta per inflammationem,aut putrefactionem,aut specialem aliquem motum superuenientem exercet suam actiuitatem: sic opinantur plerique Medici causam huius effectus inuestigantes,& ad sanguinem primis mensibus post conceptionem acceptum eam reducentes. Sic Mercurialis tom.2. tract. de mo bis hæreditarijs, Auicenna Fen 1. 4.tract.cap.6. Nicolaus Florentinus serm.2.tract.4.sum.4.dist.6. cap. 13. Fracastor 2.de morb.contag.c.2.Constant.lib.5. cap. de variolis. Ad probationem secundam præmittunt,id quod etiã ad primam supponi oportet,scilicet fœtum ante partum Matris sustentari sanguine materno, atque adeo substantialem formam,nec specie,nec numero mutari,sed perinde esse â Matre in prolem cõmunicari sanguinẽ,ac si ab vno vase in aliud transferretur:itaque fœtus in vtero genitricis suæ non habet coctionem illam,qua chylum conficiat in stomacho,nec aliã, qua sanguinem producat in hepate: hæ namque duæ coctiones peractæ sunt â Matre,sed illam solum coctionẽ pertexit, quæ in vltimis partibus elaboratur,media qua sanguis conuertitur in substantiam aliti, Licèt enim sanguis Matris tendat in hepar Filij,non ibi specificè, aut numericè mutatur;

sed

sed solùm perfectionem quamdã accidentalem recipit, ratione cuius magis proportionetur cum tenera substantia fœtus, vt in ipsius substantiã conuertatur. Quæ omnia fundantur in communi omnium medicorum sententia statuente sanguinē Matris, & Filij specie non distingui, sicut nec sanguinem paternū, & maternum, neque vtriusque semen, vt latissimè docuit Galenus lib. 1. & 2. de semine, & fusè expendit Andreas Laurentius lib. 8. histor. anathom. c. 7. c. 14. Probant fœtui in vtero deesse chilificationem, & sanguificationem, inesse verò solam vltimam coctionē, eò quod Mater per venam vmbilicalem ministrauerit proprium sanguinem, & fieri nequeat, vt vna forma substantialis eiusdem speciei pellat alterā solo numero distinctam ab eodem subiecto, & confirmāt verbis Hippoc. lib. de natura pueri: consentit Realdus Columbus lib. 12. suæ anathomes, tract. de formatione fœtus, Peramatus lib. de hominis procreatione c. 3. quæ doctrina, vt certa supponitur ab vniuersa schola Medicorum: est autē sanguis, quo nutritur fœtus is, qui optimus est in venis Matris, vt ait Galenus lib. 1. de causis sympthomatū c. 7. His positis roboratur, & declaratur primum argumentū, & conficitur secundum: nam totus sanguis venalis, & arterialis, quem extrahit recens natus infans à Matre, præcesserat idem numero in venis Matris, ex tanta verò quantitate, valdè probabile est pro corpore sano, & nunquam morbis, & medicamentis vulnerato (quale fuit corpus Christi Domini) partes aliquas nō fuisse conuersas in carnem, & membra alia viuentia; sed præter mutationem suppositi, quæ proximè consequebatur eum sanguinem, vbi primùm pertinebat ad integritatem Christi, nullam aliam variationem factam fuisse circa formam substātialem sanguinis Virginei; eum verò quoad particulas non nullas immutatum perseuerasse, vsque ad necem Christi veluti fundamentum filiationis cū alijs partibus primigenijs. Hæc doctrina valdè est verisimilis, & probabilis in opinione eorum, qui adstruunt non omnes, & singulas partes sanguinis ad tertiam coctionem pertinere, sed ad vsus diuersos destinari: præsertim, si de arteriali sanguine sit sermo. Tertium argumentum est, quia ex plurium Theologorum sententia in 4. dist. 44. in Resurrectione ad supplendum ea, quæ desunt pro constitutione, integritate, & ornatu corporis resurgentis, assumuntur partes primigeniæ carnis, & sanguinis, quæ nouē pri-

primis mensibus à conceptu fuerant acceptæ, licet ab ambiente, aut aliter dissipatæ fuerint; ergo etiamsi detur Christum Dominum à legibus nutritionis, & alijs adhærentibus, nihil retinuisse necis tempore ex illo sanguine, quem proximè post ortum habuit, saltem dicendum est in Resurrectione ex sanguine primigenio, qui sub eadem numero forma substantiali infuit venis Deiparæ, & Filij, resumpsisse partes aliquas, quæ nunc in corpore Domini, & Eucharistia permaneant. Quod singulariter verum est de sanguine effuso in circumcisione, quem resurgens Iesus assumpsit iterum, vt ait Suar. tom. 2. in 3. p. disputatione 47. sect. 5. nec credibile octauo ab ortu die Iesum tantam portionem sanguinis per propriam chylificationem, & sanguificationem esse conuersam vt nullam partem circumcisus effuderit ex ijs, quas à matre no vtero extraxerat. Quæ ratio suam vim habet, admittendo communem sententiam, quæ adstruit ex doctrina Athanasij Christum resumpsisse in Resurrectione omnem à se effusum sanguinem, vt docet S. Thomas 3. p. q. 54. art. 2. Suar. ibidem disp. 47. sect. 3. Vazq. tom. 1. in 3. p. disp. 36. cap. 8. Nam Iesus ex ieiunijs, peregrinationibus, & alijs afflictionibus, mortis tempore non habuit totum sanguinem, qui perfectæ dispositioni resurgentis corporis debebatur. Iuuat, quòd superius scripsit Franciscus Suarius; plus sanguinis esse in corpore Christi glorioso, quam fuerit aliquando fuerat in corpore mortali, & consequenter plus sanguinis assumpsisse in Resurrectione, quam in Passione profuderit; vt ibidem probat, & exponit. Quare fieri potuit, vt resumeret ex eo sanguine, quem habuit in vtero Virginis sub eadē forma, qua tunc in fruebatur; idest, eadem numero, quæ præcesserat in venis Deiparæ, vt pro alijs fœtibus accidit, licet in Christo suppositum diuinum cum sanguinem terminabat, vbi primum ipsius venas, & arterias ingrediebatur; similiter repetit Suar. tom. 3. in 3 part. disp. 51. sect. 3. docens in corpore Christi gloriosi plura receptacula, quæ ante mortem erant plena alijs rebus, nunc repleri sanguine ex purissimis humoribus.

QVIN-

De maternitate physica Deiparæ, & de dignitate morali Matris, & de gratia ipsi annexa.

VNio corporis, & animæ Christi ad Verbum, non est necessaria absolutè in genere ad munus, & officium Matris, quamuis ea omnino sit debita, vt Maria Deipara sit, & nominetur, quia corpus, & anima non subsistunt à concursu generantis. Cùm igitur vnio corporis, & animæ Iesu physicè sit eiusdem speciei in ipso, & cæteris hominibus, Maria, quæ generauit hanc vnionem verè dicitur, habere Filium hominem. Quoniam verò hic Filius, & Homo est etiam Deus, proprijssimè nominatur Mater Dei. Ad producendam hanc vnionem corporis, & animæ Iesu Scholastici plures dicunt Mariam habuisse verum semen, quo posset concurrere in dispositiones antecedentes natura, seu causalitate generationẽ Christi. Haymo apud Strabum ad Galatas 4. sic ait: *Factum ex muliere, id est semine mulieris opera Spiritus Sancti creatum*: Expresiùs Bonau. in 3. dist. 4. art. 2. quæst. 1: Magister prope finem eiusdem distinctionis, Maldonatus in 1. Matth. Cornel. in 12. Leuit. & plures alios retulit Puente Hurtado disp. 2. de generatione, qui à num. 49. vsque ad 56. producit multorũ testimonia, Hippocratis, Galeni, Vallesij, Peramati, Andreæ Laurentij, & aliorum.

Addunt alij virtutem immediatam, qua Maria potuit concurrere ad generationem substantialem Christi, non potuisse esse semen, nec potentiam accidentariam, sed substantiam animæ, vt vnitam corpori; itaut vnio sit conditio: sic censere debent quotquot cum Scoto, Gabriele, & alijs opinantur accidens se solo non posse producere substãtiã: varijs philosophandi semitæ varios in hac thesi producunt opinandi tramites: singulæ suas habent propositiones probabiles per se notas, id est, principia verisimilia, quæ validè non possunt impugnari: In omniũ sentẽtia concedendum est actu concurrisse Mariam ad generationẽ Christi, nec præuentam totã illius actionẽ ab agente superiori; alioquin habuisset se Maria, vt ignis Babylonic⁹, qui calorẽ potuit producere, nec tamẽ produxit: Quãdo verò Aristoteles, S. Th. & alij dixere

fœminam iu concipienda prole solùm passiuè iuuare, non crediderũt nihil omnino agere; alioquin, vt probat Scotus in 3. dist. 4. quæst. vnica, terra è qua fiunt vasa esset eorum mater, si illa viuerent. Ipsa definitio generationis, quæ est origo viuentis à viuente, per vocem *originis* ostendit, non eã fluere à causa materiali, sed ex illa. Quemadmodum mater efficit sanguinem actiuè, ita cum semine viri ipsum, & simul prolē elaborat; & concurrit fœmina in fœtum, & dispositiones, nõ minus, quàm vir. Dicitur nihilominus ab Aristotele, & D. Thoma passiuè iuuare fœminã respectiuè, quia pater sobolis nihil accipiat à fœmina, seu matre, sicut fœmina, aut materiã masculo. Verùm antequam mysterium declaretur, præponendum est monitum S. Bonauenturæ suprà, dicentis has tractationes, licet non sint frequenter ore voluendæ, nihilominus non esse prætereundas, cùm necesse est explicare mysteria.

1. *De exhibita materia à Virgine sanctissima pro formatione Iesu.*

Maria exhibuit omnes functiones Matris. Primò, constituendo materiam in matrice. Secundò, illam disponendo ad fœtum. Tertiò, inducendo animam Christi per productionẽ vnionis physicæ ipsius cum corpore, ob quam est à principio coniuncto. Quartò, actiuè concurrendo in prolem influxu materno. Hæc saltem quatuor præstitit Maria. Primò, exhibuit materiam; id est purissimum sanguinem, aut semẽ; nihil materiæ corporalis habuit Iesus in prima formatione, nisi à sola Matre, vnde ex hac parte præstitit totam materiam, illã etiam quam præbere debebat creatus Pater, licet non sub viriis seminis forma, aut substantia, si ea diuersæ naturæ est à semine, vel sanguine materno. Collocatio autem huius materiæ seminalis, vel sanguineæ Deiparæ, non iuxta morem naturalem peracta est, sed supernaturaliter quoad modum; scilicet, quia Maria per voluntatem fuit causa, vt imprimeretur impulsus in omnem materiam necessariam ad formationem Christi. Hoc impulsu accepto Deus concurrit ad præsentiam illius materiæ seminalis, aut sanguineæ producẽdam in matrice, cum ea medium spatium traijceret. Sic Christus in cœlo residens, accipit præsentiam in Eucharistia nullo in-

intercedente transitu per medium. Hoc intendit Ricardus in 3. dist. 4. art. 2. quæst. 1. docens Mariam decidisse semen. Iuxta hunc sensum prædicta materia seminalis, aut sanguinea Deiparæ in eodem instanti fuit, simul in duobus locis, quod supernaturaliter factum est, & idem numero impulsus, qui erat naturaliter in receptaculis formatiuis, extitit in eodem momento supernaturaliter in matrice, & fuit causa naturalis vbicationis, seu præsentiæ eiusdem materiæ in ipsa matrice, vbi Maria multò perfectiùs prædictam materiam informandam anima Christi collocauit, quàm cæteræ mulieres, vt optime dixerit, & persuadet Puente Hurtado in tomo de vita Christi, proximè in lucem publicam euulgando. Sic Eucharistia, & incarnatio, etiam quoad miracula, magnam habuere similitudinem. Dedit igitur Deus illi impulsui Deiparæ statim atque productus est vbicationem, vel præsentiã in matrice, quæ cùm esset naturalis in substantia, & supernaturalis in modo, potuit esse, & fuit à naturali potentia Mariæ: propterea non admittitur Suarij opinio tom. 2. in 3. part. disp. 11. sect. 1. dicentis hanc vbicationem, non potuisse emanare à naturali potentia Mariæ. Igitur Spiritus Sanctus habito cõsensu Mariæ impressit impulsum materiæ sanguineæ, aut seminali simul cum ipsa Deipara illam diuinitùs constituendo in matrice, concurrente impulsu Mariæ ad illam vbicationem, quem impulsum secum habuit prædicta materia, non transiens per medium, in quo situm fuit miraculum, non in substantia præsentiæ, aut vbicationis. Semen dum est in receptaculis formatiuis non titillat; nec dum est in matrice sentitur; integra titillatio oritur, vel ab attactu, vel traiectione successiua per vias communes, quæ in Virgine non fuit: vnde non potuit illa carnali aliqua delectatione tangi. Sunt nihilominus Medici, & Philosophi, qui etiã in prædicta successiua traiectione dicant, non esse sitam voluptatem, sed vt plurimùm comitanter annexam; in quorum sensu licet daretur in Deipara traiectio successiua per consuetos tramites, vt concedit D. Thomas 3. part. quæst. 33. art. 1. negaretur omnis voluptas carnalis, & sic forsan asse opinabuntur, qui dicunt de potentia absoluta, non posse idem corpus simul esse extensiue in duobus locis.

2. *De dispositionibus confectis à Deipara pro Dominica Incarnatione.*

Aliud munus maternum Deiparæ situm est in dispositionibus conficiendis. In alijs generationibus mater paulatim instruit materiam fœtus cum concursu seminis virilis: successio autem in producendis dispositionibus oritur ex resistentia contrariorum accidentium; nam vbi agens est satis applicatum, & passum sine contrario, in momento instantaneo inducitur forma ab agente, vt cõstat in homine. Spiritus Sanctus miraculosè corrupit in instanti omnia cõtraria, quæ erant in materia informanda per animam Christi priùs natura, quam esset generatio actiua Mariæ, & generatio passiua Christi; & hæc contrariorũ depulsio, nullatenus fuit à Deipara, sed à solo Deo. Præcedente igitur natura ea depulsione, ita vt in instanti, in quo formata fuit humanitas Christi per primum sui non esse nullum existeret accidens contrarium, secutus est integer organorum apparatus vno momento, in quem apparatum concurrit Maria in instanti actiuè naturaliter, quoad substantiam, quia ex miraculo priùs natura discesserat omnis resistentia contrariorũ, quæ in alijs generationibus vincitur successiuè. Sic ignis, si inueniat lignum omnibus contrarijs spoliatum miraculosè, naturaliter quoad substantiam, illud comburit in instanti, quamuis modus pendeat à miraculo. Nec vnquam materia informanda per animam Christi caruit forma substantiali; sed in eodem instanti, quo habuit spiritum rationalẽ Iesu, in corpore organizato fuit primum non esse contrariarum dispositionum, & formæ substantialis, cuius illæ erant proprietates; seu accidentia, non verò ante.

Ad perfectionem, & munus matris, vel ad essentiam generationis necessarium non est depellere contrarias dispositiones, & oppositas formas substantiales, quæ spectant ad terminum à quo; nam prædictus terminus extrinsecus est, & omnino accidentarius generationi; solus terminus ad quem producendus, aut vniendus essentialiter requiritur ad complendam essentiam generationis. Aristoteles non benè exponitur à nonnullis in 1. physicorum, cùm de priuatione loquitur, vt de principio generationis: non enim priuationis voce intelligit aliquid non positiuum, sed vltimam dispositionem

rea-

realiter positiuam præparantem ad formam recipiendã, seu propagandam: huius ratione materia dicitur priuata, id est, proxime idonea ad receptionem substantialis formæ, illamque exigens: terminus à quo non positiuus, nullatenus est principium entis naturalis, nec generationis ipsius; sola dispositio vltima positiua, quæ interdum vocibus priuatiuis, interdũ positiuis declarari consueuit ab Aristotele, dicitur nũc à pluribus philosophis priuatio. Quando igitur materia non est cum negatione formę subsequentis propter defectum dispositionum, sed cum priuatione, & aptitudine proximè illã recipiẽdi, quia est instructa vltimis dispositionibus, dicitur subiectũm aptum, & ratione earumdem dispositionum positiuarum est in potentia vicina, vt à producenda forma substãtiali informetur. Hæc, quæ ad inductionem formarum substantialium præcedunt tempore introductionem ipsarũ propter resistentiam, & contrarietatem deuincendam, non antecesserunt generationem Christi, quia Spiritus Sanctus miraculosè omnem resistentiam, & contrarietatem ablegauerat, quæ omnino accidentalis est ad generationem substantialẽ: hoc secundum munus maternum luculenter exposuit Puente Hurtado in prædicto volumine de vita Christi.

3. De generatione substantiali Deiparæ erga Iesum.

Tertium munus, quod præstitit Maria ad functionem maternitatis physicæ, fuit ipsa generatio substantialis, id est, productio physica humanitatis Iesu, quæ momentanea fuit, naturaliter subsequens vltimam dispositionem, quæ nullo tempore, nec momento fuit antiquior vnione animæ Christi cum corpore, id est hũmanitate. Hanc actionem, aut productionem præstitit Maria, vt cæteræ fœminæ. Itaque miraculum circa generationem humanam Christi, non versabatur in ipsa generatione, sed circa apparatũ organorũ, & corruptionẽ contrariorum, præter naturã, & suprà naturã. Peracta organizatione, & deuicta contrariorum resistentia, naturale est, vt eodem momento fiat generatio substantialis. In prima, & secunda functione circa modum exhibitionis materiæ seminalis, aut sanguineæ Virginis, illiusque collocationẽ in matrice, & circa momentaneam formationem organorum,

&

& dispositionum vincendo, & expellendo resistentiam contrariam, Deus suppleuit actiue, absque imperfectione concursum virtualem, in tertia autem functione, seu munere maternitatis, id est in productione, aut generatione substantiali humanitatis Christi, nihil suppleuit Deus miraculosè; nam Maria fuit causa secunda adæquate suam efficiens prolem, sicut cæteræ fœminæ; nō perfectius, quam illæ, cùm non cō currant ad organicam dispositionem, nec traiectionem seminis, nisi excitatæ à virorum congressu. Ex quibus fit maternitatem Deiparæ, vt se tenet ex parte ipsius physicè esse eiusdem rationis, cum maternitatibus aliarum mulierum, siue maternitas non sit distincta à matre, vt est principium quo, & substantiale proximum ad generandum, siue sit modus distinctus à substantia Matris; nam omnes causæ proximæ, à quibus per se pendet, sunt naturales, id est, substantia Mariæ, potentia generatiua ipsius, generatio actualis, terminus formalis, & immediatus, qui est humanitas, vel vnio animæ, & corporis Iesu: Verbum autem æternum est terminus remotus, vnio autem partium substantialium ad Verbum non spectat ad maternitatem, sed antecedit, vel subsequitur; nec fieri potuit à Deipara, nisi per potentiam obedientialem, sicut poterat à saxo, vel ligno; ex qua relatione fundata in potentia obedientiali exigua dignitas accresceret Mariæ, sicut nec saxo, nec ligno.

4. *De influxu materno Deiparæ, erga Iesum productum.*

Quarta functio, seu munus de influxu materno Deiparæ in prolem iam productam, vsque ad tempus partus sine discrepantia opinionum in confesso est apud antiquos Patres, & Doctores, quos vnanimiter sectantur Scholastici: quæ autem varietas est arbitrandi, versatur circa accidentales theses de situ, de numero membranarum, aut de absentia illarum, & alijs similibus. Maria metaphysico examine fuit Mater Christi, dum vterque simul vixere in vita mortali, & nunc post vtriusque Resurrectionem. In triduo mortis Christi vulgariter fuit Mater, non secundum metaphysicum examen, cùm Filius non esset. Et hanc fuisse grauissimam materiam dolorum Virginis post necem Iesu, luculenter expendit

dit Siliceus Archipiscopus Toletanus super Magnificat, & Salue Regina, quod scilicet tunc non esset Mater. Dicitur autem Christus singulariter conceptus de Spiritu Sancto, quamuis æquè ad illius formationem concurrerent duæ aliæ personæ, id est, tota Trinitas, primò propter appropriationem sanctificationis, quæ attribui solet tertiæ personæ: deinde, quia multa sunt patrata miracula, quæ nuper retulimus, & eidem personæ per similem appropriationem miraculosæ operationes deferuntur, singulariter illæ, quæ filiorum genituram spectant: vnde initio conditi orbis dicitur de Spiritu Sancto, iuxta expositionem plurium, quod incubaret super aquas.

5. *De qualiam Sacerdotali perfectione Deiparæ.*

Habuit iuxta præmissa Sacerdotalem quodammodo perfectionem Deipara, quoad vim conficiendi aliquando corpus Christi per operatorium sermonem: nam Verbo, & sanguine suo fecit Verbum hominem: sunt tamen nonnullæ prærogatiuæ in hac generatione, quæ in Eucharistiæ confectione non reperiuntur. Nam in Eucharistia, nihil manet substantiæ panis, at in Christo manet sanguis Deiparæ eo sensu, quo in parte quarta harum tabularum expendebatur: deinde accidentia panis in Eucharistia permanent, non tamen in corpore Christi; at plura accidentia in materia prima sanguinis, & lactis Deiparæ inhærentia manserunt in Christo, eumque fouerunt. Tertiò, plures partes acceptæ à Maria, Christo resurgente, ipsi sunt restitutæ, quæ nunc in Eucharistia perseuerant; at nulla pars substantialis panis in eodem Sacramento inuenitur. Pleraque ex ijs quarta parte illustrantur.

6. *An Matripatrium probabiliter Mariæ possit attribui in generatione Iesu.*

Theologicè, ex D. Damasceno scripsit S. Thomas, materiam generationis corporeæ Iesu Christi fuisse purissimum sanguinem, prout excludit impuritatem libidinis, & vitiosum, & corruptum humorem, qui singulis mensibus excernitur. Præbuit sanctissima Virgo, id omne, quod requiritur

ad

ad veram rationem Matris. OKamus in 3.q.3. Gabriel ibidem dist. 4. q. vnica. Scotus allegatus à Puente Hurtado dis. 2. de gener. sect. 6. quos ipse sectatur, docent patrem nunquam actiue concurrere, nec per substantiam propriam, nec per semina em ad productionem filij, sed solam fœminam actiue concurrere. Basolis in 3. dist. 4. q. vnica hæc scribit: *Mulier est principium effectiuum generationis, & non ipse vir, vel oportet omnino recurrere ad Deum, vt ad causam efficientem ipsius generationis, quod tamen non videtur necessarium. Quod autem vir non sit causa effectiua generationis, patet: quia sicut dictum est suprà, accidit quòd sit, quando generatur fœtus; nec potest dici, quòd mediante semine, vt dictū suprà. Et ideo dictum est in secundo, quòd oportet recurrere, quantùm est ex parte viri ad Deum.* Ex hac Philosophorum, & Theologorum sententia inferunt nonnulli necessariò dicendum sanctissimam Virginem omnem concursum paternum, & maternum exhibuisse ad generationem Filij: nam cū Pater non concurrat actiuè, nec per propriam substantiam, nec per seminalem, sed solum subministrando materiam formandi fœtus, & hanc materiam integrè dederit Maria, vt notum est, & omnes profitentur, manifestè coguntur prædicti Auctores ad affirmandum Deiparam omnem paternum concursum immediatum præstitisse ad formationem humanitatis Christi. Hi Doctores fortasis allegabunt pro se Diuum Anselmum sermone de Assumptione, qui incipit *Eminenter*, cuius verba refert Paludanus in 3. dist. 3. quatenus appellat Mariam Patrem, & Matrem Iesu. Quod Albertus Magnus in summa, tractatu 13. q. 80. modū assignat, quo Adam principium Euæ esse potuerit non solùm, vt Pater, sed etiam vt Mater, difficilius intellectu est, quam quod prædicti Auctores scribunt in ea via philosophandi, Mariam ad productionem Filij omnem concursum paternū, & maternum præstitisse: qui consequenter statuent miraculosum Spiritus Sancti concursum in eo situm fuisse, vt Maria eam materiam dederit, quam Pater exhibere debuerit: item in eo quòd vnico contextu, & momento corpus Christi formauerit, organizaueritque: item in eo, quòd vnionem hypostaticam humanitatis cum Verbo Æterno fuerit operatus: non in eo quòd Maria integre effecerit vnionem corporis, & animæ Iesu, cum eam omnes aliæ matres integrum

con

concursum effectiuum præstantes, causare soleant.

In opinione eorum, qui existimant Patrem creatum actiue immediatè concurrere per virtutem instrumentariam, dumtaxat ad generationem Filij; audio nonnullos sequentes propositiones, & confirmationes statuisse. Dicunt in eius purissimo sanguine subiectiuè receptam esse facultatem generatiuam ordinis naturalis secundùm substantiam, quam ibi Spiritus Sanctus collocauit; quoad modum verò miraculosè, & supernaturaliter inditam fuisse Mariæ, vt viri opus eiusdē Spiritus Sancti nomine suppleret, ipsa tamen virtus agens vices viri naturaliter operata est, & generauit vnionem corporis, & animæ Iesu, tamquam ab Spiritu Sancto, qui in radice illam miraculosè subministrauerat, quod ijs verbis exponit Canisius lib. 3. cap. 13. Spiritus Sanctus mirificam virtutē Dei hominis susceptiuam, simul & generatiuam Virgini subministrauit. Maria cooperata est, vt vera Mater, propter quam generandi normam per virtutem à se, vt vera Mater, & per virtutem in se inhæsiue ab Spiritu Sancto creatā; pia illa nomenclatura sancti Anselmi nuper relata Matripatris, aut Patrimatris tribuitur sanctissimæ Virgini à Doctoribus antiquæ ætatis. Quod si Spiritus Sanctus præter illam virtutem inhæsiuè receptam in purissimo sanguine Virginis, aut in ipsius semine (quod vt ait Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 10. sect. 1. probabile est Mariam sine vlla deordinatione ministrasse pro formatione corporis Iesu) aliam dedit facultatem generatiuam producendi sanguinem pro ificum naturalem, quoad substantiam, & miraculosam quoad modum, pleniùs adhùc hoc nomen consentit. Non credimus Galeno docenti in lib. 2. de semine (apud Peramatū in appendice de eo quod naturale, aut miraculosum fuit in conceptu, & ortu Christi) fieri posse, vt humana fœmina ex se nullo externo auxilio accedente generet sine viro naturaliter, & si ea humanam, & rationalem prolem in finem, vsque gestationis vteri alere nequeat. Id certè credere non licet; opinamur tamen potuisse Deum ab initio, sic formare fœminas, & eius qualitates disponere, vt naturaliter, veluti apes, & pisces, sine alterius coitu generarent, & fœtum in finem vsque perducerent: & tunc naturaliter essent Matripatres, non secus, atq; apes; verum nunc supposita hac serie creationis, & hac lege Dei libera circa constitutionem temperamentorum, nulla

fœmina concipere naturaliter potest humanam prolem sine auxilió viri. Quemadmodum homini potuit ab initio esse naturale, vt singulæ manus quinis, aut senis, aut pluribus digitis instruerentur: verum nunc si quinarium numerum excedant, præter naturale, aut violentum, aut monstrosum est iuxta præsentem seriem, quamquam fœminæ humanæ ab initio potuerit esse naturale cum viro, aut sine illo concipere; verum supposita hac serie, & contextu creationis, sine viro absque miraculo concipere non valet.

Nullum e animalibus, quæ Matripatria ab Aristotele nominantur, vel ex illis, quæ diuinitus Matripatria esse possunt in præscripto sensu, nomen Hermaphroditi sortiri valet, nisi per crassum errorem, tùm Philosophiæ, tùm Græcæ, & Latinæ linguæ, nam pro Matripatrio vnus dumtaxat debet esse sexus, pro Hermaphrodito duplex. Probamus, & pro conclusione nostra ponimus verba illa Vincentij Burgundi lib. Texto speculi Historialis. *Miraculosè fuit excitata virtus generatiua in Virgine, scilicet Spiritu Sancto operanrante, qui superueniens in eã dedit ei virtutem (scilicet creatam qua immediatè faceret decisionem, consolidationem, conuersionem conformationem corporis Christi: sic plenius seruatur ratio Matris in Virgine.* Iterum ibidem *Plenius fuit Mater Christi Maria, quàm queuis alia mater.* Eo sensu, quo a Diuo Antonino 4. p. summæ, tit. 15. cap 41. dicta sunt illa verba nomine sanctissimæ Virginis, *Ego sum Mater, & Pater eius, quia non alium patrem habet in terris*; in eodẽ à nobis dicuntur. Ex familia seraphica considera verba illa sancti Bonauenturæ in 3. dist. 4. q. 1. *Non minor fuit potentia in Virgine, quàm in alia muliere, imò multo maior, quia potentiam naturalem, & supernaturalem habuit*; scilicet quoadmodum, & ibidem q. 2. *generatiua potentia in Virgine fuit excitata ab Spiritu Sancto, & fuit suprà possessiuum eleuata. & ideo Virgo Maria potentiam habuit supra naturam, & potentiam secundum naturam. Spiritus Sanctus non abstulit operationem naturalem à Virgine ipsi collata fuit virtus suprà naturam.* Iterum ait. *Melius sentire videntur, qui dicunt, quòd Beata Virgo habuit virtutem sibi diuinitus datam per quam adminstrauit materiam illi conceptui, materiam inquam, quæ non solùm habuit rationem materiæ, siue potentiæ passiuæ sed etiam sufficientiam, & virtutem ad prolis*

is productionem. In quo sensu videre licet, quid dici queat de possibili: similiter ibidem addit. *In vltima forma inductione cooperari potuit Maria Spiritui Sancto, pro eo quòd vltima forma in instanti potest induci à natura, vel virtute creata.* Palacios in 3. disp. 4. infert, quòd si Maria habuisset integram vim actiuam diuinitùs communicatam, fuisset Pater: alij credunt non esse legitimam argumentationem ad paternum nomen; esse tamen firmam pro Matripatrio. Certè S. Dionysius Alexandrinus ad quæstionem 10. sic ait *Genitum Verbum ex Paradyso Virginali habente omnia.* Quæ verba deflecti possunt per aliqualem verisimilitudinem ad statuendum Mariam omnem diuinitus virtutem accepisse ad generationem humanitatis Christi. S. Maximus Dominica in Ramis exemplo Matripatriorum vsus sic ait. *Vermis nulla extrinsecus admixtione alicuius corporis de sola, & pura terra procreatur: sic & ipse Saluator de sola, & pura terra procreatur.* Quæ etiam verba ad idem intentum verisimiliter existimāt nonnulli posse allegari. Hæc verba, & alia eiusdem coloris in scriptoribus innumeris familiæ Prædicatorum, & Minorum, siue intelligantur de potentia creata indita Virgini ad producendum sanguinem prolificum, siue de potentia inhæsiue existente in purissimo eius sanguine, siue de vtraque simul (quæ tria valdè à nonullis creduntur verò similia) eminentiam Matripatris, sanctissimæ Virgini deferunt, quam Patres, & Scholastici declarant, Mariam in Cōceptione Filij apibus, & alijs Matripatribus viuentibus cōferentes, vt his verbis serm. 2. de Annuntiatione loquutus est Iacobus de Voragine Dominicanus. *Spiritus Sanctus Virgini dedit virtutem generatiuam, Virgo concepit, ideo assimilatur api.* Spinelus in throno cap. 32. similibus exemplis animalium Matripatriorum, quæ sine concubitu generant, velut integræ causæ declarat maternitatem Deiparæ. Quoniam libri contra gentes post summam Theologicam a D. Thoma sunt editi, vt graues Doctores opinantur, & ipse in libro 4. capit. 45. explanat sacrum Incarnationis mysterium iuxta sententiam Medicorum asserentium matrem actiuè cōcurrere ad generationem Filij: & eundem concursum actiuum tribuit sanctissimæ Virgini ad Conceptionem Iesu, vt ibidem Ferrara declarauit, hanc sectantur alij, vt Medicinæ Theologiæ, & Mariæ dignitati magis conformem, & vt po-

stre-

ftremam Doctoris Angelici mentem supremo testamento firmatam. In natura est series animalium, quæ solum habent virilem sexum, & propterea sine fœmina necessario generēt, vt Scarabeus: Suidas, plurimique alij veteres semen emittere Scarabeum in fimum bubulum aiunt, & ita pedibus agitare donec fœtus procreetur. Corroboratur idem Clementis Alexandrini testimonio 5. Strom. Accedit Ælianus lib. 9. Histor. cap. 16. Admirantur ideo alij Plinium, lib. 11. cap. 20. dicentem Scarabeorum videri coitum: alia videbis miranda apud Plinium lib. 30 cap. 11. Plutarchum, & Celium Calcaginum lib. de Iside, & Osiride, Eusebiū lib. 5. de præparatione Euangelica cap. 3. Ælianum, Diogenem Laertium, & alios. Verùm qua ratione naturaliter Scarabeus est Pater, aut Matripater sine fœmina, cuius sexus in eius specie reperiri nequit, sic ex miraculo in natura humana posset esse Pater sine coitu cum fœmina, in quo non est ea contradictionis implicatio, quā opinantur nonnulli Theologi. Comparatio, quam instituerunt S. Ambrosius in 23. Lucæ. S. Augustinus in soliloquijs, & alij inter Christum Dominum, & Scarabeum, eò præcipuè tendit, vt in humana generatione ab vno tantùm indiuiduo genus accepisse, constet ex superueniente virtute Spiritus Sancti, vt prædicti, existimant. Promouet & fouet has probationes, quod scripsit Ripalda to. 1. de ente supernaturali disp. 31. ita agens de natura causæ principalis, & instrumentalis, vt Maria dici queat ex illis principijs causa principalis per virtutem acceptam à Spiritu Sancto.

Scripturæ Æterno Patri, & concipere, & parturire, & vtero gestare tribuunt; ideò nonnulli Matripatrem nominarunt, non Matrem: nam hæc vox seorsim sumpta ipsi non cō uenit, vt probat Augustinus 15. de Trinit. c. 27. & 3. contra Maximinū cap 14. & Ricardus 6. de Trinit. cap. 4. 5. Similiter aiunt nonnulli, Maria dici nequit absolutè Pater Iesu; verū vt aiunt Sherloquius Anteloquio 5. sect. 2. Baeza non semel, & alij, appellari potest Matripater. Adduunt alij nihil esse nouitatis in prædictis etiā quoad voces. Præterea quāquā in rebus Theologicis nouitas sit vitanda, vt firmat Radulphus lib. de Canonū obseruantia, propos. 6 tom. 6. Biblioth. nullū forè incommodū, si nouæ voces inueniantur his conditionibus seruatis, quas assignat Ruiz disp. 21. de Trin. sect.

3.

3. probans hanc nouitatem esse necessariã virtutem Theologorũ. Latisſimè id persuadet Muretus lib. 15. variarum lectionũ c. 1. Quæ omnia recitatiuè, inquisitiuè, & examinatiuè proponũtur. Simul innotescet, an quæ Grabriña in deposito pag. 456. & sæpe alibi, præsertim tom. 3. præscriptionũ parte 1. cõtra Matripatrium scripsit, probent quæ intendit.

7. *De dignitate morali maternitatis Deiparæ ex generatione Iesu.*

Maternitas Deiparæ in concreto includit physicè perfectionem infinitam, quia Mater Dei, vt Mater Dei est, formaliter includit Filium Deum, & licet in obliquo Deum cõtineat, ipsum tamen formaliter, & quasi partem relationis in concreto claudit. Quemadmodum candidum in obliquo formaliter includit candorem: vna solùm differentia est, quod candor intrinsecus sit candido subiecto, Filius autem extrinsecus est personæ Matris. Quamuis igitur dignitas hæc physicè sit extrinseca sanctisſimæ Virgini, considerato termino, est tamen intrinseca moraliter; atque hanc quidem moralitatem nunc contemplamur. S. Thomas 1. parte quæst. 25 art. 6. ad 4. ait Mariam ex maternitate esse cum quadam infinitate, ratione cuius non potest esse aliqua creatura sublimior; qui sic exponendus est, vt non solùm non posſit esse melior Mater, sed nec etiam posſit esse melior mulier. Si admittatur posſibilis infinita gratia, & ea Deiparæ concedatur cum Epiphanio, & alijs dicentibus Mariæ gratiam esse immensam, non posset in puris creaturis (etiamsi supernaturales substantiæ concederentur) alia esse melior, quàm Maria, vt constat. Deinde si iuxta mentem Scoti, Durandi, & aliorum datur vltimus terminus gratiæ, qui etiam de potentia absoluta præteriri non posſit; probabile est hunc habuisse Mariam, atque adeo, nec meliorem aliam creaturam excogitari posse. Demum si probabile sit gratiam infinite in actu intensam cathegorematicè esse posſibilem, & simul etiam probabile sit Mariam habuisse totam gratiam cathegorematicè posſibilem, in horum sensu probabilis erit infinitudo gratiæ Mariæ. Hæc solùm ex hypothesi, & recitatiuè producũtur; sed aliter hæc thesis probatur, & declaratur à simili. Vnio hypostatica ad Verbum non solùm est optima ratione termini, sed in se etiam est optimum bonum, ratione cuius humanitas Christi non solùm est

op-

optima in ratione subsistendi; sed etiam absolutè, & hæc illi conuenit prærogatiua ratione termini, quo subsistit: ergo similiter Maria, non solùm est optima Matrum in ratione matris, sed optima inter puras creaturas ratione maternitatis, cui moraliter ad dignitatem est intrinsecus filius Deus, licet physicè sit extrinsecus ipsi. Est igitur maternitas Deiparæ in genere æstimationis infinita. Cum momento Christi generatio fuerit peracta, & omnis apparatus dispositionum fuerit in instanti, non potuit sanguis Mariæ priùs corrumpi, & accipere aliam formam; quæ nec esset Christi, nec de integritate Deiparæ, sed immediatè ex parte actuali Mariæ transijt in Christum. Ideò multò nobilior est Mater Domini, quàm aliæ suorum Filiorum, cùm illarum sanguis priùs corrumpatur, quàm excipiat animam prolis. Ex hoc munere oritur æstimatio moralis, vt Mater sit in eodem honore Filij, vel ad illum accedat, & in Filio oritur naturalis obligatio prouidendi Matri. Hęc est radix, vnde à Christo collata sunt Deiparæ cumulatissimè suprà omnes puras creaturas vnione hypostatica carentes, beneficia, priuilegia, & gratiæ. Consonat doctrina S. Thomæ in 3. dist. 22. quæst. 3. art. 3. & 3. p. q. 25. art. 5. & in cap. 7. Isaiæ. Ad hanc excellentiam commendandam plura dedit Suarius integro tom. 2. in 3. par. præsertim disp. 1. sect. 1. Ricardus de S. Laurentio in libris de B. Virgine. Anselmus libro de excellentia Virginis ad principium, & cap 2. Bernardus latè Homil. 1. super Missus est, & omnes ferè Doctores. Hæc vnio ex maternitate Deiparæ cum ipso Deo est optima, quæ excogitari potest in creaturis puris. Vtrum autem charitas, visio beata, & gratia non sint tam bonæ, quàm maternitas Virginis Mariæ, quæstio est non necessaria, cùm constet prædictæ maternitati debita esse omnia hæc bona, aliaque ipsis connexa. Tota dignitas Matris vniuersum cumulum bonorum exposcit. Si maternitas Deiparæ priuaretur suis effectibus, & ipsa Deipara ex suppositione impossibili permissa fuisset labi in peccatum mortale, & in æternum damnaretur, non esset melior proximè, quàm gratia, & visio beatifica, sicut si Christus, vt homo priuaretur visione Dei, non esset tam Beatus, ac sanctus Michael, radicaliter tamen beatior esset, quòd radicem haberet postulantē beatitudinem maiorē. Verum, si accipiatur maternitas Virginis moraliter, & remotè, vel absolutè, & proximè, vt de facto

-cto collata fuit, melior est, quàm gratia, & visio beatifica: cù hæ non sint titulus, cui debeantur multæ prærogatiuæ, quæ debentur Matri Dei, quia Mater est cum cumulo effectuum, & donorum sibi ex quadam obligatione erogandorum. Dignitas Matris physice dumtaxat loquendo, solùm est extrinseca de nominatio Mariæ, gratia sanctificans, & visio beata physicè sunt intrinsecæ eidem Virgini, quarum altera sanctificat, altera beat. Sola maternitas proximè, non reddit illam sanctá, nec beatam, at radicaliter, & remotè postulat immensitatem gratiarum, vt hyperduliam, & impeccabilitatem, & supremã intra Deum adorationem, & alia huius generis, quæ nulli puræ creaturæ debentur. Quapropter parum refert, quod gratia, & visio beatifica sint meliores proximè, quam maternitas Dei physicè solum considerata: nam eadem maternitas remote, & radicaliter, & in statu debito multo est melior gratia, & visione beatifica cuiuslibet puræ creaturæ, illasque præmisso modo radicaliter, & virtualiter cum maxima excellentia cõprehendit. Semper in ijs collationibus omnes titulos maternitatis Dei conferre debemus, quorum ipsa radix est, & origo.

8. *De impeccabilitate Mariæ ex dignitate Matris Dei.*

Ex dignitate Matris colligitur à pluribus Mariam ita fuisse impeccabilem, vt non adfuerit ei physica potestas ad peccandum; licet enim per gratiam habitualem, quæ fide mouetur, communem cum nostra, non fuerit ab intrinseco impeccabilis, in quo tantùm sensu intelligendum esse docet S. Thomam dicentem peccare potuisse, verum per aliam gratiã habitualem diuersæ speciei, quæ duci nequit actibus fidei ad eliciendos actus voluntatis, sed scientia per se infusa, docent Mariam ab intrinseco redditam moraliter post Incarnationem, saltem impotentem ad peccandum, & simul etiam ab extrinseco physicè: siue hoc modo, siue alio res euenire potuerit, intentum probant, quia titulus Matris obligat Filium, & Christus non poterat, non optimi Filij legibus satisfacere, debebat igitur prouidere non solùm, ne Maria peccaret, sed etiam, vt multò esset purior Beatis. At Beati, nec actu, nec habitu, nec potentia possunt præuaricari, ergo idem priuilegium, licet ex alijs fontibus natum Mariæ collatum fuit, ne illa exponeretur discrimini de seruitute Diaboli, & pec-

peccati. Maxima puritas natura sua exigit impotentiā peccandi, & recessus à peccato per impotentiam delinquendi ad puritatem pertinet. Hanc doctrinam intelligunt per sensum compositum, iuxta quem aiunt Mariam, nec de potentia absoluta peccare potuisse; nam licet in sensu diuiso, & damnari, & delinquere potuisset, sicut in eodē sensu prædestinatus damnari posset, verum qua ratione hic in sensu composito damnari nequit, ita nec Mater Dei in eodem sensu cōposito peccare valet. Hanc impotentiam prævaricandi possibilem fuisse in Virgine, docuit Vazquez in 3. par. disp. 120. cap. 2. Rationem addunt primò, quia videns Deus maternitatem esse quasi formam repugnantem peccato, cū vult maternitatem virtualiter, saltem amat eam repugnantiam: declaratur, cùm Deus vult infundere gratiam habitualē, quā noscit esse incompossibilem cum peccato lethali, videns gratiam, eligit eam repugnantiam eidem peccato. Filij adoptiui Dei possunt, si grauiter peccent, non esse Filij, & hæc filiatio est metaphorica; quod si essent natura es filij Dei, non possent peccare: at Maria est Mater naturalis, nec vlla ratione amittere maternitatem possibile est, nec componere maternitatem cum peccato mortali; nam hæc dignitas destrui nequit. Ad probandum Deiparam esse impeccabilem venialiter non æquè efficaciter vrget hoc argumentum; posset tamen verisimiliter ex alijs motiuis idem persuaderi. Deinde probant ex eo, quod Christus nequeat peccare; vnde faciunt, quod si Maria delinqueret, ipse Iesus contra pietatē peccaret, non obseruando leges de prouidendo Matri, præsertim in ijs, quæ ad æternam salutē sunt necessaria. Supposito, quod filiationem elegit, id est, voluit esse Filius Mariæ, tenetur erga illam præceptis obseruantiæ, & pietatis, quæ nullatenus opponuntur excellentiæ diuinæ, quando fundamētū libere eligitur à Deo, vt quod teneatur ex promissione conferre beatitudinem; esset autem contra ipsius excellētiam, si absolutè absque libera pollicitatione eam impendere teneretur. Prædicta argumenta non infirmātur, ex eo, quod quis inferat illis probari Christum non potuisse permittere peccatum auorum, est enim magnum discrimen, quia Pater, & Mater sunt principium proximum filiorum, quibus immediate coniunguntur, cùm tamen aui, & proaui sint principiū remotum nepotis, in quo nihil est auorum, & proauorum: & de

de his longè aliter scripturę, & Patres loquuntur, ac de immediatis parentibus. Promouent huius rationis vim amor frequens Mariæ, assidua contemplatio, inclinatio habituum, summa tranquillitas, absentia fomitis, recta corporis tēperantia, quæ moralem peccandi impotentiā adducebant. Tertiò, prædictam doctrinam confirmant auctoritate S. Anselmi ab omnibus Scholasticis laudata, & approbata, qui censuit Matrem Dei ea puritate nitere debuisse, qua maior alia infrà Deum cogitari non valeat; sed si Maria mortaliter, aut venialiter peccare potuisset, alia maior puritas concipi posset infra Deum, scilicet impossibilitas peccandi, quæ in sensu cōposito adest beatis; ergo ne id admittamus contra Anselmū, & omnes Scholasticos, dicere oportet, Matrem Dei omnino impeccabilem in simili sensu. Iusti iuxta multorū Theologorum sententiā peccare nequeunt in sensu coniuncto, ergo nec Mater Dei, licet enim maternitas, non sit forma sanctificās, nec intrinsecè, & physicè pugnans cum peccato, est tamē radix, cui debeatur talis prærogatiua. Si infinita gratia possibilis esset, & Mariæ adscriberetur, non inde sequeretur æqualem esse Filio; nam hic substantialiter sanctificatur diuinitate, & vnio hypostatica est substantiale complementū ad hominem Deū constituēdum, & ab eo nec diuinitus posset auferri impotentia peccandi; at sanctitas Virginis est accidētalis, nec intrinsicè physicè pugnans cum peccato. Tandem etiamsi in opinione plurium Theologorum omnia peccata mortalia sint infinitæ malitiæ, maius est peccatum odij Dei, quàm violationis ieiunij præcepti, ergo etiamsi Maria haberet infinitam gratiam accidentalem, posset Christus alias infinitè intensas accidentales gratias saltē diuersæ speciei possidere, ex quibus infinite superaret gratiam infinitam Virginis, vt in progressu referetur iuxta sensum nobilium Theologorum docentium esse possibiles habituales gratias diuersæ essentiæ. Nihilominus gratiam infinitam Mariæ non tribuimus, sed dicimus esse infirma argumenta nonnulla, ex quibus ipsi denegatur.

9. *De cumulo gratiæ Mariæ debito ex materno munere.*

Dignitati Matris Dei maior debetur cumulus gratię, quàm omnibus creaturis simul: id probatur ex principijs Abul. in cap. 14. Matth. q. 33. nā licet gratia nulli sit debita,

ea tamen tribuenda Mariæ debito quodam excellentiæ immixto maternitati, quod est titulus condignatis, non excludens rationem beneficij: dignissimum vtique est Matri conferri à Filio excellentissimas prærogatiuas, eas præsertim, quæ spectant optimum illius statum, & præseruationem à culpa. Puræ creaturæ nullum habent titulum ad gratiam, nisi cum, quæ ex vno opere gratiæ nascitur ad aliam gratiam; at Maria optimum habet titulum ad maximam gratiam, quia Mater est Dei, licet enim relatio ipsius esset accidens naturale respectiuum Filij, includit tamen aliquid supernaturale, vt terminum ex quo simul cum fundamento relatio consurgit. Hoc titulo, & quasi debito est optima Deipara inter puras creaturas possibiles, cùm ea sola ad maximam gratiā titulum possideat. Quod si alteri fœminæ maior conferretur gratia, qua Dei potentia non adstringitur ex necessitate titulis maternitatis, cùm de potentia absoluta posset de illis non curare, tunc Maria esset minus sancta actu, & per accidens, per se autem omnibus multo sanctior esse deberet, si leges maternitatis seruarentur; itaque absolutè, & per se, & quasi ex debito Mariæ sanctitas omnium creaturarum gratiam superare debet, itaut seruato titulo maternitatis nulla possit ab omni potentia diuina dari maior gratia.

10. *An Maria maximam gratiam possibilem sit adepta.*

Cùm Christus, vt homo sit maximum obiectum complacentiæ Dei, proprium ipsius priuilegium est de facto habuisse maximam gratiam possibilem: in opinione Scoti, Philippi Fabri, Nazarij; & aliorum, quos refert Puente Hurtado disp. 147. supra 2. 2. arbitrantium accidentalem gratiam habere terminos certos, vltra quos diuinitꝰ augeri nequeat, gratia Christi erit finita, licet ei collata fuerit omnis, quæ est possibilis. Eundem gratiæ cumulum tribuit Mariæ in 3. dist. 3. q. 2. Almaynus supponens tria principia: primum non esse possibilem supernaturalem substantiam; secundum non esse posse gratias sanctificantes specie diuersas: tertium Mariæ tantam esse gratiam, vt maior esse nequiuerit de potētia absoluta. Hæc sentētia Almayni à nemine damnatur, nec propterea sequitur in eo genere æqualem fuisse Christo, si alia quædam opinio, cui non adhæret hic Auctor, præeligatur: qua Iesus præter sanctitatem substantialem, non graduatē,

 ha-

habuit aliam gratiam accidentalem specie distinctam, vel cum lumine gloriæ identificatam, vt anima sensitiua identificatur cum vegetatiua, vel diuersam ab ipso lumine, at quæ duci non posset ad eliciendos actus voluntatis per fidem, neq; per scientiam per se infusam, sed per lumẽ gloriæ. Hac ratione amor Christi, licet esset æqualis gradualiter cũ amore Mariæ, esset tamen essentialiter melior, & simul etiam intensiuè maior, quia quo perfectiores qualitates sunt, maiorem intensionem capiunt, cùm profundior intẽsibilitas pertineat ad perfectionem altiorem.

11. *Maria etiam adepta est gratias alias habituales diuersæ speciei suprà alios iustos ex dignitate Matris.*

Maria saltem ab instanti Dominicæ Incarnationis præter gratiam habitualem communem cæteris viatoribus, qui ducuntur per fidẽ ad eliciẽdos actus supernaturales amoris, habuit aliam gratiam specie distinctam identificatam cum scientia habituali per se infusa, quæ esset prima radix omniũ accidentium supernaturaliũ, & immediata, & adæquata causa in suo genere actuum amoris consequentium scientiã per se infusam; huic gratiæ repugnabat vti habitu fidei, cũ omnes ipsius actus essent euidentes. Libertas verò habituũ prædictæ gratiæ non poterat esse in assensibus, quia omnes erãt necessarij propter euidentiã, sed tantũ sita erat in amore charitatis, & in alijs quibus aderat physica libertas. Probatur hęc doctrina supponendo ex opinione Iacobi de Granados, & aliorum Theologorũ prædictã gratiam specie diuersam à cõmuni nostra esse posibilẽ, vnde fluit argumẽtũ. Decuit Christũ nasci ex Matre habente maiorẽ puritatẽ, quæ infra Deũ, & naturã creatam Deo hypostatice vnitã potest excogitari, vt ex Anselmi, & Bernardi, & omniũ Scholasticorũ sententia; & ratione moraliter euidenti certũ est; sed hæc puritas proueniens ex gratia habituali identificata cum habitu scientiæ per se infusæ, est maior, quàm omnis gratia, quæ ducitur per fidem ad eliciendos actus amoris, & minor puritate Christi, vt inferiùs declaratur, illa igitur Mariæ est attribuẽda. Huic placito libentius succurrent, qui dicentes solã maternitatẽ non esse obiectum adorationis supernaturalis, vtpote si per impossibile Deipara in æternum damnaretur, docent simul dignam esse nunc adoratione supernaturali meliori, quàm aliæ puræ creaturæ, & de facto esse, & fuisse obiectum hyper-

dnliæ,

duliæ,qua ab Angelis fuit adorata; vnde fit maternitatem cũ sibi debitis,& connexis esse connaturale fundamentum morale sanctitatis excellentioris diuersæ speciei,ratione cuius, quando Angeli Christum latria adorauerunt,simul hyperduliæ cultu Mariam honorarunt. Ipsa immediatè ante Incarnationem Dominicam accepit hanc gratiam habitualem identificatam cum habitu scientiæ per se infusæ;nam licet in præuisione dicta gratia posterior sit Incarnatione, vtpote eius effectus,quoad executionem tamen anticipauit illam Deus, vt Maria magis idonea esset tanto mysterio, quemadmodũ multa præmia Christi fuere tempore priora meritis ipsius; sed causalitate posteriora. Sic optimè intelligendũ Deiparã per hanc gratiam excellentioris essentiæ,quam nostra,termi nasse hyperduliam specie distinctam ab ordinaria dulia Angelis,& hominibus sanctis debita; maternitas enim debet esse cum hac gratia in essentia meliori,ad cuius obiectum nobilius specie terminatur habitus per se infusus etiam specie distinctus,iuxta communem doctrinam de distinctione habituum per obiecta,quæ spectant. Consequẽter Mater Dei est obiectum amicitiæ,seu charitas moralis distinctæ speciei ab amicitia,& charitate morali communi,nam iusta, & sancta est per iustitiam,& sanctitatem specifice nobiliorem, & excellentiorem. Similiter Christus,vt homo propter vnionem hypostaticam est obiectum charitatis, & amicitiæ melioris, quam cæteri iusti,& Maria. Christus Deus similem aliam habuit gratiã habitualem identificatam cum scientia per se infusa,& præterea aliam excellentiorẽ diuersæ speciei identificatã cum habitu luminis gloriæ,quæ nulli rationali creaturæ etiam Matri Dei potuit esse connaturalis. Probatur,quia hæc gratia est possibilis,& si possibilis est debetur humanitati Christi. Prima pars de possibilitate suadetur, primo, quia nõ repugnat species quædã sanctitatis idẽtificata cũ lumine gloriæ,charitate,& alijs habitib⁹ per se infusis, quæ sine vllo habitu ex ijs,qui nunc sunt,immediatũ sit principiũ amoris,& visionis Dei. Declaratur,& cõfirmatur,quia lumẽ gloriæ Angelorũ,& Beatorũ conuenit cũ essentia Diuina in ratione intellectuali potẽte immediate elicere visionẽ Dei, & gratia habitualis eorundẽ in via cõuenit cũ ipso Deo in ratione cui debeatur cognitio Dei,& amor supernaturalis, & visio suo tẽpore reddẽda,sed hæc duo prædicta nullã habent

im

implicationem contradictionis, vt identificetur cũ alia qualitate: ergo potest esse gratia, quæ idem sit re cum lumine gloriæ. Exponitur doctrina exemplo: nam datur anima vegetatiua in plantis, & anima sensitiua in brutis, quæ simul sit vegetatiua; & anima rationalis in homine, quæ simul sit vegetatiua, & sensitiua: ergo similiter dabitur gratia habitualis communis omnibus iustis, sine alio prædicato essentiali, & alia gratia habitualis identificata cum habitu scientiæ per se infusæ; & tertia, quæ idem sit cum habitu luminis gloriæ, aut cum specie impressa Dei, si hæc non differt à prædicto lumine. Deinde suadetur, quia ex plurium sententia potentiæ vitales re non differunt à substantia viuente, vt intellectus, & voluntas ab anima: ergo facilius est concedere eandem sanctitatem simul esse lumen gloriæ, vel habitum scientiæ per se infusæ, & gratiam habitualem. Secũda pars probatur, quia omnis gratia possibilis secundùm speciem admittenda est in Christo, vt meliores exerceat actus amoris, & visionis, vt ex eo beneficio cæteris puris creaturis anteponatur; sed gratia habitualis identificata cum lumine gloriæ est possibilis: igitur illa in Christo est concedenda. Est autem hæc species gratiæ propria comprehensoris. Quoniam verò Iesus ex conceptu Filij naturalis exigit esse comprehensor, sine antecedenti via meritorum, & melius est deberi ipsi visionem, titulo filiationis naturalis, quàm titulo meritorum, negandã nõ est humanitati Christi ab instanti conceptionis similis gratia identificata cum lumine. Hæc igitur species gratiæ pręfert ex natura sua titulum gloriæ meliorem adoptiuo, vtpote qui supponat filiationem naturalem Dei; & ideò nulli creaturę, etiam euectę ad maternitatem Dei, est connaturalis: visio enim beatifica est tam excellens beneficium, vt rationi consentaneum non sit aliter dari, quàm per merita propria ex gratia Dei, aut per sola merita Christi. Sanctificari absque merito, propter imperfectionem intellectus, vt accidit infantibus, est minor dignitas; at habere in se titulum, cui independenter à meritis visio debeatur, vt apparet in Filio naturali Dei homine facto, est suprema perfectio. Filij adoptiui multa habent bona hęreditaria eiusdem rationis cum filio naturali; at filius naturalis alia possidet ex nobilitate paterna, quę communia esse non debent adoptiuis.

Vniuersa hęc, quę proposuimus, quoad capitalia, grati-

ter,

ter,& erudite probat Puente Hurtado, in volumine de vita Christi, exceptis nonnullis accidentalibus, quæ nos ad maiorem claritatem inferimus.

12. *De visione beatifica Deiparæ, ipso Incarnationis instanti.*

Quæ dicuntur de visione beatifica Virginis, latè confirmata à Sandeo lib. 3. comm. 30. exercitat. 1. probabilissimè docentur pro Incarnationis instanti proximè subsequente assensum fidei, & consensum in Incarnationem. Eo actu visionis, sicut nec actibus scientiæ per se infusæ, vtpote euidentibus, & necessarijs nihil promeruit; bene tamen amore, & alijs voluntatis motionibus liberis, quæ visionem, & scientiā per se infusam consequebantur, quia ij saltem indiuidualiter liberè moueri poterant. Habitus fidei Mariæ donatus ab instanti conceptionis, & habitus scientiæ per se infusæ, saltem ab Incarnatione Dominica ipsi concessus, exercebatur ab ipsa pro varijs actibus intellectualibus eliciendis, quando non impediebatur visione beata. An verò posset simul eosdem duos habitus exercere circa Deum per diuersa media, res est controuersa apud Doctores, in qua nemo vincit, nec vincitur, quod recurrant ad principia continentia propositiones probabiles per se notas, quæ nec efficaciter persuadētur, nec vrgenter impugnantur.

13. *An Maria infinitam gratiam habitualem sit adepta.*

Quanquā plures Theologi non audeant concedere Mariæ infinitam gratiam habitualem supernaturalem, etiamsi illa diuinitùs sit possibilis, & de facto probabilissimè tribuatur animæ Christi, nulla eorum ratio est, quæ expeditam solutionem non habeat in præmissis sufficienter insinuatam. Plerique ex Scholasticis, qui Mariæ hanc infinitam gratiam denegant, ideò faciunt, quia infinitum in hoc genere arbitrentur impossibile, vel quia de infinito essentialiter loquantur; nihilominus dum non præcesserit Ecclesiæ cōsensus, Mariæ infinitam categorematicè gratiam, nec arithmeticè, nec geometricè deferam. Almaynus suprà, si existimaret possibilem esse infinitudinem, siue arithmeticam, siue intensiuam gratiæ, illam Mariæ concederet, quod plures etiā alij Scholastici sentirent. Erunt fortasse temporum progressu qui audeant ita affirmare, quia S. Damascenus orat. 1. de dormit. Virginis, ait inter Matrem Dei, & seruos Dei esse infinitum discri-

discrimen;at hoc sine infinitudine gratiæ non potest excogitari. Anselm.de excellentia Virginis cap.1.& 8.Mariæ gratiam immensam nominat: quo etiam tenore loquendi vsus Petrus Damianus sermone de Assumpt. S Bernardus serm. in signum magnum,& S.Bonau.in speculo,cap.5. quæ phrases vt hyperbolicæ dicantur,magnum aliquod absurdum exhibendum est.

14. *De multiplici gratia Virginis ex opere operato.*

Multiplex gratia ex opere operato donata Deiparæ. Primò, in instanti conceptionis,ex liberalitate Dei. Secundò, in susceptione sacramenti legis naturæ, quo alijs fœmellis originale peccatum auferri solebat. Tertiò,in frequenti Eucharistiæ receptione. Quartò,in susceptione Baptismi; non enim relinquimus Mariæ baptismum dubium cum Scoto in 4.dist.4.Bassole ibidem, quæst.vnica,art.1.Philippo Fabro in 4.dist.13.&alijs nonnullis. Quintò,in sacramento confirmationis,die Pentecostes collato. Sextò,in instanti Dominicæ Incarnationis,multa enim sine meritis,aut supra merita Filij præsentia prima conferre debebat Genitrici. Septimò,toto tempore nouem mensium, quo gestauit Iesum continenter, & sine intermissione accepit Deipara gratiam ex opere operato. Atque id multò probabilius est, quàm quod Suarius tomo 3.in 3.p.disp.63.sect.7. putat esse probabile, ex mente Paludani,Caietani,Maioris, & aliorum existimãtium species sacramentales, quandiu ante transmutationem durant,causare in iustis gratiam ex opere operato. Octauò, idem sensus verisimiliter extenditur ad tempus lactationis exercitæ. Nonò, pro eo tempore, quo cruci adstitit, & pro triduo,quo ex morte Filij non habebat relationem actualem Matris, verisimile credunt nonnulli continenter sine intermissione accepisse gratiam ex opere operato: nam quod ait Bernardus de Passione cap.10.*Moriebatur Maria viuens, viuendo ferens dolorem morte crudeliorem*:licèt enim homines de eius nece non cogitarent, dæmones saltem, quorum illa erat hora,eam perimi curarunt. Decimò tandem,morituram Virginem gratiam vltra merita cumulatissimè recepisse, veritati consonum non pauci Doctores arbitrantur. His gratijs ex opere operato collatis si iungas gratiam ex meritis habitam inferiùs declarandam, supremum illius cumulũ contemplaberis,& inuestigabis. Nullum ipsa actum habuit

in delibe

deliberatum indifferentem, sed singuli erant honesti: nullum etiam indeliberatum, sed omnes immediatè, aut mediatè liberos. Merebatur illa actibus omnium virtutum moralium per se infusarum: deinde actibus omnium virtutum moraliũ per accidens infusarum: tertiò, nunquam cessauit, etiam dormiens, ab exercitio libero virtutum: quartò, pro singulis actibus exercebat omnem virtutem, & actiuitatem suarum potentiarum, & habituum, Deo præstante concursum causæ primæ in gradu supernaturali, ad exigentiam intensionis habituum.

15. *Hypotheses octo, ad declarandum ineffabilem excessum gratiæ Deiparæ post Incarnationem Dominicam, supra omnium sanctorum gratiam collectiuè sumptam; illumque ex suppositis principijs, aut certis, aut probabilioribus in Theologia mathematicè demonstrandum.*

Cùm neothericus quidam multa dixisset de cumulo gratiarum Virginis, aliqui eum incusarunt, veluti sine fundamento, & temerariè loquentem: ipse, vt se, suamque fidem liberaret, hunc numerum decimumquintum, & decimumsextum summariè propositos, multis, & efficacibus testimonijs confirmauit.

Quoniam mathematicè probare contenditur ex suppositis principijs, Deiparam omnium Angelorum, & hominum gratiam, quæ est, & futura est, magnis incrementis superasse; ita vt etiamsi tota illa, quæ in cæteris diuisa est, conferretur in vnum cumulum, multo minor esset aritmeticè, & geometricè, quàm gratia ipsius: libet hypotheses, aut suppositiones ab omnibus Patribus, & Theologis acceptas, vel saltem apud ipsos receptas, vti probabiliores præponere, vt illis admissis, euidens consurgat demonstratio ex suppositione præmissorum.

Prima hypothesis. Maria in instanti Dominicæ Incarnationis maiorem habuit gratiam habitualem extensiuè, & intensiuè, quàm supremus Angelus, quàm supremus Apostolus, quàm Helias, & Enoch in termino vitæ inclusiuè habuerunt, vel habituri sunt. Hæc doctrina sine temeritate, impietate, & scandalo negari non potest, propter concordem Patrum, & Scholasticorum consensum in eam conspirantium, vt notum est; nulla enim creatura rationalis aut fuit, aut erit,

erit, cui seorsim tanta gratia ex meritis fluentibus à superna turali auxilio deberetur, aut conferretur, sicuti Mariæ in eo articulo Dominicæ Incarnationis, quod saltem expressit S. Cyprianus de singularit. Cleric. S. Damascenus serm. 3. de Natiuit. & in sermonibus de Assumpt. Epiphanius de laud. Virg. Bonauent. in spec. c. 5. & reliqui ferè Patres, & Doctores. Caietanus, qui noluit tātam gratiam in Maria viatrice, quantam in Angelo beato concedere, non potest tutò negare in Incarnatione præcelluisse cuiuis Angelo in via, & tunc eandem vim habebit demonstratio adducenda.

Secunda hypothesis sit. A centro terræ vsque ad concauum cœli, in quo sita sunt astra fixa, repletum esse vndique totum spatiū arenulis minutissimis, instar grani synapis, vel papaueris, & earum numerum esse illum, quem Clauius supra Archimedem ad Gelonium Siciliæ Regem, in libro de numero arenarum, maiorem fecit, dando in singulis granis synapis vel papaueris decem mille arenulas, & concedendo spatium à centro terræ vsque ad cōcauum cœli stellati multò maius.

Tertia hypothesis sit. In singulis prædictis arenulis vnū creari Angelum, vel vnum Apostolum, cum tanta gratia habituali, quantam in termino viæ inclusiuè consequuti sunt, aut supremus Angelus, aut supremus Apostolus, aut supremus iustus ex ijs, qui nunc sunt, aut quantam consequentur Elias, & Enoch in termino viæ, etiamsi post raptum in Paradysum singulis momentis indeficienter mererentur, iuxta opinionem illorum, qui adstruunt verè illos esse viatores non detentos, sed continuum habentes progressum meritorum. Supponimus igitur singulas arenulas ex decē millibus, quas in singulis granis synapis, aut papaueris concedimus, æquiualere toti gratiæ supremi Angeli, aut hominis in termino viæ. Ex hac hypothesi fit, non obstare ad instituendam comparationem prædictam, quod ait Vasquez obstare, 3. p. disp. 119. num. 80. diuinari non posse quanta sit cuiuslibet suprema gratia; nam damus, & dabimus disputationi maiorem multò numerum Angelorum, & hominum iustorum, quàm qui vnquam fuerit, & futurus sit ex omnium sententia, & cuilibet tantam gratiam, quantam quilibet fingere voluerit.

Quarta hypothesis, aut suppositio sit. Omnes gratię gradus esse æterogeneos, iuxta quam opinionem visa est difficilis Gabrieli Vasquez, 3. part. disput. 119. num. 80. ineunda

aa com-

comparatio gratiæ Virginis cum gratia omnium Angelorum, & hominum collectiuè sumpta, adhuc sub hac suppositione, quòd æterogenei sint gradus, omnes cadunt in eandem mensuram arithmeticam, cùm omnes possint numero supputari: verbi gratia, habet sanctus Gabriel centum milliones graduum gratiæ dissimiles inter se, & sanctus Michael ducētos milliones; hic habet duplo plures, ex quibus fit sanctior, & centum milliones erunt essentialiter, aut indiuidualiter meliores, cum subordinatione inter se. Supponamus igitur omnes gradus gratiæ, qui sunt, & fuerunt in Angelis prædestinatis, & in reprobis, quandiu iusti fuere, in vnam summam colligi; de ijs tractamus, an sint multo pauciores, quàm in Maria, vt docent Valentia tom. 4. disp. 2. quæst. 1. puncto 5. Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 18. sect. 4. Mendoza tom. 2. in 1. Reg. cap. 4. num. 11. annotat. 11. sect. 2. Idcirco dissentimus etiam sub hac hypothesi: nam si cum ipso Gabriele Vasquez diceretur, omnes, & singulos gradus qualitatum naturalium, & supernaturalium eiusdem speciei esse homogeneos, & similes, multo faciliùs susciperetur comparatio & supputatio arithmeticè sumpta.

Quinta hypothesis, vel suppositio. Demus Mariam non fuisse operatam in singulis actibus secundùm totas vires potentiarum, & habituum, quia Doctores nonnulli id opinantur incertum, & nos indubitatas hypotheses, aut saltem apud Scholasticos, & Patres magis receptas proponere debemus, vt simpliciter sit melior demonstratio, quæ ipsis suppositis oritur, & consurgit. Illud negari non potest sine temeritate, impietate, & scandalo, Deiparam post Incarnationem Dominicam singulis annis decem vicibus amasse Deum ex toto corde suo, & ex tota anima sua, & ex totis viribus suis naturalibus, & supernaturalibus, secundùm totam sphæram actiuitatis potentiarum, & motionis diuinæ, & etiam habituum supernaturalium, quos operatiuos actuum supernaturalium admittit Ecclesia, ex opinione magis probabili, vt va- rijs testimonijs suadet Vasquez 12 disputatione 79. cap. 1. Consideremus verba Deuteron. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Quæ etiam verba repetit Christus Deus Matthæi 22. Marci 12. Lucæ 10. Quis neget ea perfectissimè in summo exercuisse Mariam? Impium est, & temerarium

rium negare Deiparam illa impleuisse perfectissimè decies saltem singulis annis, non solùm quantùm ad ea, quæ continent de præcepto, sed etiam quoad illa, quæ ex multorum opinione inuoluunt de consilio, præsertim quia nulla fuit causa agendi infra sphæram potentiarum, & habituum, cùm abesset fomes, nec haberet inertes, aut otiosos habitus; & præterea nullis affectibus, aut passionibus distraheretur, aut turbaretur, & instrueretur perfectissima cognitione, & auxilijs. Est autem communior Scholasticorum sententia, si quis Deum amat ex totis viribus, secundùm totam actiuitatem potentiarum, & habituum supernaturalium perfectissimo modo, quo potest, duplicare gratiam vniuersam antecedentem; quibus subscribit Suarius tomo 2. in 3. part. disput. 18. sect. 4. & nos inferiùs latè persuadebimus. Concedendum igitur est, Deiparam decies saltem annis singulis amantem Deum ex totis viribus, duplicasse vniuersa merita vitæ præcedentis, ita vt tantùm valeat actus, verbi gratia, quinquagesimus dilectionis Mariæ, quantùm valere possunt quadraginta nouem antecedentes simul sumpti; quia ipsa eliciebat actus iuxta virtutem motionis diuinæ, & habituum, & sic esse debebant æqualis, vel maioris intensionis, quàm habitus. Hæc doctrina, licèt pro vniuersis, & singulis actibus Deiparæ, in opinionum varietate versetur, non potest verisimiliter in dubium vocari, pro exiguo illo numero denario singulorum annorum suprà scripto, in quo omni perfectione possibili, secundùm totam virtutem potentiarum, habituum, & auxiliorum operata fuerit, ita vt saltem duplicaret intensionem, quæ inerat omnibus præcedentibus habitibus per se infusis collectiuè sumptis; & duplicaret omnia præcedentia merita, etiam collectiue supputata. Non vtique verisimile est, vt ait Suarius tomo 2. in tertiam partem, disputatione 4. sect. 7. Mariæ Virgini negatum fuisse priuilegium gratiæ alicui puro homini concessum; at aliquibus concessum est, vt non rarò secundùm totam sphæram actiuitatis potentiarum, & habituum, & auxiliorum interdum operarentur.

Sexta hypothesis, vel suppositio sit. Mariam, quanquam ex veriori opinione supra annos septuaginta vixerit, nos pro hac gratiæ, & meritorum supputatione solùm sume-

re,

re, vixisse annos sexaginta tres, & concepisse Saluatorem nostrum annis septendecim, vel octodecim exactis suæ ætatis, vt graues quidam Doctores opinantur, ita vt in censum veniant ad hanc comparationem instituendam anni solummodò quadraginta quinque, in quibus demus, ipsam tantum elicuisse actus quatuor centum & quinquaginta, secundùm totam virtutem potentiarum, auxiliorum, & habituum, duplicando in singulis omnem gratiam, & antecedentia merita collectiuè sumpta, quemadmodum in octaua hypothesi declarabimus. Tandem, vt certior fiat demonstratio, supponamus hos actus perfectissimos, & duplicatiuos totius antecedentis gratiæ, & meritorum non fuisse nisi ducentos tantùm, annis prædictis quadraginta quinque, adhuc in hoc casu ineffabilis est excessus mathematicè demonstratus gratiæ, & meritorum Deiparæ, supra plures milliones mundorum repletos in vniuersis, & singulis spatijs ex minutissimis granis synapis, quorum vnumquodque habeat decem mille arenulas, & singulæ arenulæ habeant vnum Angelum, aut Apostolum, cum tanta gratia, & meritorum plenitudine, quantam de facto habuerunt supremus Angelus, vel supremus Apostolus in termino viæ, aut quantam in eodem termino consequuturi sunt Helias, & Enoc.

In hac suppositione, admittendo præmissas alias hypotheses, demonstratur mathematicè, Deiparam illis ducentis actibus consecutam fuisse maiorem gratiam, & merita, quam haberet tota collectio plurium millionum mundorum huic æqualium, si omnes pleni essent granis synapis, vel papaueris, & in quolibet ex ijs granis essent decem mille arenulæ, & in qualibet ex ijs arenulis esset vnus Angelus, vel vnus Apostolus, cum tanta gratia, & meritorum intensione, quantam in fine viæ possedit de facto supremus Angelus, aut Apostolus, qui nunc regnat cum Christo.

Septima hypothesis, vel suppositio sit. Archimedem in lib. ad Gelonium Siciliæ Regem, & Christophorum Clauium in caput primum sphæræ, digressione de arenarum numero, ex mente eiusdē Archimedis, loquentes de arenulis minutissimis instar grani synapis, vel papaueris replentibus

vniuer-

vniuersum orbem à centro terræ, vsque ad concauum firmamenti stellati, & supputantes solidissimè, & acutissimè earum numerum per conductus Arithmeticos, & Geometricos, & supponentes quodlibet granum papaueris, aut synapis habere decem mille arenulas, efficacissimè demonstrasse quantus esset numerus harum arenularum, si à centro terræ, vsque ad concauum cœli stellati replerent totum orbem, licèt intellectus vix capere possit vnum granum papaueris, aut synapis complecti decem mille arenulas, nihilominus ad demonstrationem efficacius peragendam, ita supposuerunt Archimedes, & Clauius, quo illustrius suas theses comprobarent.

Octaua hypothesis sit Mariam in elicitis actibus supernaturalibus charitatis secundum totam sphęram actiuitatis potentiarum, habituum supernaturalium, & motionis diuinæ proportione dupli Geometrica, duplicasse omnem intensionem habituum, & meritorum præcedentium. Primò, in opinione eorum, qui dicunt actus supernaturales hominis iusti posse efficere, & producere suos habitus, id que de facto contingere. Sic opinati sunt Cano lib. 12. de locis cap. 13. ad 7. Vega lib. 8. in Tridentinum cap. 9. Ruardus art. 8. contra Lutherum, & quidam recentiores apud Suarium lib. 8. de causis habitualis gratiæ cap. 4. & succurrit. S. Thomas 12. quæst. 51. art. 4. ad 3. dicens actus, qui producuntur ex habitu infuso, non causare aliquem habitum, sed continuare pręexistentem; quid autem est præexistentem continuare, nisi illum per intensionem augere. Hæc opinio, si admittatur dicendum est actum elicitum secundum totam intensionē habituum supernaturalium, eamdem duplicare; nam cum non desit omnimoda applicatio agentis, & passi, totam virtutē, quam habet in se exercebit, & cum omnes, & singulæ partes habitus à quo emanat, producant suam intensionem in actu hoc supernaturali, ipse aliam tantam intensionem habitualem supernaturalis charitatis denuo causabitur, itaut tantum addatur habitus, quantū præexistebat. Secundo, in opinione veriori eorum, qui dicunt actum supernaturalem charitatis hominis iusti meritorie dumtaxat, & non physice intendere habitum præcedentē, æquè debet vrgere argumētū, ita vt tantum augeat in ratione meriti, quantum augeret in

in ratione virtutis, si physice habitum produceret. Nã Deus in rebus meritorijs, ita se accommodat modo physico operandi, vt non minus efficaciter, & copiose tribuat ob exigentiã meritoriam, quam tribueret ob exigentiam physicam. Obijcies cum Puente Hurtado in physicis disp. 9. sect. 7. agens creatum non producere tantam intensionem in passo, quantam ipsum agens habet in se; alioquin parua lucerna totum orbem illuminaret, nam si in parte propinqua omnem intensionem elicit; deinde illa in aliam, & sic sine termino æqualis luminis intẽsio produceretur. Ergo beata Virgo medio actu caritatis, non solùm physice, sed nec etiam meritorie potuit duplicare intensionem præexistentem. Respondent aliqui id ita contigere, quia desit applicatio penetrationis agentis cũ passo, & ex distantia quantumuis minima oriri, vt totam intensionem suam nequeat agens communicare: sed contra hãc responsionem est, quia agens producendo substantiam omnino, sibi assimilat passum, & si penetratum non sit. Ergo si producendo qualitatem haberet virtutem ad communicandum, totam intentionem eam efficeret in parte, sibi propinqua licet non penetrata. Vera igitur responsio est agens in totam suam sphæram agere, non quia producat in parte propinquiori minus intensam qualitatem, quam in se habet, & rursus hęc minorem in sequẽti, & sic deinceps, sed quoniam idẽ agens, producens in parte propinquiori totam suam intensionem, minorem, & minorem producit in partes magis distantes ex proportione maioris, vel minoris distantiæ; at quia potentia vitaliter agens medio habitu sibi subdito, mediante motione diuina, simul est passiua respectu actionis immanentis; nulla est ratio distantiæ ob quam secundum totam suam intensionem physicè, aut moraliter non operetur volnntas. Deinde, quod adducitur de creato agente, solùm probat de facto in agentibus, non eleuatis diuinitus, quia in ijs nulla est ratio, quare non possint in passo approximato producere totam intensionem cum singulæ partes intensionis habitus præexistentis, æquè sint operatiuæ. Tandem beata Virgo non solùm, æquè intensum in proportione dupli habitum aut producere potuit, aut promereri suo actu supernaturali, sed etiã longe intensiorem, quia per auxilium extrinsecum voluntas illius confortabatur ad producendum, vel promerendũ actũ magis intensum, quam qui præexistebat. Nam si absque habitu

bitu poterat per auxilium extrinsecum confortari ad producendos, seu promerendos habitus supernaturales, cur si haberet intensum habitum, vt sex non posset ad producendum, seu promerendum habitum intensum, vt duodecim, confortari.

16. Ex præmissis suppositionibus demonstratur ineffabilis excessus gratiæ Deiparæ in vita mortali suprà collectionē plurium millionum millionum mundorum, quorum singuli multo plures haberēt Angelos, & Iustos beatos, quam de facto erunt.

Cōcessis præmissis suppositionibus, quæ à Theologis admittuntur cōmuniter, probatur Mariā ducentis tantū actib' charitatis elicitis post Incarnationem Dominicam secundū totā virtutem potentiarum, habituū, & auxiliorum maiorē gratiā, & plura merita habuisse, quā essent in 1596938044. mundis æqualibus nostro, repletis granis papaueris, aut synapis, quorū quodlibet granū cōtineret decem mille arenulas, & quælibet arenula vnum Angelum, aut Apostolum cum tāta gratia, & multitudine meritorum, quantā de facto habuit supremus Angelus, aut Apostolus in termino viæ; idest, vnius Mariæ gratiam, & merita excessisse millies millies milles, quingentis nonagesies sexies millies millies nongenties trigesies octies millies, & quadragesies quater mundos habentes in singulis arenulis prædictis tantam gratiam, & merita, quanta de facto in consummatione habuerunt supremus Angelus, vel Apostolus.

Cùm hæ supputationes, & comparationes, vt à principijs Geometricis, & Arithmeticis pendent, à me tutiùs, & certiùs elaborari non possent, auxiliarem operam postulaui à Patre Claudio Richardo Societatis Iesu, in regalibus Scholis Matritensibus dignissimo Magistro: celeriter mea vota cōpleuit exibendo mihi iustum volumen, quod ipse iam pridē, antequam ad Hispaniam veniret anno 1618. scripserat, & à viris doctissimis, tùm Theologis, tum Mathematicis summo plausu receptū, & probatū est. In eo Arithmeticè, & Geometricè demonstrat Deiparam Virginem plures gratiæ gradus promeruisse quinquaginta primis vitæ suæ horis, dando cuilibet quadranti illarum singulos actus feruentissimos secundum totam latitudinem, & actiuitatem potentiarum, habituum, & auxiliorum, idest ducentos actus meritorios in

pro-

proportione dupli Geometrica ab vnitate inchoando Mariæ gratiam ab vno minimo gradu, quàm omnes gratiæ, & vniuersa merita saluandorum, licèt saluandorum omnium numerus par esset numero arenarum complentium omnem cócauitatem vniuersi à centro terræ, vsque ad vltimam superficiem altiorem cœli stellati iuxta supputationem Clauianã Archimedeana maiorem, & etiamsi singuli saluandi decem milliones graduum diuinæ gratiæ promeruissent, ac Deipara vnico solùm gradu in prima sua sanctificatione fuisset instructa. Hæc est prima propositio, quam probat, & Mathematicè demonstrat pluribus argumentis in eo libro.

Secunda est, excessum huiusmodi meritorum Deiparæ Virginis supra merita omnium saluandorum, quæ in prima propositione data sunt, continere numerum earundem arenularum, quarum decem mille sint in quolibet grano synapis, aut papaueris, plures, quã 1596398044 idest, millies millies quingenties nonagesies sexies millies millies nongẽties trigesies octies millies, & quadragesies quater. Hanc etiam propositionem pluribus documentis Arithmeticis, & Geometricis demonstrat. Cũ peritis in sua arte credendum sit, multò magis fidendũ est Mathematicis communi cõsensu decernentibus aliquid euidenter demonstrari. In ijs duabus propositionibus Claudianis omnes Mathematici ex suppositis conueniunt, & dicunt euidentissime per ineluctabilia argumenta, & principia demonstrari; ex quibus fit multò esse clariorẽ demonstrationẽ, quæ ex præmissis suppositionibus idẽ colligit de cumulo meritorũ, quæ in prædictis millionibus millionũ orbiũ, aut mundorũ huic æqualiũ reperiretur, si præmissi milliones mundorũ essent pleni granis papaueris, aut synapis, in quorum singulis essent decem mille arenulæ, & quæuis arenula, contineret tantam gratiam, & meritorũ multitudinẽ, quantam habuit supremus Angelus, aut Apostolus in termino viæ. Probatur euidenter, quia demonstratio Claudij Ricardi vim tenet incipiendo à conceptione Virginis, & dando illi vnicum gradum minimũ gratiæ, à quo incipiat proportio dupla Geometrica, vsque ad actũ ducentissimum, ita vt multò sit minor in initio gratia Deiparæ, quàm cuiuslibet, & nullus sit iustus, nec fuerit, qui tantam non habuerit in initio; imò & maiorem, at demonstratio nostra, quæ inchoatur ab instanti Dominicæ Incarnationis

uis peractæ in Deipara, supponit certissimam veritatem de gratia habituali Virginis, tunc magis intensa, quam gratia consummata in termino vitæ supremi Angeli, vel Apostoli; ergo euidenter concluditur Deiparam in ducentesimo actu duplicatiuo omnis antecedentis gratiæ, & multitudinis meritorum habuisse collectiuè multò maiorem gratiam, quàm tot illi miliones millionũ, millionum mundorum huic æqualium, qui pleni essent granis papaueris, aut synapis, in quorũ singulis granis essent decem mille arenulæ, & quælibet arenula contineret totam gratiam, & meritorum multitudinẽ, quam supremus Angelus, vel Apostolus in termino vitæ Plures igitur milliones millionũ mundorum explanatæ gratiæ colligit euidenter nostra demonstratio in ducentissimo actu Mariæ, post Dominicam Incarnationẽ habente proportionem dupli Geometricam, quàm demonstratio Claudiana in ducentissimo actu post Cōceptionẽ. Nec est, quod Vazquez, & alij dicere queant esse incertã cōparationẽ ex ignoto Angelorum, & hominũ numero, & ex non cognita mensura sanctitatis, cum demus numerum iustorum, & Angelorum ineffabiliter maiorem, quàm vllus excogitauit, & demus cuilibet in termino vitæ tantam gratiam, quantam voluerit ipse Vazquez meditari.

Hæc ex nostris suppositionibus euidentissimè demonstratur pro actibus dictis post Dominicam Incarnationem habentibus proportionem dupli Geometricam; debeo tamẽ summariè colligere, quæ suppositis alijs principijs satis in Theologia probabilibus, scripsit prædictus Claudius Ricardus ad eliciendam ex eorum hypothesi demonstrationem de cumulo gratiæ, & meritorũ Deiparæ in termino vitæ ipsius; Hypotheses aut suppositã Claudiana hæc sunt Primũ Deiparam solummodo augmentum gratiæ promeruisse per singulos horæ quadrantes. Secundum in primo quadrante solũ habuisse vnicum gratiæ gradum. Tertium hoc augmentũ gratiæ promeruisse proportione, & progressione dupli. Quartũ tot homines saluandos, quot essent arenulæ replentes vniuersum orbem à centro terræ, vsque ad concauum cœlli stellati iuxta supputationem Clauianam Archimediana maiorẽ. Quintum quoslibet caracteres Arithmeticos spatium occupare spissitudinis grani hordei. Sextũ vnam leucam horariã continere grana hordei 640000. milliarũ, seu semissem leu-

ex 320000. stadium 40000, passum 256. pedem 64. Sextum folia chartæ alta duos pedes, ac totidē lata, in cuius singulis paginis quatuor, sint sexagiata quatuor lineæ caracterum, lōgę 32. reliquum spacium tribuitur margini, & interstitijs linearum, Septimum omissis bissextilibus diebus annorum septuaginta duorum, quos secundū probabiliorē opinionem Maria vixit, quadrantes horarios vnius anni esse 35040. qui si multiplicentur per annos prædictos 72. vniuersi quadrantes vitæ ipsius, & actus illi respondētes erunt 2522880. suppositis ijs principijs præter demonstrationem nostram aliter applicatam, & ex alijs suppositionibus factam ab ipso Claudio pro ducentis primis actibus Deiparæ in ducentis primis quadrantibus post Conceptionem, qui continentur duobus primis diebus, & insuper duabus alijs horis, sic cōtinuat ipse demōstrationē per sequentes propositiones, quas euidenter ex suppositis ab ipso præmissis colligit.

Tertia propositio, impossibilis est ex ijs positionibus, supputatio meritorū Deiparæ per omnes vitæ suæ quadrantes annorum septuaginta duorum (omissis bissextilium dierum quadrantibus horarijs) id est per quadrantes 2522880. bis mille milliones quingenties vigesies, ac bis mille octingentis octoginta; nā vltimus terminus progressionis huius continuę dupli contineret plures figuras Arithmeticas, quā 700000. septingenties mille, quarū valor enuntiandus esset in primo solùm mēbro per nominis millionis repetitionem centies decies sexies millies sexcentesies, ac sexagesies senies 116666. & omnes caracteres ad hanc progressionē peragendā necessarij numerū hūc excederēt octingentorū octoginta triū milliū millionū, & octo millionū 883008000000 qui spacium triangulare occuparent longum in basi vna leuca horaria vno stadio, & septuaginta octo passibus, & vno dimidiato pede, & in alio latere orthogonio longū esset sex leucis horarijs milliaro vno, stadijs septem, passibus vndecim, & vno insuper pede. Quod statuit supponendo quamlibet notam cuiusque caracteris Arithmetici, non esse maiorem, quàm granum hordei. Hęc propositio pluribus euidentibus argumentis à prędicto Patre Claudio demonstratur.

Quarta propositio; esto singulis concessis antea saluādis te gratię diuinę gradus tribuantur, quot essent arenulę Claudianę Archimedianis copiosiores, quorum omnium me rito-

itorum summa exprimeretur centum duobus zero cum vnitate præposita, & efferretur per vnum millionem decies sexies milliouum, adhuc hæc summa tot figuris expressa contineretur in summa superioris partis vltimi actus meritorij Deiparæ Virginis expressi per septingentos mille caracteres 700000. pluries, quàm sexies millies septingenties nonagesies sexies 6796.

Quinta propositio, quod si Deiparæ attribuerimus in primo suæ sanctificationis instanti tot gratiæ gradus, quot vltro concessimus in superiore quarta propositione vni saluādorum in sua consummata sanctitate, summa vltimi Deiparæ actus huius progressionis dupli Geometricæ complecteretur, caracteres plures, quā 36400000. trigesies sexies mille millies, & quadringenties mille, qui in linea dispositi producerentur ad 56. quinquaginta sex leucas horarias, miliare vnum, stadiaque sex. Enuntiaretur summa horum caracterum per repetitionem nominis millionis 6066666. sexies millies millies, sexagesies sexies millies sexcenties sexagesies sexies; quæ repetitio facta continua pronuntiatione ordinaria rosarij vnico quadrāte horæ peracti, duraret per 32. triginta duos dies integros naturales, & quinque horas, & tres quadrantes, & citra vnum quadrantē. In hac summa vltimi actus contineretur alia summa primæ partis omniū meritorum saluandorum 616949. sexcenties decies sexies millies nongenties, & quadragesies nonem, & alia quartæ propositionis longè maior 353398. trecenties quinquagesies ter millies trecenties nonagesies octies. Figuræ insuper huius progressionis essent longè plures 4591641600000. quadragesies quinquies millies millies millies mille nongenties decies sexies millies millies mille quadringenties decies sexies mille millies, quæ si in charta excipi possēt fascium, implerent 8968050. octo milliones nongenta sexaginta octo millia & quinquaginta, ad quam exportandam chartam opus esset mulis robustioribus 224201. ducenties vigesies quater mille ducentis, & vno, si singuli muli ferrent quadringentas libras chartæ necessariæ ad scribendos prædictos caracteres.

Sexta propositio, si Deiparæ Virgini in prima sua sanctificatione concederentur tot gratiæ gradus, quot omnes simul sancti in superiore propositione possidere supposuimus,

mus, quorum summa 103. centum ac tribus figuris notabatur, summa sui vltimi actus meritorij ex suppositione allata in prima propositione, plures obtineret figuras, quàm 72100000. septuagies bis mille millies, & centies mille, quæ in vnam dispositę lineam spacium obtinerent longum 112. centum ac duodecim leucas horarias, milliarum vnum, stadia duo, passus 78. septuaginta octo, ac dimidiatum pedē. Quòd si valor huius summę tot figuris expressę, ijsque omnibus zero, excepta vnitate nobiliori in loco sita, efferendus esset, nomen millionum repetere oporteret 12006666. duodecies millies millies sexies millies sexcenties sexgesies sexies post vnum mille, quę repetitio duraret per 63. sexaginta tres dies integros naturales viginti horas cum dimidia, & ferè vnum quadrantem. Figurę verò huius progressionis per omnes toties memoratos terminos 2522880. bis mille millies quingenties vigesies bis mille octingentis octoginta, plures longè essent, quàm sint 6572 1024000000 sexagexies quinquies mille millies millies millies septingenties vigesies semel mille millies millies vigesies quater mille millies; excipiendę, si fieri posset, in fascium, siue resmarum 12836137. duodecim millionibus octingentis triginta sex millibus, tum centum, ac triginta septem, insuper duodecim fasciculis, ac duodecim folijs. Ad quam efferendam chartam mulis opus esset validioribus 320903. trecenties vigesies mille nongentis, ac tribus, & adhuc supersunt centum septuaginta libræ, duodecimque fasciculi, ac duodecim folia chartę deficientes ab onere quater centum librarū, mulo determinato. Hęc euidentissimè à prędicto Claudio Ricardo ex prędictis à se suppositionibus demonstrantur.

Adde ijs Marię gratiam augmentum accepisse primò ex multitudine virtutum, quas exercuit simul cum charitate; secundò in quolibet momento pro eadem virtute non vnum tantum exercuit actum, sed plures, vnum per fidem, alium per scientiam infusam, alios per gratiam, & virtutes distinctas à nostris; tertiò considera gratiam ex opere operato acceptam, quę sequebatur perfectissimas, & sublimissimas dispositiones; quartò gratiam collatam tempore Incarnationis, & gestationis, & lactationis Iesu.

Haud

Haud mirum est, Abulensem non considerantem præmissa principia docuisse, præfatione in Matthæum, quæst. 19. totam Ecclesiam esse sine comparatione meliorē, quàm Mariam. Bene stat multo esse illam nobiliorem tota Ecclesia: nam Christus, & Maria sunt propter Ecclesiam, veluti finem *cui*: tota tamen Ecclesia est propter Christum, & Mariam, vt finem *cuius gratia*. Quidquid Ecclesia est, ad gloriā Christi, & Matris destinatur. Deipara est præcipuus finis nostræ Redemptionis; item est primarius finis excellentiæ, ad quem tota Ecclesia refertur.

17. *Sola conceptio Christi ex Deipara, & sola conceptio prima Virginis, ex Ioachimo, & Anna, fuerunt miraculosæ in se; & non solùm in causis, qualis dumtaxat fuerat conceptio Isaac, Iacob, Samsonis, Samuelis, & aliorum.*

Triplici de causa hic numerus terminat hanc quintam partem. Prima, vt ex præmissis in ea, & in parte quarta harum tabularum constet, mirabiliorem fuisse conceptionem humanitatis Christi, quàm Mariæ. Secunda, vt constet, ex puris creaturis nullam habuisse miraculosam conceptionem in se, præter Mariam. Tertia, vt quæ proponuntur sexta parte, ex quorundam sensu, de immunitate Virginis à peccato originali, & ipsius debito, faciliùs cognoscantur. Prima pars constat ex primis numeris huius partis: secunda ex progressu huius numeri: tertia ex parte sexta harum tabularum.

Certum est primò, illam actionem, qua Maria formata est, naturalem esse quoad substantiam: in hoc nulla est controuersia, cùm de productione, seu generatione humanitatis Christi omnes Theologi similiter philosophentur.

Deinde indubitatum est, in causis esse miraculosam conceptionem Deiparæ; quia Ioachimus, & Anna miraculosè ab sterilitate liberati, & in senectute confortati, vt fœtum producerent, quem ex impedimento ipsius non poterant generare: verum hoc miraculum commune fuit Virgini cum Isaac, Iacob, Esau, filijs Rachel, Samsone, Samuele, filio Sunamitidis, Baptista, & alijs, qui nihilominus peccatum originale tam in debito, & reatu, quàm in actuali macula contraxerunt.

Nihilominus Mariæ conceptio aliqua habuit miraculosa in seipsa, quæ nulli alij conceptioni puræ creaturæ humanæ

ne contigerunt; ex quibus meritò hæc conceptio dicta est mira, seu miraculosa à Sixto IIII. Primò ex parte materiæ seminalis Ioachimi, & sanguinis materni Annæ, quæ à Deo in ipso conceptionis instanti non solùm purificata, & mundata sunt ab infectione morali ex meritis Christi, sed etiam ex eisdem meritis ab omni cruditate, & impuritate materiali liberata sunt, vt ait S. Brigitta quartâ parte allegata, docēs, *ex purissimis, & clarissimis elementis compactum esse corpus Deiparæ*: & S. Damascenus orat. 1. de Natiuitate Virginis, statuens immaculatum fuisse Ioachimi semen, pro ipso formationis tempore; quam mentem plures alij Doctores sectati sunt. Cú debita proportione applicari possunt Deiparæ verba illa Bonauenturæ in 3. distinct. 12. de conceptione Christi; *Ita fuit pura illius caro, ac si de cœlesti substantia sumeretur.* Ex hac parte miraculosa fuit conceptio prima passiua Deiparæ, siue tunc instructa fuerit anima rationali, siue illâ caruerit, vt notum est, si quid sit miraculum, attentiùs expendatur.

Secundò fuit hæc conceptio Virginis miraculosa in se, iuxta plures Doctores quarta parte allegatos, ex acceleratione, qua inducta fuit anima in materiam multo celeriùs, quàm cæteris humanis fœtibus contingat: organizatio enim corporis facta ipso die congressionis parentum, & apparatus dispositionum celerrimè inductus, vt ipsomet die corpus animaretur, contingere non potuit absque miraculo. Alij tamen supposita puritate materiæ, & absentia cruditatum, & oppositorum patibilium, hanc celeritatem sine miraculo accidisse existimant: verùm in ipsa coagulatione seminis, & delineatione, ac perfectione absoluta celerrimè inducta, aliquid fuit miraculosum, quod nulli alteri puræ creaturæ in prima formatione contigit. Vnde hæc Mariæ conceptio prima passiua miraculosa fuit in se, licèt non cum tam sublimibus prærogatiuis, ac prima conceptio passiua Christi: quod facile erit inferre ex dictis quarta parte harum tabularum.

Tertiò eadem conceptio Virginis in se miraculosa fuit, quia quoad intrinseca, & formalia corporis, & productionis ipsius peracta est cum prærogatiuis originariæ iustitiæ, & multo perfectius, quam quæ esset in Paradyso, si fœlix ille status durasset cum serie generationum, quales describitur

ab

ab Scholasticis. Doctrina præmissa circa modum productionis Deiparæ, ex parte termini, & adhærentium supra dignitatem status naturæ integræ, est plurium Doctorum, quos parte quarta allegauimus.

Quartò fuit miraculosa in se ista conceptio ex parte termini, quia Maria in primo instanti vsa est libero arbitrio extra, aut supra id, quod cæteris indiuiduis humanis ex vi præsentis status debetur, & contingit; nullum aliud humanæ naturæ indiuiduum similem habuit prærogatiuam.

Quæ omnia, si admittantur, duo manifestè inferuntur. Primò, Mariæ conceptionem primam passiuam fuisse miraculosam in se. Secundò, nullam aliam puram creaturam miraculosè formatam in se, sed solùm in causis: vnde quòd Mariæ tributum fuerit ex hoc capite, singulare erit ipsius priuilegium.

Ex præmissis fit, omnes, & singulas circunstantias miraculi reperiri in B. Virgine primo instanti formationis. Causa solùm esse potuit virtus diuina, siue incomprehensibilis Dei potentia, quam simpliciter occultam nominant sanctus Thomas quæst. 2. de potentia, art. 2. Alexander 2. part. quæst. 42. Ferrara 3. contra gentes, cap. 100. & 101. Secundò, conceptio hæc ex parte termini, cum omnibus adhærentibus, fuit omnino ardua, insolita, supra omnes vires naturæ, quæ ad verum miraculum desiderant Augustinus 3. de Trinitate, cap. 5. & libro de vtilitate credendi, cap. 16. Albertus Magnus in summa, tractatu 8. quæst. 32. Sanctus Thomas 12. quæst. 113. art. 10. & communiter Doctores. Tertiò, plura ex parte termini facta sunt in conceptione Deiparæ à solo Deo, veluti causa principali, circa perfectionem, & prærogatiuas corporis, quæ à solis Ioachimo, & Anna perfici non potuere, nisi ad summum ministerialiter. Huic parti applicari possunt rationes illæ sex, quas adducit sanctus Thomas 3. contra gentes, cap. 102. ad persuadendum solum Deum vera posse miracula operari. Quartò factum illud de termino conceptionis Deiparæ omnis creatæ naturæ, quoad substantiam, & modum, facultates excedit. Non enim tam perfecta substantia, & tam perfectis induta accidentibus, à solis causis naturalibus formari poterat; sola virtus infinita Dei tam magnum, & consummatum opus ita celeriter moliri potuit. Si in prima creatione à solo Deo Maria

ria crearetur, illius productio mirabilis esset, non miraculosa; at quod per generationem causatum tam absoluta, & perfecta substantia cum eminentissimis accidentibus, producatur, miraculum est contra, aut supra cursum totius naturæ, quod nec subito, nec multo tempore illa valeret perficere. Quintò, iuxta sententiam Theologorum, & Canonistarum affirmantium, ad naturam, & essentiam veri miraculi requiri, vt fiat in instanti, constat hanc conditionem non deesse Mariæ in conceptione, quæ obtinuit consummatam, & absolutam membrorum perfectionem, sub quantitate, & mensura infantili in primo momento, quàm nullum aliud viuens, nisi longo tractu temporis successiuo, consequi potuisset. Quòd si de ratione miraculorum in communi non est, vt necessario fiant semper in instanti, vt verius arbitrantur alij, adhuc vrgentiùs constat, miraculosam esse perfectionem Deiparæ in primo suo esse.

Ex ijs concludetur p.6. non esse vniuersaliter verum quod ait Henricus de Gandauo, quodlib. 1. quæst. 21. scilicet, si ex Adamo per medios genitores, siue in semine vnius parentis, vel amborum, siue in substantia membri, vt in manu, vel pede, siue miraculosè, siue quocumque alio modo fœtus generaretur, contrahere peccatum originale; quemadmodum si aliquis lepra infectus esset, quidquid ex eius substantia procederet ab illa formatum lepra, inueniretur infectum. Eandem mentem expressisse videtur Theodorus Abucara tomo 1. Bibliot. Paris. edit. anni 1624. cap. 6. col. 400. exemplo agricolæ accipientis palmitem, illumque tinctum oleo plantantis. Similiter, vt ibidem dicetur, concludit falsè Henricus, asserens, quamcumque miraculosam productionem hominis ex materia humana deriuatam ab Adamo, etiamsi non sit seminalis, obnoxiam esse peccato hæreditario, nisi priùs purgaretur eadem materia, & subiectum à fomite originali mundaretur, & sanctificaretur.

SEXTA PARS.

De pertinentibus ad immaculatam Conceptionem Deiparæ, & liberationem à debito originaria culpa.

1. *Non pauci ex antiquis, & modernis S. Thomæ expositoribus Ordinis Prædicatorum opinati sunt Angelicum Doctorem nunquam, & nusquam in suis scriptis maculam originalem actualem Mariæ adscripsisse.*

AD ea, quæ in decursu proponenda sunt; oportet expendere Ioannem à S. Thoma, in 1. part. tractatu de autoritate Angelici Doctoris, disp. 2. art. 2. pag. 224. 225. supponere, vt indubitatum, Diuum Thomam, quoties locutus est in generali de vniuersalitate peccati originalis, solùm contra Pelagium habuisse sermonem de vi legis, secluso priuilegio. Idcirco eius verba allegari non debere ad singularē quæstionem de Virginis præseruatione, in qua quidquid dicitur in fauorem partis liberantis illam à macula, fundatur in priuilegio, de quo non curauit S. Thomas, vt qui contra Pelagium, & alios hæreticos, de sola vi legis vniuersalis, independenter ab extraordinarijs exceptionibus disputaret. Idcirco nullibi inussit censuram opinioni magis piæ de conceptione fundatæ in priuilegio, sed errori Pelagiano eximēti plures à macula originaria, sine priuilegio. Consentit Ferrara 4. contra gentes, cap. 50. Aluarez 12. quæst. 81. art. 3. & post annum 1520. innumeri ex eodem instituto; quibus subscribuit Valentia 12. disp. 6. q. 11. puncto 2. Azor tom. 1. instit. lib. 4. c. 34. Salas tom. 2. in 12. tract. 13. disp. 11. sect. 1. & innumeri Iesuitæ. Consequenter ad hanc suppositionem infertur primū, contra manifestam lucem verborum Angelici Doctoris, ipsi violenter imposuisse plurimos ex antiquis, quales sunt Dominicus à Catalonia, Dominicus de Montelupo ū, Ioan. Montesonus, Iacobus Susatus, Iacobus Ægidius, Iacobus Catalanus, Rafael Prouasius, Ioannes Turrecremata, Thomas Toletanus, Gabriel Barleta, Vincentius

Bandellus, Hieronymus Albertutius, & alij plures inferius allegandi, qui vt opinionem affirmatiuam de peccato originali Deiparæ magis stabilirent, docuerunt in libris, & tractatibus de Conceptione, Doctorem Angelicum existimasse opinionem magis piam (id est negatiuam peccati) esse erroneam, & hæreticam. Deinde infero, qua ratione multi Thomistæ, vsque ad annum 1520. non bene calluerunt, nec penetrarunt mentem S. Thomæ, in quæstione modali de censura contra opinionem magis piam: sic alios non paucos circa intelligentiam eiusdem sancti Doctoris in thesi de quæstione absoluta à vera declaratione ipsius deuiasse, eiusque mentem non penetrasse. Profundissima Angelici Doctoris scripta id habent, vt magnam in se, & latentem energiam contineant, quæ non nisi post plurium examen, illudque diuturnum, sæpissimè valeat explorari.

Supponit deinde Ioannes à Sancto Thoma, Angelicum Magistrum nunquam, & nusquam directè tractasse, vtrùm Deipara in primo animationis instanti fuerit præseruata ab originaria labe actuali; solùm disputauit, vtrùm ante animationem sanctificata sit; non enim agebat sanctus Doctor de priuilegio personali, an scilicet ex illo à solo Deo præseruata sit ab originali peccato Deipara; in qua quæstione de facto pendente à libera voluntate Creatoris, nihil decernens, submisit se Ecclesiæ iudicio; illud duntaxat scholasticè examinauit, vtrùm ex vi principiorum generantium, & actionis productiuæ ipsorum, inducta fuerit sanctitas personalis in primo instanti animationis Mariæ, vel ex eo quòd Ioachimus, & Anna paulò ante conceptionem filiæ, ex Dei gratia habuerint non solùm sanctitatem personalem, sed etiam sanitatem naturæ, ex iustitia quasi originali, vel ex eo quòd actio productiua ea efficacia esset instructa; vel tandem ex eo quòd materia futuri corporis Deiparæ priùs emundaretur, ac purgaretur. Quæ omnia cùm sint ante animationem, idcircò nunquam, & nusquam directè, & ex professo tractauit, nisi de sanctitate orta ex principijs antecedentibus eandem Virginis animationem. Idem omnino docuit Seraphinus à Porrecta, 3. p. q. 27, art. 2.

Idem Ioannes à Sancto Thoma addit, hanc secundam suppositionem esse euidentem, & manifestam; quam probat ex locis Angelici Doctoris, quæ ibidem allegat: vnde fit, liberum

berum esse nobis statuere euidenter, & manifestè conuinci, non intellexisse, & penetrasse Diui Thomæ sensum omnes illos Thomistas, qui arbitrati sunt, Angelicum Magistrum directè tractasse, aut disputasse de præseruatione Virginis in primo animationis instanti, aut pro eo negasse præseruationem à macula originaria; cùm solùm tractauerit de sanctitate, quæ in semine, vel embrione ante animationem prçcederet.

Ex ijs duabus suppositionibus conciliat Ioannes à Sancto Thoma omnia loca sancti Doctoris, & probat nullibi eum negasse Mariam ab originaria culpa præseruatam, ex priuilegio independente à productione, & principijs naturalibus. Hæc omnia verissimè scripsit Ioannes à Sancto Thoma, quæ luculentiùs pluribus testimonijs, & argumentis illustranda, ampliandaque suscipio, induens personam antiquorum Scholasticorum, & nominatim Angelici Doctoris, & eorum mentem explanans fidelissimè. Si prædictus Ioannes, & Porrecta alia principia nascentis Theologiæ scholasticæ à temporibus Magistri sententiarum cognouissent, tenaciùs adhuc propriæ expositioni adhærerent, eâque cum maiori ampliatione in fauorem immaculatæ conceptionis indubitatam existimarent.

Pro maiori intelligentia expende, duplicem conceptionem agnouisse Scholasticos. Prima est, per mixtionem seminum, aut seminis paterni cum sanguine materno. Huius sæpissimè Scholastici meminere, cum Henrico quodlib. 1. quæst. 21. Alexandro 3. parte, quæst. 9. membr. 2. art. 2. Bellarminio lib. 4. de amissione gratiæ, cap. 16. & alijs innumeris. Secunda conceptio est animata, includens vnionem animi, & corporis in vtero, quam sanctus Ambrosius epist. ad Siricium generationem appellat. Antequam ingrediar explanationem aduertendum est, id accidisse primis Scholasticis in hac controuersia, quod de priscis Patribus scripsit Sixtus Senensis in sua bibliotheca, procemio libri quinti, vt ex dissimilitudine loquutionum, aut ex vehementia, qua hæreses impugnabant, varia, & contraria docere viderentur, cùm tamen idem esset omnium sensus, atque sententia.

Mira est varietas, phrasis, & coniunctio, atque coaptatio nominum, & verborum apud veteres Scholasticos, cùm

de

de peccato originali,& illius debito tractarunt: nam primò appellant peccatum originale ipsius reatum quodammodò inhærentem semini, aut embrioni. Huius meminit S. Bonau. in 3. dist. 3. 1. part. qu. 1. ad 3. carnem ante animationem vitiosam nominans: & S. Thomas 3. part. qu. 27. art. 2. & communiter Scholastici, cum Henrico Gandauensi quodlib. 1. quæst. 21. Secundò, eodem nomine peccati originalis notant ipsius debitum absolutè. Tertiò, maculam animæ inhærentem primo creationis instanti similiter nuncupant, & hæ duæ acceptiones sunt communissimæ. Singula ex ijs interdum obscuris vocibus declarant, iuxta innumeras alias acceptiones peccati, Scripturis, & antiquis Patribus conformes. Idem accidit in applicatione, & explanatione vocum, quæ sanctitatem, sanctificationem, purgationem, & emundationem important, antequam anima creetur, vel in ipsius productione, aut tempore illam consequente: nam primò tractant de sanctitate, aut emundatione seminis, aut embrionis ante animationem, cuius innumeri meminere; & S. Thomas 3 part. quæst. 27. art. 2. Secundò, de sanctitate extrinseca, qualis inest sacris vasis ad ministerium sacrificiorum, per voluntariam Dei deputationem, quam Maior in 3. dist. 3. q. 1. dedicationem rei inanimis vocat, & separationem à prophanis; & primam hanc conceptionem inanimatam celebratam esse à nonnullis Ecclesijs dicunt Scholastici, quorũ suppresso nomine meminit S. Thom. 3. p. q. 27. art. 2. illis verbis; *Quocumque modo ante animationem sanctificata fuisset B. Virgo.* Tertiò, de sanctitate animę in primo instanti creationis, quę est acceptio cõmunis. Quartò, de alijs sanctitatibus, sub diuersis vocibus, & coaptatione ipsarum, quæ familiares sunt Patribus, & Scripturis, quæ etiã Assyrios, & Chaldæos idololatras in executione vindictæ sanctificatos nominant, solum per deputationẽ creatoris ad vindictã contra Hebræos.

Ne in hac thesi ex prædicta varietate obscuretur intelligentia, declarare oportet, quibus verbis vtamur, & sub quo sensu in decursu huius tractationis. Primò cum cõmuni Doctorum maculam ipsam originariam nominabimus peccatũ originale formale, seu actuale, seu contractũ, quia sic plures loquuntur Scholastici. Secundò peccatũ existens in semine, aut embrione appellabimus peccatũ existens in debito proximo, aut in reatu actuali, quoniam sic loqui consueuere

illustres

illustres Doctores, quos diximus ex D. Thoma suprà, oppositã speciem quandam sanctificationis consignare possibilẽ in embrione. Tertiò, peccatum consideratum proximè post pactum, & legem vniuersalem inde manantem ante congressum parentum, nuncupabimus peccatum in debito remoto, quia sic loquuntur recẽtiores Theologi. Quartò, quo maius, vel minus fuerit debitum, aut minus habeat de absoluto, aut magis de conditionato, appellabimus illud, vel debitum remotum simpliciter, vel debitum secundũ quid. Quintò, peccatum originale in ipso primæ animationis instanti, si tunc impediatur ex Dei præseruatione executio maculæ actualis, nuncupabimus debitum, aut peccatum in actu proximo suspensum, aut non influens, etiamsi virtuti seminis tunc operãtis physicè vnionẽ corporis, & animæ, debita esset immissio actualis labis originariæ. Sextò, debitum, aut peccatum originale pro instanti primæ animationis, si non impediatur macula actualis, dicetur tunc grauare, & opprimere infantem, atque in effectibus, vsque ad mortẽ permanere: quod si impediatur, non dicetur aboleri in primo illo momento, quia durante efficacia seminis durat debitum culpæ: at quia proximo, & immediato tempore cum iam sit consummata generatio, & nulla maneat vis seminis ad generandum, & producẽdum, aboletur omnino debitum peccati, aut peccatum in debito tam in ijs, qui præseruarentur à macula actuali originali, quam in ijs, qui ea grauantur; cum hoc tamen discrimine, quod Maria præseruata, quamquam fuerit sub peccato in debito, primo instanti animationis, atque ideò ipsius conceptio fuerit sub peccato in debito (vt loqui solet D. Tomas, & plures Scholastici, etiamsi pro eodem instanti præditam esse gratia sanctificante existimarint) verùm tempore immediate sequenti omnino peccatũ originale in debito euanescit nullo relicto effectu; at qui non præseruantur, manent oppressi pœnis, quæ originariam maculã consequuntur. Hæc omnia, quæ distinctè à nobis proposita sunt, antiqui Scholastici sunt contemplati, licet ex varietate locutionum, & breuitate dicendi, interdum eorum mens sit obscura. At per suprà descriptas diuisiones clarissimè exponuntur: iuxta hæc facilè est de varijs considerationibus sanctitatis iudicare.

2. Nec

2. *Nec sanctus Thomas, nec Albertus Magnus, nec plerique antiquiores grauioresque Scholastici vnquam, aut vsquã dixerunt Mariæ animam in primo momento sui esse, idest in secunda conceptione habuisse peccatum originale formale, & actuale, licet scripserint Deiparam in prima conceptione grauatam fuisse eodem peccato in reatu, & permansisse originale peccatum in iure, & debito, vsque ad primum instans animationis inclusiuè dumtaxat.*

Vox conceptionis maximè propriè ab antiquis Philosophis, & Scholasticis vsurpari solebat pro commixtione seminis paterni, & materni, aut seminis paterni, cum materno sanguine: sic Alexander Alensis 3. part. quæst. 9. memb. 2. art. 2 Maior in 3. dist. 3. quæst. 1. & alij plures, sectantes in hoc genere, formaque loquendi. Hippocratem, Galenum, Aristotelem, & priscos Philosophos, & Medicos cum Valeriola, Peramato, Lalamanto, & alijs. Bellarmin. lib 4. de amissione gratiæ cap. 16. absque exceptione eam materiam inanimatam filium nominat, quia tendit ad ipsius generationem, & proles est iam in fieri; ex quorum phrasi inualuit modus dicendi, quo nouem mensibus gestari fœtus in vtero decernatur, scilicet à prima conceptione, quæ multis diebus in eorundem doctrina, antiquior est secunda conceptione, in qua primùm rationalis anima inducitur. Itaque non aliter iuxta vulgarem phrasim, conceptionis vox consueuit vsurpari, nisi vt significaretur prædicta commixtio facta eodem die congressus Parentum, pluribus ante diebus ex eorum opinione, quam produceretur forma substancialis viuens. Quia semina, vel sanguines commixti sunt pars corporea futuri filij absolutè, per synecdochen filius nominatur diu antequàm producatur anima. Sicut absque limitatione per eandem synecdochen cadauera hominum, qui vixere, absolutè appellantur Petrus, aut Paulus, aut Lazarus quatriduanus. In hac prima conceptione non est anima rationalis formaliter, & consequenter, nec peccatum originale in se, & simpliciter. Dicitur tamen prædictum peccatum inesse quoad debitum, reatum, & potentiam proximam rationis corruptionis seminis à natura vulnerata decisi cum extrinseca denominatione prouenience à primeuo peccato Adami, & à lege diuina de priuatione gratiæ in vindictam sceleris eiusdem primi parẽtis.

Ve-

Verè tunc esse maculatum semen decisum, & hominem tunc concipi in peccato originali luculenter probat S. Anselmus de conceptu Virginis cap. 7. nam iam est necessitas labendi in peccato originali, & S. Bonau. in 3. dist. 3. part. 1. quæst. 1. ad 3. vbi carnem ante animationem vitiosam nominat; & expressè assentitur D. Thomas 3. par. quæst. 27. art. 2. duplicem sanctificationem distinguens, alteram, quæ possit esse antiquior tempore, quàm inductio animæ rationalis, alterā, quæ dari queat in primo momento creationis ipsius: vtriusque meminit Caiet. ibidem, & in 12. quæst. 81. art. 3. S. Thomas loquendo de hac prima conceptione in 3. dist. 3. docuit fieri posse, vt paulo ante conceptum Virginis Ioachimus, & Anna non solùm haberent sanctitatem personalem, vt de facto illam possidebant, sicut ceteri iusti, verum diuinitus contingere valuisse, vt haberent sanctitatem naturæ per originalem iustitiam quæ ex Dei beneplacito biduo, aut triduo ante conceptionem Filiæ ipsis tribueretur; si hæc daretur hypothesis Ioachimi semen, & Annæ sanguis, nulla macula, aut corruptione grauarētur, nec haberent extrinsecam denominationem à primo Adami peccato, & à lege diuina depriuatione iustitiæ in vindictam illius, ac per consequens præmissa tali suppositione, eaque durante Maria de potentia absoluta non solùm, non poterat incidere in peccatū originale formaliter, sed nec in reatum proximum, aut debitum proximū, aut radicem, aut potentiam proximam illius. Quoniam verò certius est Ioachimi, & Annæ naturas sanatas non esse, sed solum fuisse gauisas personali sanctitate per gratiam communem cæteri iustis, ideò S. Thomas, data hac suppositione constantissime decernit, non posse Deiparam à reatu, & debito, seu radice peccati originalis eximi sine iniuria redēptionis, vt ipse expressè docet 12. quęst. 81. art. 3. ad 1. iuxta verissimam expositionem Caietani. Anno 1314. Dominicus de Catalonia, vt ait Castronouo cap. 23. Dominicus de Mōte Luporum, cuius meminit Ambrosius Gozzeus in opusculis acrioribus contra immaculatam conceptionē interpretati sunt proximè relata verba D. Thomæ de peccato originali, formaliter, & in se, itaut sentiret S. Doctor erroneū esse, non illud in Maria collocare. Similiter exposuit anno 1403. Ioannes Montesonus, vt habetur in processu addito post libros sententiarum Magistri in omnibus editionibus.

Anno

anno 1414. Dominicus Ioannes cap. 22. 23. 26. innixus prædictæ interpretationi hæresim Pelagianam appellauit opinionem negantem Virgini peccatum originale, formaliter, vt retulit Castronouus cap. 23. similiter declararunt Diuum Thomam Iacobus Susatus anno 1415. cuius meminit Leander Albertus lib. 4. Anno 1436. Ioannes de Montenigro in opusculo, quod gloriosum appellat Castronouus suprà. Anno 1417 Iacobus Ægidius in opusculo, cuius mentionem fecit Diagus lib. 1. cap. 37. Anno 1460. Iacobus Catalanus, & Raphael Prouasius, quorum meminere Leander lib. 4. & Alphonsus Fernandez in concertatione prædicatoria pagina 375. Ioannes Turrecremata in opusculo contra opinionem negatiuam peccati originalis in Virgine. Anno 1470. Thomas Toletanus in Mariali, & in porta Paradysi, de quibus libris mentio est apud Plodium in appendice, similiter Angelicum Magistrum exposuere. Eandem expositionem secutus Gabriel Bareleta anno 1480. sermone de conceptione, appellat opinionem negatiuam, crudelem, impiam, nefariã, & erroneam. Sixtus IV. in litteris Apostolicis de mysterio conceptionis has censuras innitentes falsæ, & extortæ expositioni verborum diui Thomæ, condemnauit veluti temerarias; easque è libris expungi mandauit. Nihilominus anno 1502. Vincentius de Castronouo Bandellus in opusculo de conceptione, credens suam mentẽ esse D. Thomæ, opinionẽ negatiuam peccati originalis in Deipara persuadere contẽdit esse hæreticam, erroneam, impiã. Non dissimili stilo anno 1490. scripserat Hieronymus Albertutius in Elencho, cuius meminit Plodius lib. 3. anno 1507. Franciscus Ferrariensis scripsit opinionem negatiuam esse erroneam ex mẽte diui Thomæ, vt refert Catharinus in libris de conceptione editionis Lugdunensis pagina 11. Anno 1517. Vincentius Casalius in opusculo de hac thesi, de quo Michael Pius lib. 3. similiter exposuit S. Thomam. Anno 1519. Bartholomeus Spina tractatu de hac thesi, & in alio de vniuersali corruptione generis humani, ob reuerentiam D. Thomæ, dicit sententiam negatiuam esse repugnantem fidei Catholicæ, q[illegible]m propterea reprehendit Valentia 3. part. disp. 2. quæst. 1. pũcto 2. & Salmeron lib. 2. in ep. ad Rom. disp. 49. Anno 1527. Nicolaus Finali in Monili Christi, & Matris, de quo Plodius lib. 4. & anno 1545 Arnaldus Vello Viso tractatu de conceptio-

ceptione, de quo Diagus lib. 2. cap. 31. similiter exposuerunt D. Thomã: ex hac illegitima declaratione S. Doctoris magno ardore Thesis hæc a nonnullis tractata. Qui post Sixtum IV. ita opinati sunt, & interpretati Angelicum Magistrum, difficilem habent excusationem. Dupliciter enim defecerũt. Primo, cum nonnullis antiquioribus violentissimè declarando verba S. Thomæ, quæ manifestissima sunt de reatu, & debito peccati originalis, non de ipso peccato originali formaliter, vt constat ex interpretatione, quam adnectit vniuersali propositioni Pauli de morte corporali omnium hominum, quam ipse intelligit de solo reatu, & debito mortis, non de morte ipsa formaliter: nam probabilem arbitratur Angelicus Doctor opinionem Græcorum dicentium plures iustos in fine mundi nunquam morituros. Secundò, irrogarunt absque fundamento apparenti, præceptori sanctissimo, & sapiẽtissimo censuram à Sixto IV. & alijs Pontificibus de temeritate damnatam: Nulla autem condemnatio est contra asserentes Mariã in reatu, debito, radice, & potentia peccasse in Adam pro conceptione prima, quæ tẽpore antecessit ipsius animationem; neque contra eos, qui opinatiuè solùm cũ quibusdam limitationibus censura afficiunt eandem doctrinã. Egregiè expendit Caietanus ibidem nostram expositionem dicens, nec fidem, nec S. Thomam exigere, vt nullus excipiatur à peccato originali formaliter, sed solùm ne à debito cõtrahendi eximatur. Verè enim Redemptore indiget non solùm, qui est captiuus, sed etiã qui in periculo proximo est vt capiatur, & verè à morte liberatur non solùm, qui post mortem resurgit, sed etiam qui eruitur è proximo periculo, quod effugere non valeret sine præseruante, & redimente: sic dicimur liberari à morte æterna, quàm non habuimus, & quia Maria in prima conceptione ante animationem erat debitrix, & rea, & in potentia proxima labendi in peccatum originale formale, verè fuit redempta, etiamsi peccato ipso originali formaliter non fuerit grauata in secunda conceptione, quæ animationi spiritus rationalis semper adiungitur. Cũ igitur antiqui Doctores negant Deiparæ sanctificationem in conceptione, loquuntur de conceptione sumpta pro commixtione seminis Ioachimi, & sanguinis Annæ, quæ tẽpore præcessit animationem corporis; & cũ affirmant tunc fuisse peccatum originale, sermonem habent de ipso in reatu, debito,

 aut

aut potentia proxima, eo enim casu pariter erat incapax materia gratiæ habitualis, & peccati; & expressè ita docuit Bernardus epist. 174. & S. Thomas art. illo 1. quæst. 27. Quòd si aliqua esset danda sanctificatio corpori virgineo ante animationem, ita ut primo coagulo, aut commixtioni seminis Ioachimi cum sanguine Annæ non inesset corruptio, & infectio naturæ, idest, non esset ius, aut necessitas, aut potentia proxima ad inficiendam prolem peccato originali, tunc illa sanctitas esset similis illi, quæ rebus inanimis tribuitur, cùm ad sacra dedicantur, & separantur à prophanis, vt locutus est Maior in 3. dist. 3. quæst. 1. Hæc potuit esse realiter in Maria, si Deus illam in communi lege non comprehendisset, aut in ea dispensasset mundando materiam corporis. Huius sanctitatis meminere S. Thomas, S. Bonau. Caiet. suprà relati. Hæc sanctificatio sublimior est, & alterius generis ab illa, ex qua Ecclesia Græca festum conceptionis sancti Ioannis Baptistæ à multis retro sæculis die 23. Septembris celebrat: non enim colitur, nisi miraculum senectutis, & sterilitatis deuictæ in Zacharia, & Elisabet, atque destinatio Ioannis in præcursorem.

Sic antiqui Officio, & Missa celebrabant festum Conceptionis primæ Deiparæ non solùm, vt miraculum est, & initium maiorum beneficiorum Domini, sed etiam, vt continebat mundationem, & sanctificationem sublimiorem corporis Mariæ, vt patet ex Scholasticis, maximè Bonauentura suprà, & colligitur S. Thoma quæst. 27. art. 2. ad 3. Dabat, vtique quoddam genus sanctitatis corpori inanimi generandæ Mariæ, sed non apud omnes erat tale, quod ius, aut necessitatem, aut potentiam proximam labendi in peccatum originale, aliqua ex parte auferret; sed iuxta aliorum opinionē tale, quod dedicationem haberet ad sanctissimos fines, & separationem à profanis ex miraculosa cōceptione: non aliter, ac Græci conceptionem Baptistæ celebrant, ipsi Marianam conceptionem celebrarunt.

In hoc sensu prima conclusio plurium antiquiorū Scholasticorum fuit Mariam in prima conceptione habuisse peccatum originale, non formale, sed virtuale, idest, in reatu, iure, vel debito proximo iuxta Anselmum libro de conceptu Virginali cap. 7. D. Thom. in 3. dist. 3. & 12. quæst. 81. art. 3. & 3. part. quæst. 27. art. 2. S. Bonauent. suprà; quos secutus

Bel-

Bellarminus lib. 4. de amissione gratiæ cap. 15. Vtrum verò postea quam corpus generandæ Deiparæ aliquandiu mansit in reatu, & debito peccati, aliquot diebus, vel horis ante animationem ita fuerit sanctificatum, vt cessauerit reatus proximus, & debitum proximum incurrendi peccatum originale formale, non ita clarè, & ex professo tractarunt singuli ex antiquis, quanquam ex vi principiorum, vtraque pars contraria defendi poterat à nonnullis ex ipsis.

Secunda conclusio omnium ferè antiquorum Scholasticorum fuit in secunda conceptione Virginis primam inductionem rationalis animæ continente, illam non contraxisse peccatum originale, formale, & in actu, seu de facto; sed idē instans fuisse, in quo ipsius anima creata est. & vnita, & habituali gratia ditata; & præseruata à peccato: quanquā simul propter causas inferius apponendas docebant in eodem instanti sanctificationis, & præseruationis à peccato originali, & actuali, mansisse peccatū originale, radicale, & in iure proximo, nec illud fuisse abolitum, vsque ad tempus immediatè sequens primum illud instans creationis, & præseruationis Mariæ à culpa originali in actu. De hac postrema parte seorsim est tractandum, nunc præcipuam conclusionē stabiliemus. In primis nullus in Ecclesia Dei clariùs, & illustrius docuit Mariam sine peccato originali actuali conceptam esse, quam D. Thomas in 1. dist. 44. quæst. vnica art. 3. ad 3. Locus est adeo clarus, vt Petrus Bergomensis dub. 370. dicat esse mendum Typographi; idem expressè scripserat S. Doctor dist. 17. quæst. 2. art. 4. ad 3. Propterea Vincentius Iustinianus ordinis Prædicatorum in opusculo de immaculata conceptione, §. 18. ait se nescire, in quo ordine mendicantium fuerit Doctor antiquus, qui tam expressè ab originali peccato actuali Mariam præseruauerit, vt S. Thomas in libris sententiarum, & in opusc. circa salutationem Angelicam. Cætera loca Diui Thomæ, & grauium antiquorum Scholasticorum post tertiam conclusionem exponentur.

Tertia conclusio tam Diui Thomæ, quàm aliorum ferè omnium Theologorum post Petrum Lombardum est Mariam à peccato originali in iure, & debito quod contraxit in prima conceptione ante animationem; non fuit liberata in secunda conceptione includente primam creationē animæ

ra-

rationalis,nec in ipso primo instanti reali eiusdē creationis, sed tempore immediatè sequenti,ita expressè S.Thomas 3. part.quæst.27.art.2. Probatur,quia illud peccatum originale erat in potentia,& debito dumtaxat,& non formaliter in actu,sed permansit vsque ad primum instans creationis animæ Deiparæ inclusiuè;ergo sanctissima Virgo non fuit libera à peccato originali in debito, & iure pro primo sui esse momento, sed posterius tempore peractâ iam generatione substantiali. Probatur minor,quia peccatum originale in iure,& debito proximo aderat, aut inerat virtuti generatiuæ seminis Ioachimi,vt proueniebat ab Adamo,& habebat naturam corruptam,cum iure transfundendi peccatum originale formale quantum erat ex parte seminis, & naturæ; sed hæc omnia permanserunt in primo instāti animationis Deiparæ,cum virtus formatiua seminis duraret in se, aut in effectu, & lex, seu pactum de priuatione iustitiæ in posteris ob peccatum primi parentis tamdiu permaneret, quamdiu duraret virtus seminis; ergo Maria in primo instanti secundæ conceptionis inclusiuè retinebat peccatum originale in iure,& debito,licet careret peccato originali, formali, & actuali. Consequenter ius illud,aut debitum labendi in præmissam culpam abolitum,seu extinctum est tempore immediatè sequenti post primum instans secundæ conceptionis animationem includentis; nam iam tunc semen illud non generabat actu, nec potentia, extincta illius virtute, ideo simul etiam peccatum originale in iure, aut debito fuit extinctum. In cęteris hominibus etiam extinguitur, & euanescit post primum instans secundę conceptionis virtus illa seminis, sed non transit quoad effectum, & vulnus permanens illatum: declaratur exemplo eius, qui ad triremes, & verbera condemnatur; post executionem pœnę nihil amplius debet, manet tamē grauatus,& oppressus illius effectu, & ignominia: Deipara nullum effectum pœnalem originalis peccati habuit in primo instanti suę animationis, sed ab illo preseruata fuit,manente solo debito, & iure incurrendi peccatum originale, formale,actuale; quod ius, & debitum cum proximè post euanuerit, nihil mansit de illo peccato in se,nec in effectu in Maria, quam partem explanat, & firmat quidquid allegatum est quarta parte harum tabularum.

Hęc

Hæc quidem non attentè contemplantes nonnulli, omnes propositiones antiquorum Scholasticorum dicentium Mariam in primo instanti secundæ conceptionis, quæ continet inclusiuè primam creationem animæ, habuisse peccatum originale in iure, aut debito proximo, illegitimè ipsos, & nominatim S. Thomam interpretati sunt, quasi de peccato originali formali, actuali fuerint loquuti. Hæc obligatio, reatus, aut debitum proximum incurrendi peccatum inerat ex natura Ioachimi corrupta peccato primi parentis; quod verò permanente eodem debito, aut reatu, siue peccato originali in iure proximo, simul in eodem instanti in sensu coniuncto fuerit Deipara præseruata, & exempta à peccato originali formali actuali ex priuilegio Dei, nullam inuoluit repugnantiam contradictionis: quia Maria ex vno capite erat obnoxia peccato, scilicet ex vi seminis paterni; & ex alio capite per priuilegium, aut dispensationem Deus impediebat effectum. Iuxta hæc cognoscitur peccatum originale simpliciter actualiter, & formaliter, ex mente Scholasticorum nunquam infuisse Deiparæ; peccatum verò originale in iure, & radice, & debito proximo inhæsisse ipsius corpori ante animationem, & primo instanti animationis. Quare, quoties Scholastici, & præsertim D. Thomas docent Mariam fuisse immunem à peccato originali, loquuntur absolutè de illo formaliter, & actualiter; & quoties aiunt habuisse peccatum originale in primo instanti animationis, loquuntur de peccato originali in iure, & debito, vel reatu proximo.

Superest exempli gratia percurrere vniuersa loca, quæ in contrarium alleguntur ex D. Thoma, de articulo 3. quæstionis 81. 1. 2. dictum est suprà. Quod ait 3. part. quæst. 27. art. 2. *Sanctificatio Virginis non potest intelligi ante animationem*; intelligit de sanctitate formali habitualis gratiæ: quod paulopòst addit, *Si ante animationem quocumque modo sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis culpæ, & non indiguisset Redemptore*, significat primam conceptionem Virginis ante animationem, si fuisset sancta per sanitatem naturæ, ac consequenter libera à reatu, & debito peccati originalis, non contracturam peccatum originale, nec in potentia proxima, neque in reatu, nec iure, aut debito; quod probabilissimè opinatus est Diuus Thomas esse erroneum contra gratiam redemptionis, quanquam iam

hoc

hoc tempore sub quibusdam limitationibus probabilis sit, non solùm probabilitate priuata, sed etiam iudiciali, & authentica, opinio statuens Mariam debito saltem proximo peccati originalis caruisse.

Difficiliùs nonnullis visum est, quod ibidem addit sanctus Doctor; *Vnde relinquitur, quòd sanctificatio B. Virginis fuerit post eius animationem*, & art. 5. ad 2. vbi ait, *Mariam in primâ sanctificatione liberatam à peccato originali*; quod non aliter, quàm de peccato originali formali actuali contracto videtur posse intelligi. Sed hæc verba facilem habent expositionem; quæ proponenda primùm, deinde probanda. Non agit S. Thomas de sanctificatione formali, aut personali; sed de illa, quæ vocatur sanatio naturæ, nempe de sanctificatione primæ conceptionis, & id intendit verbis illis; *Quomodocumque ante animationem B. Virgo sanctificata fuerit*. Constat autem Angelicum Doctorem illam negare Deiparæ, eamque primam conceptionem ab ipsa viciatam reputari. Hæc igitur sanctificatio naturæ contigit tempore immediatè sequenti post instans generationis, aut secundæ conceptionis: nam prædicta sanctificatio naturæ includit gratiam sanctificantem donatam in primo instanti generationis, vel secundæ conceptionis Mariæ, & simul amissionē virtutis in semine, ad inficiendam prolem. Hæc duo habuit Virgo sanctissima: primum in conceptionis secundæ primo momento, quando est donata gratia habituali, simul permanente virtute seminis infecti in actu primo proximo, sine influxione peccati originalis formalis; secundum verò habuit tempore immediatè sequenti, quando amissa est virtus seminis ad deriuandum peccatum; ideò dicitur Deipara esse libera à peccato originali, nec illo grauata, aut oppressa: nos autem grauamur, & opprimimur, quia tam in primo instanti secundæ conceptionis, quàm tēpore proximè sequenti manet virtus seminis viciati in effectibus ab ipso relictis. Quod idem voluit dicere S. Thomas in 3. dist. 3. quæst. 1. art. 1. inquirens, vtrùm B. Virgo fuerit sanctificata, antequā eius conceptio finiretur. Hanc fuisse mentem Diui Thomæ probatur, quia 1. 2. quæst. 81. art. 3. & prædicta quæst. 27. tertiæ partis idem argumentum est tractationis; solùm ea est differentia, quòd tertia parte sigillatim de Maria, at 1. 2. vniuersim de omnibus differit. Deinde controuersia articuli

tertiæ

tertiæ partis est de sanctificatione primæ conceptionis, quam non resoluit, sed solùm dixit, *unde relinquitur*: quæ est resolutio; & quæstio non est de sanctificatione in ipsa conceptione secunda, seu generatione Mariæ, sed de sanctificatione ante generationem, seu animationem: ergo responsio est ad quæstionem à S. Thoma propositam de sanctificatione ante animationem, non verò de sanctificatione in generatione, seu prima animatione Deiparæ. Tandem si Maria non fuit sanctificata in prima conceptione inanimata, iuxta doctrinam D. Thomæ, optimè infertur, nec nisi post instans conceptionis secundæ, id est generationis, seu animationis, fuisse eo genere sanctificatam; quia in ipsam generationem, seu animationem habuit physicum influxum semen Ioachimi, attingens vltimam dispositionem, quia tunc non amiserat prædictum semen corruptionem naturæ, nec cessauerat lex vniuersalis de maculandis omnibus posteris Adami, quantum est ex parte ipsius, licèt ex priuilegio Dei impeditus fuerit effectus, scilicet peccatum originale actuale. Propterea semen Ioachimi commixtum cum sanguine Annæ, aut virtus vtriusque vitiata non potuit sanctificari in primo instanti secundæ conceptionis, seu animationis Deiparæ, nec eius infectio depulsa est vsque ad tempus immediatè sequens primam animationem, in quo nec in se, nec in effectu perseuerauit virtus vitiata paterna, sed omnino est abolita, & extincta, sine vllo effectu consecuto. Quod si D. Thomas in hoc articulo loqueretur de sanctificatione à peccato originali formali, actuali, nec titulo articuli satisfecisset tractanti de sanctificatione ante animationem, nec legitimè argumentatus fuisset, cùm in ipso primo instanti secundæ conceptionis, seu animationis Deipara potuisset sanctificari ex meritis Christi, & ipsius gratia indigere: quia verò Christus nec in prima conceptione habuit peccatum originale in iure, aut debito, ideò nullo modo in peccato originali potuit concipi. Ex quibus fit, primò S. Thomam nunquã mutasse sententiam, quam docuerat in 1. Sententiarum. Secundò, non esse admittendum quod ait Beltranus Gueuara, articulum secundum dictæ quæstionis 27. esse suppositum, quia in bibliotheca vetustissima non inueniretur: quod falsum esse constat, & inutile, quia Angelicus Doctor in 3. dist. 3. quæst. 1. art. 2. idem omnino ait, scilicet Mariam non

fuisse

fuisse sanctificatam ante animationem, nec in ipso primo instanti animationis: nec est toleranda expositio de prioritatibus, aut posterioritatibus naturæ, cùm expressè D. Thomas sermonem habeat de prioritate temporis, in 3. sententiarum, vnde ferè ad verbum translata est doctrina prædicti articuli tertiæ partis. Tertiò infertur ex vi veritatis, & expositionis prædictæ, coactum Ioannem Baptistam Poza retractasse quod dixerat lib.4. Elucidarij tractatu 5. scilicet, responsionem ad 2. prædicti articuli fuisse suppositiciam, quia non quadraret titulo articuli proponentis tractationē de sanctificatione ante animationem, & ipsa responsio differeret de sanctificatione post animationem, de qua nihil erat propositum in titulo articuli. Propter similem causam Frāciscus Garcia Dominicanus tollendas, aut addendas dixerat quasdam responsiones, & argumenta 12. quæst. 102. art. 5. vbi deest solutio ad 10. quam ille supplet; & 22. quæst. 10. art. 9. deest solutio ad 1. argumentum, & quæ ibi dicitur solutio ad primum, est solutio ad quartum; sic (aiebat ille) potuit aliqua transmutatio contingere. Id tunc scripsit, non bene penetrata intelligentia verborum, nec facta collatione omnium locorum Diui Thomæ. Quarto infertur, Magistrum Arauxo in lecturis primæ secundæ, in digressione facta pro exponenda mente Angelici Doctoris varijs in locis de conceptione Virginea disputantis, non interpretatum fuisse legitimè loca varia sancti Doctoris, in quantum ipsi attribuit sentētiam affirmatiuam de conceptione Deiparæ infectâ peccato originali actuali; cùm omnia intelliguntur de peccato originali in reatu, iure, aut radice perseuerante in primo instanti animationis, vt ex prædictis innotescit; nominatim testimonium ex 3. sentent. dist. 3. q. 1. expressè tractat solùm de prima conceptione inanimata, quæ fuit sub peccato originali in iure dumtaxat, & reatu proximo, quemadmodum idem Angelicus Doctor disputat 12. quæst. 81. & consequenter sapientissimè docuit nec in ipso actu animationis primæ, seu generationis, Mariam sanctificari potuisse á peccato originali radicali, seu in iure, & reatu. Quintò infertur, celebritatem illam de prima conceptione inanimata Deiparæ, quam tempore Diui Thomæ Ecclesia Latina tolerabat, licèt in alio sensu, quàm Ecclesia Græca colebat die 32. Septembris conceptionem Baptistæ,

repre-

reprehensam fuisse non solùm à Diuo Thoma, sed etiam à sancto Bernardo; non tamen celebritatem de sanctificatione formali peracta in primo instanti conceptionis secundæ; seu animationis Deiparæ. Quod si acciperetur festiuitas de secunda conceptione secundum carnem, & illa excluderetur à solemnitate; intelligendo solennitatem de sola cõceptione spirituali separata à corporea, dupliciter grauarentur S. Thomas, & alij antiqui Doctores: in primis ex violenta expositione, & verborum extorsione; deinde ex eo quod ipsis affigeretur sententia repulsa à Sixto IV. & Gregorio XV. iubentibus, vt nemo vtatur pro hac solennitate Deiparæ alio nomine, quam conceptionis, quæ non aliter includit actiones corporeas, quàm natiuitas; sic innumeri Scholastici ex antiquis exigunt prædictam expositionem, & sensum, vt in longiori tractatione de hac thesi per singulos discurrendo examinabimus. Et hæc fuit communissima doctrina, & sensus plurium Scholasticorum, quamquam non pauci ex Parisiensibus ducentis ferè annis propter rationes inferiùs allegandas obscurè interdum loquebantur, vt satisfacerent decreto Mauritij Episcopi Parisiensis, qui prohibuerat, ne opinio de immaculato conceptu Virginis in illa Academia pro publicis actibus defenderetur, nec de illa solennitas festiua permitteretur.

3. *Quæ fuerit causa, quare ex antiquis Scholasticis Parisiensibus post annum 1175. vsque ad annum 1370. plures obscure locuti sint de immaculato conceptu Virginis, quamquam firmè crederent ipsam absque originaria culpa formali fuisse productam in secunda conceptione continente inductionem animæ, & quare nonnulli Scholastici Parisienses ijs ducentis annis docuerint opinionem affirmatiuam.*

Anno 1175. Mauritius Episcopus Parisiensis festum illibati conceptus in Academia Parisiensi prohibuit, vt referunt plures Doctores cum Antisiodorensi 3. summæ tractatu 1. cap. 3. & Castronouo Bandello superiori numero allegato capit. 20. ideo pro Academicis actibus, & lecturis, plures Doctores obscurè loquebantur, & vt quoquomodo satisfacerent Episcopali decreto dicebant Mariã in secundę

Conceptionis, id est generationis, seu animationis instanti primo inclusiuè habuisse peccatum originale in reatu proximo, quamquam tunc præseruata fuerit à peccato originali actuali, quo nunquam est infecta; atque ij extra Academicos actus, & lecturas in alijs opusculis expressius suam sententiam negatiuam tuebantur. Alij verò prædicto Mauritij decreto omnino succumbebant concedentes absolutè Mariam in peccato originali formali fuisse primo animatam; at quando extra Academiam Parisiensem habitabant, oppositam sententiam publicis scriptis constantissimè defendebant; nam propter similes causas, licere interdum Doctoribus scribere probabiliter ob extrinseca principia contra propriam opinionem ex principijs intrinsecis creditam probabiliorem, docet communis praxis Scholarum, & sine mendacio id fieri probat Aponte in 1. sap. digress. 2. Hoc maximè tutum est in quæstionibus arbitrarijs cum vrget grauissimi alicuius Patris, aut Doctoris sententia, aut statutum alicuius Academiæ Catholicæ, vel sapientissimi ordinis Religiosi, aut decretum aliquod Patriarchale, vel Episcopale.

Obijciunt quidam nunquam licere Doctoribus in generali contra propriæ opinionis sensum probabilem aliorū sententiam tueri, & si pro singularibus casibus conscientiæ in foro confessionis de rebus non tangentibus iustitiam pro bono pœnitentis, aut consulentis, quamcumque sententiam probabilem sectari liceat. Probant, nam in munere Doctoris fit præiudicium nō solùm examini veritatis, sed etiam officio docendi, atque hoc præiudicium non excusatur ex vlla vniuersali vtilitate, aut commodo spirituali pœnitentium, aut consulentium, quemadmodum accidit in resolutionibus moralibus. Cōmuniter dicitur violatā in hoc debitā reuerentiam antiquis Doctoribus, quibus quodammodo iniuria irrogari videtur, siquis etiam contra proprium sensum non tueatur illorum opiniones omnes, & singulas vti probabiliores. Impugnant alij id vt falsum, nam licuit interdum etiam grauioribus in causis de bonis hominibus referre, quæ omnium confessione emendationem desiderabant. Sic intēperantia Loth, pusillanimitas Aaronis, adulterium Dauid, negationes Petri, persecutiones Pauli, vsuræ Matthæi, incredulitas Thomæ, luxus Magdalenæ, & Zachæi iniquitas memo-

mo-

moratur. Hæc quæ sine peccato fieri non valebant, & errores doctrinæ, qui sine delicto vllo voluntatis grauissimis etiam Doctoribus contigerunt, evulgantur licitè, cùm pro sincera, & incorrupta veritatis explanatione, & pro tuendo fidelium sensu, atque consensu desiderantur, vel etiam pro declaranda humana fragilitate, & ignorantia, vel Dei erga homines misericordia; vel cum necesse est expendere, ne quis in hac vita securus videatur, aut alienus ab errore mentis prædicetur, cum id solius canonici Scriptoris proprium sit; *instruant Patriarchæ*, ait Ambros. 1. de Abraham capit. *6. non solùm docentes, sed etiam errantes*. Nulla igitur est labes sanctissimorum hominum nonnullis erroribus, absque voluntatis crimine implicari: multò minùs, quod non affecti fuerint probabiliores opiniones, siue grauissimi Doctores sint, siue sapientissimæ Academiæ, aut Religiosi cœtus, aut Patriarchæ, aut Episcopi; cùm non eos malitia inducat, vt fallant, sed humana conditio impellat, vt fallantur: alioquin, nec Patrum, antiquorumque Doctorum errores, aut minus probabiles opiniones referri possent, vnde fieret, vt non immeritò reprehenderentur Sixtus Sinensis lib. 5. & *6.* Bibliothecæ, Bernardus Lutzemburg in catalogo hæreticorum, Paulus Grisaldus in decisionibus fidei, Hieronymus Vielmius in libris de laudibus Diui Thomæ, Dominicus Gabrina tom. 3. præscriptionum part. 1. & alij innumeri eiusdem Prædicatorij instituti, & plurium aliorum sacrorũ ordinum, & insignium Academiarum Magistri, atque Doctores, quia non rarò Patrum, & Scholasticorum errores numerant. Idcircò, inquiunt, non est exprobrandus Catharinus lib. 2. de conceptione, qui vt purissimum conceptum Virginis promoueat de Diuo Bernardo, & S. Thom. & S. Bonauent. sub hypothesi negata, quòd opinioni affirmatiuæ contra immaculatum conceptum subscripsissent, hæc ait. *Neq; hoc magnoperè mirandum quia tunc homines erant, & ipsi verè sub originarij peccati tenebris adhuc detenti, vt possent errare*; & non longè post subdit. *Ad sanctos illud pertinet, diminutæ sunt veritates à filijs hominum, & quod Iacob Apostolus dixit in multis offendimus omnem. Docet Thomas non quæcumque dixerunt, aut scripserunt sancti vera à Spiritu Sancto profecta. Nec magnoperè*, inquit, *mirandum si hoc Reginæ nostræ priuilegium Thomam latuit,*

tuit, aut Bernardum, aut Bonauenturam. Et non longiùs à præcedentibus addit. *Maluit Diuus Thomas hoc spiritu impulsus aliorum sensui cedere, quàm proprium retinere, vt sic magis placuerit Deo non error ille, sed humilitas illa, verùm vtcumque res habeat, hic rem concludo, quòd cùm tot viderimus varietates, titubationes, ignorantias, perplexitates, contradictiones horum Doctorum in hac materia, & humana diuinaque iura testibus variè loquentibus, aut inuolutè, aut obscurè, nec de propria scientia testificantibus, haberi fidem prohibeant, idque præsertim aduersus rem piam vllam, etiam nos iure optimo & meritò, & cum bona horum Doctorum pace, ac gratia, eorum dicta, & si sancti fuerint, tamen contra sanctissimæ Virginis prærogatiuam hanc non recipimus. Nam cùm duorum alterum necesse sit nobis fateri, aut peccatum Virginis, si hos non errasse concesserim, aut eorum errorem, si potiùs illam ab omni peccato immunem defendam, magis eligam, vt illos errasse ingenua confessione profitear, qui & potuerunt errare, & in multis etiam errasse deprehensi sunt, quàm vllam patiar gloriæ Matris Dei indignam inuri maculam.* Excedit quidem in ijs Catharinus Diuo Thomæ adscribens opinionem, quam nunquam docuit; quamquam pro ijs, & alijs euentibus, quando maior Dei gloria, & sanctissimæ Virginis prærogatiua vrget, non sine insigni pietate similia proferuntur. Abulensis in caput 25. Exodi quæstione 23. 1. Reg. 8. quæstione 127. & in caput 8. Matth. à quæstione 76. vsque ad 82. & Franciscus Fontanus in verbo Thomas Aquinas, & Dermicius Thadæus in Nitela Franciscana, & Hugo Magnesius, & Mattheus Ferquetus, & Hugo Cabellus in Apologijs pro Scoto, & processus Academiæ Parisiensis contra Montesonum, qui habetur in fine Magistri sententiarum, & alij non pauci nonnullos errores Angelico Doctori tribuunt, & propositiones consignant, in quibus, vt ipsi aiunt, errauit, ex quibus inferunt semper cuilibet Doctori in arbitrarijs quæstionibus non esse liberum, nec tutum saltem pro munere vniuersali docendi contra proprium sensum probabiliorem alicuius Doctoris, aut Academiæ, aut Patriarchæ, aut Ordinis Religiosi sententiam docere; atque adeò non esse attribuendum

dum nonnullis ex antiquis Scholasticis Parisiẽsibus, vt propter condescendentiam cum decreto Maritij contra sensum, quem probabiliorem credebant, docuerint Mariam conceptam in peccato originali formali. Respondetur aliqua in hac obiectione referri, quæ nobis non placeãt, verbi gratiâ, quod S. Thomas fuerit pro sententia affirmatiua in thesi de conceptione; quod sint errores D. Thomæ, qui ab allegatis Auctoribus imponuntur, cùm tribuant Angelico Magistro, quę non dixerit, vel saltem non in eo sensu, quo scripsit, vel nullam mereantur notam, quæ allegantur; vel tandem si quid minus probandum habetur in eius libris ex deprauatione, aut corruptione exemplarium inuectum est, & in autographis, vel emendatissimis codicibus non reperitur. Nunc è diametro satisfaciemus argumento, dicentes rem esse indubitatã licere Doctoribus sectari in munere docendi opinionẽ, quæ minus probabilis videatur à principijs intrinsecis in gratiã magni Doctoris, aut statuti Academici, vel Religiosi, vel Patriarchalis, vel Episcopalis; tũ quia ita docet praxis Ecclesiæ, & sanctissimorum ordinum, & Academiarum; tũ quia vbique timere debet eruditissimus quisque, ne etiam efficacissimis rationibus ductus decipiatur. Potuere igitur sanctè, & tutò nonnulli grauissimi Scholastici Parisienses ob reuerentiam decreti Mauritij Episcopi in Academia Parisiensi affirmatiuam sententiam in lecturis eius diœcesis tenere, & postea alibi commorantes, vbi decretum illud Episcopale non vigebat, negatiuam opinionem, quæ fauet immaculato conceptui scriptis etiam publicis commendare. Hæc est potissima radix discrepantiæ varietatis, & contrarietatis opinionum, quæ reperitur in diuersis opusculis eorundem antiquorum Scholasticorum Parisiensium. Ego si in S. Thoma locum aliquem inuenissem contra immaculatam conceptionem, dicerem apertè ideo locutum, vt decreto Episcopali Parisiensi obediret, etiamsi ipse contrariam opinionem probabiliorem existimabat; quam mentem fulcirem, quod in quibusdam scriptis, si verum esset nonnullorum placitum, modo vnam, modo aliam opinionem tueretur; verum ipse, qua erat sapientia, & dexteritate modum elegit, quo satisfaceret mandato Episcopi, dicens Mariam in primo instanti animationis fuisse sub peccato originali in iure, & debito,

do-

docens in eo instanti nullum fuisse effectum peccati originalis, nec formale, & actuale peccatum, ob gratiam habitualem in primo instanti animationis donatam. Ab illo autem peccato originali in reatu proximo docet merito immunẽ fuisse Deiparam post primum instans animationis, quia tunc nullũ erat peccatum, etiam in iure, & debito, vt superiùs explicuimus. Concludo hanc partẽ concedẽdo disputationi, id quod manifestè falsum est; D. Thomam aliquando scripsisse Mariã in peccato originali formali actuali fuisse conceptam. Si in similem necessitatem impingeretur; & pro gloria Virginis Sanctissimæ opus esset errores nonnullos grauium Doctorũ expendere, vt fecerunt plures, & grauissimi viri, præcipuè ex instituto Prædicatorum, si eos à prœlo, aut amanuensibus excusare nõ possent aliqui, qua possent humilitate, & reuerẽtia eumdem horum autorum sensum pro gloria Virginis explanarent; nec impium existimarent Michaelem Palacios cum pluribus in 3. distinctione 3. disputatione 1. scribentẽ ijs verbis, licet sub hypothesi falsa. *Sententia, quæ creditur de fide esse omnes homines originaliter peccasse, est correcta à Sixto IIII.* Dum tamen certò constaret magnum Doctorem erroneam, aut hæreticam appellasse opinionem piam, quemadmodum immerito, & violenter S. Thom. interpretantur Turrecremata, Castronouo, Prouasius, Montenigro, Bareleta, Spina, & innumeri allegati præcedenti numero; & sub hac hypothesi efficax argumentũ eliceretur, vt in singulis huius controuersiæ adhærentibus cuiuslibet Doctoris auctoritatem debilitata crederetur; verum arbitror certissimum nihil S. Thomã contra immaculatam Conceptionem Virginis docuisse; imò constanter decreto Episcopali non obstante opinionem negatiuam in sententiarijs euulgasse, ideo necesse non est statuere, quod olim quidã scripsit, nihil esse in operibus D. Thomæ contra immaculatum conceptũ, quod dictum non sit, aut per condescentiam scriptum, aut ex aliena mente relatum, aut sub dubio, & hypothesi propositum, aut ab amanuensibus assutum, aut tandem non in postremis monumentis reuocatum, & retractatum; nihil enim ijs modis assertum in illius operibus inuenitur, circa thesim de conceptione. Catharinum, alium tamen scopum considerantes, mitantur Canus lib. 7. cap. 3. & lib. 8. cap. 4. & 5. & lib. 9. cap. 7. & lib. 10. cap. 5. Hieronymus Vielmius in apolegia

logia cōtra obtrectatores D. Thomæ. Bannez 1. part. quæst. 1 art. 8. Turrecremata dist. 9. & 15. & plures alij eiusdem instituti: quos fouet Angelicus Magister, quod lib. 12. art. 1. in illis verbis allegatis à Michaele Palacios in 3. dist. 3. disp. 1: *Sanctos Doctores pleraque multa dixisse de suo, ideo non semper in cunctis illis adhibenda est fides.* Ad hæc in simili casu pertineret, quod scripsit 22. quæst. 11. art. 2. ijs verbis. *Aliqui Doctores videntur dissentire, vel circa ea, quorũ nihil interest ad fidem, vtrum sic, vel aliter teneatur, vel etiã in quibusdam ad fidem pertinentibus, quæ nondum erant per Ecclesiam determinata.* Propterea etiam in casibus nō æque vrgentibus, atque est hic de Conceptione Virginis, fas esse discedere à magna authoritate, scripsere ex ordine Prædicatorio Holcot, relatus à Pio in propugnatione primæ cōclusionis, Durandus in præfatione sententiarum, Canus relectione de pœnitentia part. 4. & toto lib 7. de auctoritate Sanctorum, Turrecremata dist. 9. & dist. 15. Sotus in Logica cap. de Quantitate, Grisaldus in decisionibus fidei, & alij innumeri eiusdem instanti Prædicatorij, quos reliquæ scholæ sectantur, & quorum longiores produxere catenas, & catalogos recentiores.

4. *De expositionibus quorundam testimoniorum contra immaculatum conceptum.*

A tempore Apostolorum, vsque ad Bernardum, nemo vnquam assertiuè dixit, aut scripsit, nominatim, Mariam in peccato originario conceptam. De hac veritate, vt notissima, & sine controuersia, nullus ex professo tractabat. Quæ testimonia ante ætatem Bernardi in contrarium allegantur, solùm continent vniuersales propositiones, quæ si non excipiant Deiparam, fiet propter alias similes clausulas plures numero, & verbis clariores, & expresſiores, & æque vniuersales circa peccata actualia, & communē omnium natiuitatem in peccato, dicendum esse Mariam natam in peccato, & actuales culpas commisisse.

Ex epistola Bernardi ad Lugdunenses probatur manifestē, nihil illum assertiuè dixisse contra immaculatum conceptum Virginis, sed sub dubio locutum, vt patet ex ipsius verbis, quæ refert, & expendit robustissimè Catharinus lib. 2. de conceptione, maxime illis *Consulenda erat Apostolica Sedes.* Quæ autem dubiè, aut problematicè, aut ex hypothesi di-

dicuntur à Patribus, ex omnium consensu nō sunt inter eorum sententias numeranda, vt latè probat Antonius Saura de examine doctrinarum cap. 1. & 2. pro conceptione loquitur conditionate de macula Deiparæ. Præterea non agit de secunda conceptione, sed de prima ante animationem, vt patet ex illis verbis, peccatum quomodo non fuit, vbi libido non defuit. *An inter amplexus maritales sanctitas se ipsi conceptioni immiscuit.* Innumera circa Bernardi mentē nouissime compilauit Ioannes Serrano lib. 2. de immaculata conceptione cap. 26. à pag. 265. vsque ad 274.

Paulò post tempora Bernardi Petrus Lombardus, & Parisienses Doctores, vsque ad Durandi ætatem frequentiùs in sola Academia Parisiensi, aut subtiliter loquebantur propter decretum Mauritij, aut ob eius reuerentiam nonnulli Mariam conceptam in macula originali docebant, dū Parisijs commorabantur: extra illa prouinciam firmiter defendebant Mariam sine culpa originali productam in secunda conceptione, & hanc opinionem simulabant, per principia extrinseca esse magis conformem dictis scripturarum, & Patrum vniuersaliter declarantium, *Omnes præter Christum peccasse; neminem præter Iesum à peccato fuisse immunem: solùm Iesum in Adamo non deliquisse: omnes homines peccato, Adam fuisse inclusos.* Quæ propositiones sæpè dicuntur cum manifestissimis exclusiuis solius Redemptoris. Vt popularì horum locorum intelligentiæ, & Academiæ Parisiensi satisfacerent in lecturis pro ea ipsa vniuersitate, communem illius schol r sensum tuebantur; atque plerique extra lecturas Academicas in alijs quidem scriptis oppositam doctrinā, id est, magis piam, constantissimè, & sæpiùs defendebant, quam. quam S. Thom. quo erat affectus Virgini, & veritati, etiam in lecturis Academicis super Magistrū expresse docuit Mariam absque originaria labe actuali fuisse conceptam.

Academia Pariensis re examinata vidit omnia illa Patrum, & scripturarum testimonia, quæ solum Iesum eximunt à peccato originali, firma non esse contra immaculatum cōceptum Virginis: nam multò plura sunt textus sacri, & sanctorum testimonia, quæ vniuersaliter aiunt, etiam cum similibus exclusiuis generalibus solum Iesum, non habuisse peccata actualia, & solùm Iesum fuisse sanctum in natiuitate, ex quibus fieret Mariam liberè interdū peccasse, & in ortu

suo

suo habuisse originariam immunditiam; quæ duo sine læsione fidei Catholicæ dici non possunt. Præterea iussit Academia prædicta, circa annum Domini 1380. ne opinionem affirmatiuam de peccato originario in sanctissima Virgine quisquam in posterum tueretur: hoc decretum proximis sæculis sanctè seruatum est, & manifestè declarat, vnicam solùm Academiam totius orbis Christiani, quæ duobus ferè sæculis opinionem illam maculantem primam Virginis conceptionem non respuerat ob decretum Mauritij, se ipsam declarasse, & tum propriam opinionem, tum cœtum omnium Doctorum, qui pro ipsius reuerentia ea scripserant, retractasse. Legantur magni illi catalogi auctoritatum à Ioanne Turrecremata, & Vincentio Bandello, & Paulo Grisaldo, & alijs adducti, & manifestè ex ipsorum scriptis, & allegationibus innotescet, neminem legitimè allegari contra immaculatum conceptum, qui non sit ex Parisiensibus, aut ex ijs auctoribus, qui iurarunt in verba alicuius magni Doctoris, qui in gratiam Academiæ eam opinionem ad tempus sustinebat, aut propriam mentem sub obscuris, & æquiuocis verbis proponebat. Cùm verò facta collatione sæculorum, & omnium Ecclesiarum Dei, pro nihilo reputetur iudicium quorundam Parisiensium ad certum tempus per conniuentiam, condescendentiam, & reuerentiam erga nonnullos eiusdem scholæ primates; ideò dicendum est, opinionem illam ex non examinata vi Scripturarum, & Patrum emanantem, non obstare quominùs totius Ecclesiæ Dei sensus esse, & fuisse dicatur, à tempore Apostolorum Mariam sine peccato conceptam. Nonnullæ sunt traditiones in Ecclesia Dei, quæ sine controuersia vbique recipiuntur, quarum non est omnino expressa, & specifica mentio in scriptis Patrum. Sæpe hæreditates, quæ pacifica possessione diù sunt conseruatæ, atque retentæ, nullis muniuntur authenticis testimonijs ciuilibus. Silentium, & inueterata possessio omnium instrumentorum loco est; id est, quod ferè accidit pro immaculata conceptione Mariæ, de qua aut nihil, aut obiter priora sæcula tractauerunt, vtpote de re indubitata, nec illucusque vocata in litem.

Cùm magno nisu, & animi contentione plura testimonia aggregauerint fautores quidam maculæ originariæ in Maria, nihil omnino attulerunt ad eam stabiliendam, præter

ff magnos

magnos,catalogos vniuerſalium propoſitionũ, quæ pro hac cauſa nihil præſtant: quæ autem clariora, & expreſsiora teſtimonia videbantur contra immaculatum conceptum, nominando Mariam, ſelegit Caietanus opuſculo de conceptione, quod præſentauit Concilio Lateranenſi ſub Leone X. Si illa, aut nō allegantur legitimè, aut verè, conſtabit ea, quę vt firmiora propugnacula oppoſitæ opinionis adducuntur, infirma eſſe. Nam & ſæpè ibidem repetit Caietanus pro opinione maculante conceptionem, nullum eſſe firmum argumētum, neque ab Scriptura, neque à Concilijs, neque à determinatione Eccleſiæ, ſed ſolùm ab auctoritate Patrum, quos in eo opuſculo allegat. Salmeron lib. 2. in 5. ad Rom. diſp. 50. ait quindecim auctores allegatos à Caietano contra immaculatum conceptum, quorum quidam, vt Auguſtinus, & Ambroſius falsò citantur, multi inuiti in eam ſententiam coguntur.

Refert Caietanus pro ſua opinione verba quædam Auguſtini in Pſalmum 34. Reſpond. quod ſi confetas eius allegationem cum editione operum Lugdunenſi anno 1561. & Veneta 1570. conſtabit non ea verba in Auguſtino reperiri. Deinde obiter ſunt dicta, & quæ ſic efferuntur, non habent firmam efficaciam: vt probat Saura c. 1. & 2. de examine doctrinarum. Tandem, vt expendit Salmeron ſuprà, allegatur falsò.

Refert ex 10. de Geneſ. ad liter. cap. 18. alia verba cōtra immaculatum conceptum. Reſpond. primò, non eſſe illud teſtimonium in Auguſtino, vt patet ex editione Antuerpienſi anno 1576. Secundò, vt ipſe ait, Auguſtinus in ijs libris non loquitur aſſertiuè, quod ſæpè expendit S. Thomas.

Refert alia ex lib. 2. de Baptiſmo paruulorum cap. 24. Reſpond. non inueniri eam clauſulam in Auguſtino, vt patet ex codicibus Louanienſibus, Antuerpienſibus, & Pariſienſibus.

Refert verba Ambroſij in Pſalmum 118. contra immaculatum conceptum Virginis. Reſpondetur, non inueniri ea verba in Ambroſio, quemadmodum allegantur, vt patet ex editione Romana anno 1585. Omnia prædicta teſtimonia Auguſtini, & Ambroſij falsò allegata docet Salmeron, vbi ſuprà.

Re-

Refert verba quædam Chrysostom. in Matth. Respõd. in toto illo opere Chrysostom. non reperiri.

Refert verba Eusebij Emisseni serm. 2. de Natiuit. Domini. Respond. primò, Eusebium Emissenum fuisse Arrianũ. Secundò, eum sermonem, qui Eusebio, aut Eucherio adscribitur iuxta editionem Coloniensem Bibliothecæ Patrũ anno 1618. longè aliter habere verba allegata à Caietano, ita vt nullatenus opinionem negatiuam impugnet.

Refert verba Remigij in Psalmum: Deus Deus meus. Respond. nullibi in vllo Remigio verba allegata à Caietano contra conceptionem inueniri.

Refert S. Maximum Taurinensem serm. de Assumptione: Respond. nullibi esse mentionem, aut exemplar sermonis prædicti in Ecclesia Dei: imò, & supposititium esse constat, quia tempore S. Maximi non celebrabatur festum Assumptionis.

Refert verba quædã Bedæ super Missus est, & in Hom. 8. Epiphaniæ. Respond. ea, vt allegantur à Caietano esse vitiata, vt constat ex omnibus editionibus.

Refert verba Anselmi lib. 2. cur Deus homo, cap. 17. quæ expresè sunt contra immaculatum conceptũ. Respõd. alieno Bosi nomine, interrogatiuè, aut dubitatiuè verba illa produci, & quamquam Vazquez dicat postea conniuere Anselmum, & quasi ex propio iudicio assentiri discipulo, re profundiùs examinata, constabit non assentiri. Atque id patet ex alijs monumentis Anselmi, in quibus certum est ipsum esse pro immaculato conceptu.

Refert Gerardum sermon. de Natiuit. Virgin. Respõd. sermonem esse fictitium, neque in Ecclesiæ monumentis reperiri: imò de isto Gerardo, quis sit non constare.

Refert S. Thomam, & S. Bonauenturam contra immaculatum conceptum. Respond. primùm fuisse hos duos sanctissimos viros Doctores Parisienses, & propterea licet alieno nomine, & per condescendentiam ad tempus pro lecturis Academiæ opinioni affirmatiuæ succurrissent, nihil indè lædendam esse opinionem negatiuam: nam quando ex proprio iudicio, & in alijs scriptis extra Academicas lecturas hanc controuersiam tractabant, firmiter, & constanter in fauorem opinionis piæ scripserũt. Atque hæc responsio valet non solùm pro Alberto Magno Doctore Parisiensi, verũ,

&

& pro S. Antonino, S. Vincentio Ferrariensi, & alijs, qui asseclæ fuerunt, & discipuli Parisiensium, quos fautores nonnulli maculæ originariæ per longos syllabos referunt. Deinde respondetur S. Thomam numquam, & nusquam scripsisse contra opinionem negatiuam, vt inferiùs expendimus. S. Bonauentura distinctiùs, quàm cæteri rem hanc tractauit; quia distinctas quæstiones adduxit, tum de sanctificatione ante animationem, tum de sanctificatione in ipsa animatione, diuidens peccatum originale in iure, & reatu, à peccato originali formali in actu, & pro singulis adducit multa, & acuta argumenta, vt patet ex 3. dist. 3. 1. part. art. 1. quæst. 1. 2. 3. vbi manifestè succurrit opinioni affirmatiuæ, asserens ob reuerentiam decreti Episcopalis esse communiorem, & tutiorem in ea Academia, in quo insinuat negantem sententiã, idest, magis piam fuisse etiam tunc communem, & piam: & succurit, uod exprimit non esse tutum celebrare sanctitatem Virginis ante animationem. Per solam condescendentiam cum Academia Parisiensi, ita loquutum Bonauenturã constat, quia extra Academicas lecturas, scilicet opusculo de B. Virgine, & in opusculo contemplationis flore 5. & serm. 2. de B. Virgine, expressè ait Mariam sine peccato originali actuali animatam fuisse in generatione. Est autem Bonauenturæ prædictus sermo, quidquid contradicat R..cca.

Verum sigillatim ad testimonia sancti Thomæ adhibenda est legitima expositio Franciscus Arauxo 1. 2. q. 81. art. 3. mentem Diui Thomæ in thesi conceptionis explanãs, omnes illius clausulas de hac controuersia recens compilatur, & intendit probare, semper succurrisse opinioni affirmatiuæ. Nos eodem ordine percurremus, vniuersa testimonia.

Locus 1. 2 q. 81. art. 3. exponitur de Maria contrahẽte debitum originariæ culpæ, non de ipsa culpa actuali: in quo subscribimus Arauxo cum Caietano, & pluribus Thomistis.

Idem D. Thom. in Psal. 13. hæc habet: *solus Christus, nec peccatum contractum habuit, nec commissum: Beata Virgo habuit contractum peccatum.* Quæ verba sunt vniuersalia de peccatis actualibus, & originali, vt patet ex contextu, & ex voce illa *Commissum*, & ex serie Psalmi, & explanationis Angelicæ: solus Christus nullius peccati debitum contraxit, Maria verò contraxit peccatum originale in reatu, & debito,

to,& consequẽter erat debitrix peccatorum actualium;nihilominus nullum habuit peccatum in actu originale, vel formale omissionis, aut commissionis. Interpretatio Arauxi est nimis aliena.

Psalm.45.ait D.Thom. *In ipsa Conceptione sanctũ formauit Deus Iesum,quod fuit singulare in Christo.* Ita est,iuxta mentem D.Thomæ, quia Maria in prima Conceptione, inanimata, fuit obnoxia debito peccati,& conclusa sub lege illius,vt patet ex dictis nu.2.Quia tamen Angelicus Doctor in Christo non agnoscit duas Conceptiones;vnam inanimẽ, alterã inanimatam,sicut expressè de Virgine admittit 3.p.q.27.ideò ait fuisse singulare in Christo,vt nullatenus fuerit conceptus sub debito peccati; propterea extra rem est,& inutilis allegatio huius loci producta ab Arauxo.

Psalm 50.docet S.Thom.verbis proprium sensum: *solus Christus fuit de facto sine originali peccato conceptus.* Loquitur de prima Conceptione,quæ in Christo solũ ex mẽte D.Thomæ fuit animata;in B.Virgine 3.p.q.27.distinguit duplicem Conceptionem,de qua um prima præcedente inductionem animæ rationalis Deiparæ ait fuisse obnoxiam peccato ex vi generationis,& principiorũ,vt optime docet Ioannes à S.Thoma suprà allegatus.Quare non attigit mẽtem Angelici Doctoris Arauxo.

S.Thomas,quodlib.6.art.7.expresse ait Mariam conceptam sub peccato in debito,& probat,sicut 1.2. quia alioquin non indiguisset Christi Redẽptione. Quare sicut Arauxo sectatus Caietanum,& nobiles Thomistas,docet eum locũ intelligendũ esse de peccato originali in debito; nõ verò de ipso in actu,similiter exponere debuit clausulas productas ex quodlib.6.Deinde non tractat D.Thom.de conceptione secunda animata Deiparæ,sed de prima inanimi, quã sentit ex mẽte Ecclesię Romanę fuisse sub debito peccati originarij.Ex dictis magnorũDoctorum illius sæculi constat maximam,tunc fuisse controuersiam de sanctificatione Deiparæ ante animationem,& ideo titulus articuli, q. 27. tertiæ partis est, Vtrũ ante animationẽ B.Virgo fuerit sanctificata, iuxta ea quæ proximis numeris à nobis sunt relata. Diuus Thomas conceptionem secundam interdum appellat Natiuitatem, supponens celebrem distinctionem Natiuitatis; aliam ex vtero, quæ partui coniungitur, aliam

aliam in vtero, de qua dixit Angelus, *Quod in ea natum est de Spiritu Sancto est*, & necdum virgo pepererat Ex hoc loco nil colliget Arauxo.

Opusculo octauo in salutationem Angelicam dicit S. Thomas, *Beata Virgo in originali est concepta, sed non nata*; loquitur de prima conceptione inanimata; addit verò vniuersaliter non in originali natam, tam natiuitatem primam in vtero, quæ est conceptio secunda, quam natiuitatem secundam, idest, ex vtero comprehendens. Hanc duplicem natiuitatem agnouit S. Tho. comm. in 1. Matth. illis verbis. *Nasci de Matre, est in lucem prodire; in Matre nasci, est ipsum concipi*. Hæc sunt loca Angelici Doctoris in quibus expresse, & asseueranter, vt ait suprà Arauxo, docet S. Thomas, Mariam in peccato originali actuali fuisse conceptam; verum ex nuper relatis constat has clausulas non fauere opinioni affirmatiuæ, & ex dictis num. 1. & 2. huius sextæ partis innotescit numquam Angelicum Magistrum docuisse prædictam opinionem, quamuis interdum propter condescendentiam, & conniuentiam cum decreto Mauritij, & Doctoribus nonnullis Parisiensibus obscurius loqueretur.

Ad hominem arguitur contra ipsum Arauxo, quia ipse ait S. Thom. in 4. dist. 43. quæst. 1. art. 4. ad 3. & in 3. dist. 3. quæst. 1. art. 1. quæstiuncula 1. & 2. & in eadem dist. & art. ad Annibaldum, & 3. part. quæst. 27. art. 2. solùm disputare vtrum Deipara ante animationem fuerit sancta, idest vtrum caruerit debito proximo contrahendi peccatum originale: igitur cætera loca per hæc debuisset exponere Arauxo, præsertim cum in 1. sent. dist. 17. q. 2. art. 4. ad 3. & dist. 44. q. 1. art. 3. ad 3. & in Psalm. 14. expresse docuerit S. Doctor Mariam absque originali culpa actuali fuisse conceptam, vt fatetur Ludouicus de Soto Maior Dominicanus in 4. Cant. & Iustinianus ex eodem ordine tractatu de Conceptione, & admittit ipse Arauxo. De Alberto Magno in 3. dist. 3. art. 4. idem dicendum est, ac de Diuo Thoma, cùm eisdem verbis vtatur, & speciatim assitnat hæresim esse condemnatam à Bernardo, & Academia Parisiensi sententiam, quæ ait B. Virginem sanctificatam ante animationem; & licet adderet vt nonnulli adulterantes Alberti verba dixere, Mariam non sanctificatam, vsque ad tempus sequens primum instans animationis, eumdem haberet sensum, ac D. Thomas, vt intellige-

ligeretur de sanctificatione excludente peccatum originale in debito proximo, extinctriam vi seminis.

Refert S. Antonium de Padua serm. de Natiuit. Virginis. Respondetur nullibi eum sermonem reperiri, neque haberi inter opera S. Antonij. Nullum aliud testimonium producit Caietanus.

Addimus, quòd etiamsi nonnulla ex ijs testimonijs verè, & legitimè producerentur, in hac causa exiguum haberet robur; quia plura sunt, & grauiorum, & antiquorum Patrum testimonia, quæ obiter dicunt Mariam actualia peccata cōmisisse, quæ compilantur à Sixto Senensi, Bartholomeo Medina, Ægidio à Præsentatione, & alijs; ergo quando tot essent expressa testimonia Patrum obiter loquentia contra immaculatum conceptum, non obstaret, quominùs diceretur Catholicam Ecclesiam sentire in fauorem purissimæ Cōceptionis Mariæ, quemadmodum pro immunitate à culpis actualibus, ait Concilium Tridentinum Catholicam Ecclesiam firmiter credidisse; cum hac tamen differentia, quod opinio affirmatiua de macula originali, sine erroris, aut censuræ nota toleratur. Alia verò de peccatis actualibus Deiparæ nullomodo permittitur.

Dices ergò: sectatores opinionis maculantis Conceptionem Virginis merentur grauem notam erroris, aut temeritatis, aut scandali, aut grauioris alterius censuræ. Respondetur negando sequelam. Primò, quia non est exploratū ante iudicium Apostolicæ Sedis, an Ecclesia Catholica teneat opinionem magis piam, solùm, vt probabiliorem, vel vt magis certam. Secundò, quia quamuis ita sit, vt Ecclesia Dei sic sentiat, necesse est à Cathedra Apostolica decerni, veram esse relationem facti de communi consensu. Tertiò, quoniā Caietanus, Canus, Grabrina, & alij contra communem antiquorum opinionem scripsere hanc quæstionem esse de numero earum, quæ nullatenus possunt ad fidem pertinere, necesse est, vt antequàm censuram mereatur, hæc etiam pars à Pontifice declaretur.

Obijcies: etiamsi prædicta opinio temeraria non sit, in quantum grauat Mariam originaria labe, at suppositis litteris Apostolicis, quæ præfatam sententiam nominari assertiuè prohibent in libris, disputationibus, concionibus, aut familiaribus colloquijs, ne seditiones excitentur, aut scandala

dala

dala oriantur, aut offendantur aures piæ, sequitur esse declaratam à Sede Apostolica inter seditiosas, scandalosas, & piarum aurium offensiuas, respectu totius Ecclesiæ Dei. Quod autem scandalosum, & piarum aurium offensiuum, & seditiosum est respectu omnium, & singulorum fidelium, id firmiter est sensus Ecclesiæ; ergo in eodem gradu sunt immaculatæ conceptionis pietas, & immunitas à peccatis actualibus Deiparæ. Respondetur, in hac re submittenda esse nostra iudicia in obsequium Apostolicæ Sedis, & constanter dicendum, prædictam opinionem nulla graui nota infamandam, etiamsi robustissima appareāt argumenta, donec sancta Sedes decernat, quid tandem faciendum sit, aut dicendum; non enim sufficit, quòd opinio maculans Virgineam conceptionem, seditiones, scandala, & piarum aurium offensionem inuehat, vt illi detur nota vlla, si Apostolica Sedes iubeat, ne ijs notis traducatur, aut infametur. Scandalosa theologicè non est, cùm non tribuat occasionem ruinæ spiritualis per lapsum in peccatum: minùs propriè dicetur scandalosa ex pietate audientium, qui conturbantur, & scandalizantur, si ea publicè defendatur; vt in hac parte declaramus.

Quod attinet ad inflictionem pœnæ, non maius supplicium habet homo insanus à natiuitate, qui post centum annos vitæ decedit cum solo peccato originali, quàm haberet paruulus abortiuus, qui vna hora post animationem morere tur: ideò ex hac parte non nimium fauent sanctissimæ Virgini ij, qui dicunt Mariam in peccato originali actuali conceptam, at citissimè ab eo fuisse mundatam.

3. *A nouissimo decreto Gregorij XV. declaratum est, quid nunc sub Conceptionis nomine Ecclesia intelligat.*

Affirmauit quidam Neotericus, simulque docuit, hanc doctrinam à plurimis, grauissimisque Theologis iam olim traditam, etiam ante decretum Gregorij XV vt latè probat Salazar libro de Conceptione, cap. 33. & Ægidius Lusitanus lib. 3. de præseruatione Virginis, quæst. 6. §. 5. & 6. & videtur inferri clarè ex verbis Sixti IIII. in extrauag. *Graue nimis*, de reliquijs, & veneratione Sāctorum, vbi ex eo quod Romana Ecclesia festum conceptionis publicè, & solenniter celebrabat, damnat tanquam erroneas propositiones quorundam Concionatorum, qui dixerāt non posse sine peccato

mortali

mortali affirmari Dei Genitricem ab originali macula fuisse præseruatam: vbi Pontifex manifestè supponit Ecclesiam Romanam instituisse festum Cõceptionis immaculatæ, alioquin debile, & indignum esset argumentum Pontificium ad damnandam, tanquam erroneam, propositionem illorum Concionatorum; nam ratio Sixti est hæc; Ecclesia Romana celebrat hoc festum, ergo error est dicere, non sine peccato mortali affirmari præseruationem Virginis ab originali. Hæc ratio supponit vt certum, festiuitatem esse de immaculata Conceptione: nam si hoc non ita esset, cui erraret contra fidem? aut in quo derogaret Ecclesiæ Romanæ qui sententiam de Conceptione immaculata condemnaret? Notum igitur est ex Pontificis verbis, intentionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in celebritate huius solennitatis esse, colere præseruationem Deiparę â macula originaria. Idem magis confirmatur ex alia extrauaganti eiusdem Sixti IIII. desumpta ex libro inscripto Monumenta Ordinum, tractatu primo, quam allegant Corduba quæst. 44. Manuel Rodriguez bulla 17. Ægidius de Præsentatione, lib. 3. de Conceptione, q. 6. §. 6. & alij plures, ex quorum allegatione, & testimonio saltem probabilissimam auctoritatem habet hæc secunda bulla. Subscribit Ioannes à S. Thoma, in 1. part. S. Thom. disp. 2. de auctoritate Angelici Doctoris, art. 3. pag. 230. optimè liberans eum ab opposita opinione: nam illius sæculo nondũ Ecclesia Romana decreuerat sub nomine Conceptionis celebrandam esse festiuitatem de hoc mysterio; & ideò eam doctè, & piè ad sanctificationem transtulit: diù post illius mortem Sedes Apostolica, maximè Gregorio XV. præsidente; præcepit, vt non sub nomine sanctificationis festum de illa celebraretur; in quo nihil contra doctrinam D. Thomæ decretum est, sed definitum dumtaxat, iam Ecclesiam aliquid publico cultu venerari, quod illius tempore nõ celebrabat.

Obijcies: si ita est, ergo tota lis de Conceptione decisa est in fauorẽ sententiæ negatiuæ, cùm tamen Gregorius XV. testetur nihil vsque adhuc esse definitum de illa. Hæc obiectio, etsi communis, infirma est, nam longè diuersum est, Ecclesiam celebrare festiuitatem in memoriam alicuius mysterij, ac definire idem mysterium: nam Ecclesia vniuersaliter celebrat festum Præsentationis Deiparæ infantis, cùm tamẽ illa historia definita non sit, sed sola fide humana constet,

ab antiquis scriptoribus accepta. Sic Leo Papa III. Mantuæ approbauit canonicè Christi sanguinem, qui ex eius imagine fluxerat, vt publicè coleretur, vt Platina in eius vita retulit, non tamen illud de fide esse disiniuit. Similiter ex tacito Pontificum consensu proponuntur veneranda multorum sanctorum corpora de nouo inuenta, pro cuius cultu indulgētias concedunt summi Pontifices; non tamen definiunt de fide illa esse verè corpora illorum sanctorum. Longè igitur aliud est declarare, quod Ecclesia celebrat Conceptionē immaculatam Virginis, ac de fide decernere aliquid circa ipsū mysterium. Etenim, vt festiuitas celebretur, non requiritur fidei certitudo circa totum illud, quod proponitur celebrādum, sat is est, quod illud sit aliquid pertinens ad Deum, vel ad sanctos, de quorum sanctitate non dubitatur, & quod aliū de sit aliqua historia, vel aliqua veritas benè fundata, & prudenter credibilis. Semper enim cultus vltimò ad Deum refertur, vel ad illum sanctum, ad quem res illa creditur pertinere, & in quo colendo nullum potest esse periculum. Ita se gessit Ecclesia Romana in festo Conceptionis Deiparæ; nā licet nihil definierit verbo, vel scripto circa veritatem ipsius mysterij, quia tamen illam prærogatiuam Virginis inuenit stabilitam sufficienter, & prudenter credibilem, instituit solennitatem in memoriam illius prærogatiuæ, & declarauit suam intentionem esse illam celebrare, vt constat ex officio Ecclesiastico, quod Sixtus IV. approbauit, & in festo Conceptionis recitari solebat; in eo sæpiùs dicitur Virgo praseruata ab omni culpa originali.

6. Quid dicant Doctores huius temporis de certitudine sententiæ negatiuæ in thesi de Conceptione, & de statu oppositæ opinionis.

Tractatur hæc pars occasione cuiusdam Auctoris scribentis Romanam Ecclesiam statuisse sententiam, quæ docet Christum in azymo celebrasse ita esse veram, & certam, vt à parte rei nullomodo sit falsa; qui auctor demum addidit feliciorem statum consequutam opinionem negatiuam in thesi de Conceptione, quam affirmatiuam de celebratione Christi in azymo. Pro huius enodatione expendebat ille Ecclesiā Romanam ipsa praxi, etiam habet celebrandi in azymo, ostē d[illegible] certum esse in c[illegible] panis s[illegible] [illegible] etiā propter Græcos aliter opinantes [illegible]

Ca-

Cathedra omnino definire: similiter in controuersia de Cōceptione existimat Ecclesiam Romanam ipsa praxi celebrationis festi de Conceptione,& alijs multis indicijs satis ostendisse,sibi certam esse Virginis immunitatem, eamq; ita veram,& certam existimare,vt nullomodo sit falsa, quamquam noluerit hunc suum sensum definire propter aliquos Catholicos contrarium opinantes. Quid de hac opinione sentiendum sit ex inuestigatione certitudinis sententiæ negatiuæ in thesi de Conceptione,cognoscendum est. Pro intelligentia supponenda sunt nonnulla.

Suppono in primis opinionem affirmatiuam olim fuisse probabilem,propter decretum Mauritij, & illam condescendentiam quorumdam Doctorum Parisiensium, qui pro obseruantia illius,aut æquiuocè loquebantur, aut pro lecturis Academicis defendebant Mariam in originaria labe cōceptam.Cæteri,qui succedentibus annis similiter scripsere, ideò sic opinati sunt in fauorem placiti affirmatiui, quia sectatores erant alicuius magni Doctoris Parisiensis.

Secundò suppono à Sixto IV. sententiam negatiuam redditam probabiliorem,quia illam damnātes compescuit, & præcepit celebrari festum immaculatæ Conceptionis, illiusque cultum indulgentijs, & alijs gratijs extulit, vt ad eius obseruantiam vniuersi fideles conspirarent.Quoniā verò iam tunc probabiliùs fuit prædictam solennitatem esse de sanctitate primæ animationis Deiparæ in primo formationis instanti, & non de prima sanctitate post instans animationis, iam exinde maior fuit probabilitas sententiæ negatiuæ, cui communior Scholarum assensus suffragabatur.

Tertiò suppono maiorem adhuc factam eiusdem negatiuæ sententiæ probabilitatem post Concilium Tridentinū decernens loca scripturæ de peccato originali formaliter,& in se non comprehendere Deiparam:ita vt quāuis satis probabiliter dici queat Mariam sub peccato originali in iure,& debito fuisse comprehensam à Paulo, & cæteris canonicis scriptoribus:improbabile sit ex mente Pauli,idem affirmandum de peccato originali actuali: non enim, quod Paulus comprehenderet, Concilium Tridentinum non comprehendisset.

His positis recitatiuè dumtaxat,proponemus,quæ statuant

tuant Doctores nonnulli huius temporis de præsenti statu opinionis affirmatiuæ. Albertinus ab Ægidio allegatus lib. 3. de præseruat. quæst. 2. art. vnico, §. 4 ait illam grauem notam mereri; consentit Maior in 3. dist. 3. quæst. 1. Parisienses eam grauiter condemnarunt, nec tamen Sedes Apostolica ipsorum articulum expurgauit. Granados lib. 3. de Conceptione disp. cap. 30. ait, non esse probabilem, nec opinionem, sed tantum secundum quid comparatione paucorum. Emanuel Rodriguez tom. 1. quæstionum regularium quæst. 57. art. 2. eundem sensum probat. Ægidius de Præsent. lib. lib. 3 de præseruat. quæst. 6. art. 1. §. 4. & 9. eandem mentem adscribit Cordubæ, & alijs, vt patet, si hæc loca cum §. 3. conferantur, & §. 10. docet negatiuam sententiam esse certam, & non solum probabilem; affirmatiuam verò solum esse opinionem toleratam. Nec dissentit Suar. tom. 2. in 3 part. disp. 3. sect. 6. dum expendit hanc affirmatiuam existimationem nunquã a Pontificibus probabilem appellatam, sed ab errore tantũ, vel hæresi excusatam fuisse; ideò subdit nullam incurrere pœnam, qui dixerit illam improbabilem, & illius sectatores venialis culpæ reos esse. Bellarminus lib. 3. de cultu sanctorum cap. 16. expressè docet hoc ipsum ijs verbis: *Et non ex eo, quod Ecclesia celebrat festum Conceptionis, nihil dubitamus Conceptionem illam aliquomodo fuisse sanctam.* Satis ostendit ex festiuitate Ecclesiæ colligi certam esse illam sententiam, ita vt nõ possit esse falsa, alioqui non præstaretur assensus absque dubitatione. Salazar tom. de Concept. capit. 43. ait sententiam negatiuam esse physicè certam. Addunt nonnulli, quando Pius V. affirmatiuam partem appellat opinionem, loqui de opinione secundum quid: Paulus V. nihil addidit ad censuram pertinens, sed ad pœnam. De Gregorio XV. suprema Inquisitio Romana ait, non intendisse reprobare opinionem affirmatiuam, sed illam in suo statu relinquere; non ideo illam probabilem nominat, ideò non indeteriori conditione, quoad externã professionem illam collocat, ad vitanda fidelium scandala, quidquid dicat Grabrina tom. 3. præscript. part. 1. pag. 394. non examinatis verbis Pontificum; ipse Grabrina tom. 3 Cathol. præscriptionum à pag. 265. vsque ad paginam 395. sparsim interdum explicitè, interdũ implicite subuertere curat fundamenta, quibus statuitur sententiam negatiuam posse definiri; cùm tamen plures

di-

dicant cum Valentia 3.part.disp.2.quæst.27.illam continere totius Ecclesiæ sensum in quadam saltem potentia proxima, atque idcirco proximè definibilem esse.

Adde pro cognoscendo statu præsenti affirmatiuæ sentētiæ: a quibusdam dici solet censurā etiam mentalē de errore contra sententiam negatiuam esse damnatā à Pio V. cū sola censura in ore, & calamo contra opinionem affirmatiuā; non verò mentalis cōdemnetur. Additur ab Ægidio, & alijs solū peccatum inobedientiæ perpetrari in censura, & cōdemnatione opinionis affirmatiuæ veluti hæreticę, & erroneæ, nihil tamē delinqui contra fidē. Probant, quia alioquin articulus Parisiensis nō toleraretur à Pōtificę. Ijs tamē non obstātibus constanter dicendū est: primò prædictā opinionē affirmatiuā non esse hæreticā, vel erroneam, quia Sixtus IV. & Pius V. expressè decreuerunt, nihil in hac controuersia esse definitū. Secundò, dicendum est non esse eandem opinionem Theologicè scandalosam, nā hæc censura illis solū doctrinis est debita, quæ inducunt ad peccandū; sed opinio affirmatiua est circa thesim, aut quæstionem de facto in materia speculatiua, nihil docēs circa operationes morales, ergo non est scādalosa Theologicè. Quod Manuale Prædicatorum, & plures Theologi scandalosam illam appellent, longè alium habet sensum, quem literæ Apostolicæ Pauli V. & Gregorij XV. expresserunt; scilicet, quia est occasio rixarum, & tumultuū, non ex obiecto, sed ex pietate, & deuotione fidelium, erga mysterium immaculatæ Conceptionis; idcirco Pontifices, non contra scandalizatos, sed contra dantes scandalum nunus propriè dictum Apostolicas literas armarunt.

7. *De collatione cuiusdam recentioris super fœlicitate sententia negatiua, & ea, quæ ait Christum in azymo celebrasse.*

Scripsit quidam hoc sæculo sententiam de immaculata Conceptione Virginis, fœliciorem à Gregorio XV. effectā, quam quę affirmat Christum in azymo celebrasse, & maiori diligentia exclusam esse à cœtu fidelium opinionem affirmatiuām de fermento originariæ culpæ in Deipara, quàm quæ docet Christum in fermentato celebrasse; non de gradu veritatis collationem suscipit, sed de gradu fœlicitatis. In hoc sensu vix negari queat maiori cum diligentia expulsam esse opinionē affirmatiuam de fermento Deiparæ, quā opinionē

asse-

afferentem Christum in fermentato consecrasse. Hāc enim, quoad actus externos,& publicos Ecclesia numquam prohibuit, cum permittat Græcos Sacerdotes in fermentato cōsecrare, qui ideò sic celebrant, quia existimant Christum in fermento sacrificasse: illam verò sententiam de fermento culpæ originalis in Deipara, quoad ritum publicum, Ecclesia non tacitè omnibus presbyteris, iubens, ne vtantur in officio Ecclesiastico voce *Sanctificationis*; quæ videbatur insinuare Mariam fuisse fermentatam, seu maculatam: interdixit etiam clarissimè, ne aliquis in priuatis colloquijs affirmaret illud fermentum, seu maculam Deiparæ, cùm tamē Græci etiam inter Latinos degentes, vsque adhuc expressè non sint prohibiti affirmare Christum in fermentato pane consecrasse: falsum verò est asserere prædictam Græcorum opinionem esse erroneam; licet enim error sit defendere Latinorum consuetudinem in azymo consecrandi esse irrationalem, aut illam consecrationem non esse validam, non est tamen error dicere Iesum in fermentato sacrificasse; nec vlla inuenitur eius expressa prohibitio; nam & sic plures Græci Patres opinati sunt cum Cyrillo, Chrysostomo, Theophylacto, Nicephoro, & alijs dicentibus Christum pridie Paschę celebrasse, quos retulit Suarius tom. 3. in 3. part. disput. 40. sect. 3. Hoc principio posito inferunt probabiliter Christum consecrasse in pane fermentato, licet enim iustis de causis anteposuerit celebrationem Paschatis per vnum diem, & consequenter debuerit vti pane azymo in ipsa Cœna legali, peracta tamen illa cæremonia potuit redire ad panem fermentatum, quia nondum inchoatum fuerat tempus prohibens vsum panis fermentati, & solùm permittens azymorum esum. Illa autem opinio de antepositione Paschatis facta à Christo, numquam ab Ecclesia Latina, aut prohibita est, aut condemnata. Est quidem erroneum, & errori proximum docere, Christum non comedisse agnum Paschalem, quod tamen illum comederit pridie, quam Iudæi, erroneum non est.

8. *De quadam sententia Valentiæ circa futurum statum sententiæ negatiuæ in thesi de Conceptione.*

Valentia 4. tom. disp. 2. quæst. 1. punct. 2. scripsit sententiam de immaculata Conceptione, etiamsi nihil expressè per

li,

literas Apoſtolicas decernatur, progreſſu temporum futurā in eo ſtatu, quem nunc habet ſententia de Reſurrectione corporis Deiparæ: id docuit ante decretum Gregorij XV. Poſt illud maioribus argumentis ductus, id dicere potuiſſet, quia communis omnium fidelium ſenſus circa vnam doctrinam, proculdubio facit, vt nemo ſine temeritate poſsit opinari oppoſitam: cùm autem Gregorius XV. ſtrictè habeat etiam in priuatis colloqu js affirmatiuam opinionem ab vllo afferi, quam plures ſuſpicantur prudentes, ipſo temporum fluxu, nemine prorſus contradicente repellendam, & ſimul omnium fidelium conſenſum immaculatam Conceptionem fore approbaturum; ac per conſequens vox publica ætatum, ac ſæculorum eandem firmitatem dabit Conceptioni illibatæ, quam habet Virginis Reſurrectio abſque vlla alia expreſſa definitione Eccleſiæ: præſertim cùm plures fuerint Patres, qui expreſsè negauerint Reſurrectionem Mariæ, quàm eius ab originaria labe præſeruationem. Statuere quando negatiua ſententia ſæculorum decurſu ſtabilienda, & firmanda ſit, non eſt oppoſitæ opinioni cenſuram inurere, vt falsò exiſtimauit Grabrina tom. 3. Præſcript. part. 1. pag. 367. ſed prudenter coniectare, quid in poſterum accidet.

Expendere hic debemus, falsò ſupponere Grabrinam tom. 3. Præſcript. part. 2. pag. 394. duos Ieſuitas, quos nominat, præiudicare opinioni affirmatiuæ, dicentes ex decretis Pauli V. & Gregorij XV. eſſe in deteriori ſtatu: probat ſuppoſitionem ex eo, quòd Pontifices dixerint ſe relinquere opinionem prædictam in eodem ſtatu, & terminis, in quibus reperiebatur: ſic quidem ſcripſit Grabrina, non conſiderans, nec expendens verba, quæ immediatè in illo decreto ſuccedunt, *Præterquam quoad in ſupradicto fœlicis recordationis Pauli V. & in hoc decreto diſpoſita.* Cùm enim in illo decreto ea ſententia prohibita fuerit, quoad omnia colloquia, etiam priuata, & reiectum etiam ſit nomen ſanctificationis, quod olim pro celebratione Conceptionis vſurpabāt nonnulli, negari non poteſt, quin eo ipſo illa opinio affirmatiua in deteriori ſtatu relicta fuerit. Quare non eſt contra mandatum Gregorij XV. dicere, quid ex illo deteriori ſtatu nunc, vel poſtea illa opinio habitura ſit.

.§.

9. Iudicium de cuiusdam Neoterici doctrina, dicentis examinatiuè sine assertione sententiam piam de immaculato Conceptu adeptam esse statum beatificationis, seu canonizationis.

Hæc doctrina absolutè prolata est ab Ægidio de Præsentatione, lib. 3. de Conceptione. qu 6. art. 1. § 9. & illam integro opusculo defendit Fr. Franciscus de Sancto Ioseph Suessa, quod Paulo V. obtulit. Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 3. sect. 5. expressè ait, Ecclesiam quodammodò conceptionem Virginis canonizasse, & idem indicat sect. 6. Hanc sententiam alij etiam Doctores aliter explanarunt, & confirmarunt, vt simul cum illa literis Apostolicis debita obedientia seruaretur.

Quòd Ecclesia in honorem Conceptionis solennitatem indixerit, dicunt illius sanctitatem esse canonizatam: & quia simul opinantur Apostolicam Sedem in canonizatione sanctorum errare non posse, idem adstruunt de canonizatione festorum, & nominatim de celebritate Conceptionis: nam tota infallibilitas canonizationis est propter cultum publicum. Licèt enim Pius V. statuat, nihil in hac thesi ab Apostolica Sede definitum, docent ij Auctores, Pontificem de expressa verbali definitione sermonem habere, non tamen de virtuali, quæ in factis sine locutione scintillat. Quoniam verò non omnes credunt factum aliquod ex ijs, quæ pro opinione negatiua laudantur, & probantur, esse definitum, non est hæreticus, vel erroneus qui illam negat; & præterea quia nonnulli censent, non esse de fide sanctitatem Conceptionis aut canonizatam esse, aut festo celebratam, vel quia fortassis negabant sanctitatem coli, sed solùm dedicationem quandam, aut sequestrationem extrinsecam à prophanis, vel initium, quo cœpit esse fœmina in posterum futura maximè salutaris, sicut solennitas de conceptione Baptistæ, die 24. Septembris apud Græcos, vt ita Bellarminius lib. 3. de cultu sanctorum, cap. 16. Bonauent. in 3. dist. 3. 1. part. art. 1. q. 1. Nihilominus ipse Bellarminius docet ibidem, indubitatum esse quod festo hoc celebratur, siue sanctitas sit, siue dignitas officij: sanctitatem autem celebrari dixere S. Thomas 3. p. q. 27. art. 2. Petrus Cell. lib. 6. epist. 23. & epist. 167. Bernar. epist. 174. Bonauent. suprà, & alij innumeri: Vasquez 3. par. disp. 117. cap. 5. cum alijs scripsit, festum de Conceptione

immaculata

immaculata tantum esse, vt de opinione magis probabili, nô verò, vt de indubitata sententia. Id difficile in hoc tramite opinandi arbitrantur alij, quod sicut in natiuitatis Deiparæ festo nihil distinguitur ex ijs, sed vt absolutè sanctum celebrari præcipitur; ita in conceptionis festo videtur contingere. Sic plures aliæ sunt viæ, quæ excusent sectantes affirmatiuam opinionem à nota hæresis, vel erroris. At Pius V. qui ob præmissa decernere potuit, nihil in hac controuersia expressè, & formaliter definitum, non negauit probabilem, & virtualem definitionem. Deest quidem verbalis, & expressa Ecclesiæ definitio de sanctitate conceptionis, vt necessario credenda, dicunt tamen opinatiuè ij Doctores virtualē esse definitionem; quia festa, & solennitas loquendo moraliter emanare non possunt, nisi ab infalibili sententia de sanctitate rei festo publicata, quod licet de fide non sit, assensum tamen exigit sublimiorē, quam qui in probabilibus placitis reperiatur. Sedes Apostolica nihil docuit circa controuersiam, an liceat sine peccato sentire Mariam in originaria labe cōceptā, sed solùm iussit, ne quis dicere audeat mortaliter peccare eum; qui alterutram partem tuetur. Nihil agit de sensu interno, sed permisit olim externam professionem opinionis affirmatiuæ absq; nota hæresis, & erroris, & iussit, ne vtriusque partis assertores inuicem se verbo, aut scripto de reatu peccati mortalis condemnarent: Quia Doctores ij solùm opinatiuè se loqui expendunt in eo quod de virtuali definitione docuerunt, nullam imponunt affirmatiuæ opinioni cēsuram; nam quod ait Turrianus centuria 2. dub. 55. si quis dicat vnam opinionem probabiliter videri sibi de fide, non ideo imponit censuram contrariæ. Sic sæpè dicimus aliqua esse virtualiter, & probabiliter in scripturis, & concilijs.

Iuxta expositionem relatam probant intentū, quia canonizatio, tunc inuenitur, quando Pontifex præcipit vniuersaliter pro tota Ecclesia cultum, & venerationem alicuius sancti. Si accommodetur hoc nomē ad festiuitatēs ab Ecclesia institutas, tunc solennitas canonizatur, quando cultus toti Ecclesiæ vniuersali præcipitur; nam & tunc habetur testimonium publicum Romanæ Sedis decernētis festū illud esse veneratione dignum, atque vt tale communi festorum catalogo adscribēdū; id iā olim præstitit Romana Ecclesia circa

Conceptioně,& multò clarius post decretum Gregorij XV. omnibus in vniuersum iubentis, vt celebrent Conceptionis solennitatem sub nomine Conceptionis; ergo asseri potest eo modo, quo festiuitates canonizari possunt, hoc festum esse canonizatum. In genere canonizatio propriè est hominum dumtaxat, minus propriè etiã festiuitatibus applicatur, quia quando illæ solenniter instituuntur, recipiuntur in canonem sanctarum festiuitatum.

Obijcies hinc sequi contra intentionem Pontificum, vt sicut post canonizationem alicuius sancti, non potest aliquis sinistrè de illius sanctitate sentire, sic etiam post canonizationem huius festiuitatis de Conceptone immaculata Virginis, nulli prorsus licebit oppositum sentire. Respondent opinionem negatiuam eo modo, quo canonizata est habere etiam illam prærogatiuam, vt non possit interiùs aliquis ei præiudicare; non enim dicitur canonizatam fuisse Cõceptionem immaculatam, sed eius festiuitatem, vt sententiã magis piam, sicut tempore Pij V. solennitas Præsentationis Virginis canonizata erat; non verò ipsa præsentatio, siquidem ablata est ab eodem Pio V. ex Calendario; sic dicitur canonizatum nunc esse festum immaculatæ Conceptionis, atque adeò neminem interiùs posse sentire hanc solennitatem non esse dignam cultu, & veneratione communi præscripta ab Ecclesia. Similiter dicitur sententiam piam esse canonizatam in ratione opinionis, atque ideo neminem posse etiam interiùs sentire hanc opinionem non esse talem, vt merito potuerit Ecclesiam mouere ad præscriptum cultum, & venerationem. Addunt ipsum etiam Mysterium, & ipsam Conceptionem fuisse canonizatam eo genere canonizationis imperfectæ, quod statuit quidem cultum, & festiuitatem externam; non tamen definit aliquid circa veritatem mysterij definitione verbali, & expressa, atque ideo, nec præcepto verbali, & expresso prohibet dissensum internum: circa quæ potest esse quæstio de nomine, an hæc dicenda sit simpliciter canonizatio: meliùs nominabitur diminuta canonizatio, vt Suarius suprà allegatus, appellauit.

10. An

10. *An de fide sit probabiliorem esse opinionem de immaculata Conceptione, quàm oppositam.*

Affirmant plures cum Ægidio de Præsentatione lib. 3. de Conceptione quæst. 6. art. 1. §. 7. Addit autem num. 43. non posse hanc propositionem sine ingenti temeritate negari. Similiter docet Salazar lib. de Conceptione cap. 43. Ratio est, quia Pontifex potest aliquando definire, non solum veritatem alicuius propositionis, sed etiam maiorem probabilitatem ipsius, iuxta communem Theologorum sententiam, vt probat Turrianus in selectis part. 1. disputatione 30. dub. 3. Hoc autem videtur de facto fecisse in controuersia de Conceptione amplectendo opinionē piam, & ad eius venerationem, & cultum exhortando omnes fideles indulgentijs, gratijs, & alijs similibus. Nec propterea conuincitur aliquid definitum esse de veritate ipsa mysterij: ideò nō benè arguitur vniuersaliter in Theologia, ex eo, quod sit probabilior aliqua pars, quod necessario debeat esse verior; nam Aristot. ait, *sæpè sæpiùs falsa sunt probabiliora veris*: in nostro casu verbali, & scripta auctoritate solùm declarat Pontifex sententiam piam habere maiora fundamenta rationis, & auctoritatis, licet nondum extrahatur ex classe opinionis probabilioris.

11. *Proponuntur varij modi liberandi Mariam à peccato originario in debito, & reatu.*

Celebres sunt hoc tempore opiniones, quæ Mariam à peccato originario in iure, & debito liberauerint, quam mētem maior pars Theologorum per totam Hispaniam etiam libris editis ijs annis comprobauit, exornauitque post decretum supremæ Inquisitionis, quo ab omni censura liberæ declaratur opinio Deiparam à prædicto debito eximens. Lezana in libro apologetico pro immaculata Virginis Cōceptione cap. 32. pro hoc placito affert triginta ferè auctores ex antiquioribus, & recentioribus: ijs accedunt Ludouicus de Ponte lib. 7. in Cantica exhort. 20. §. 3. Granados, & Salazar in libris de Conceptione.

Antequam varios modos liberandi Mariam à debito originariæ culpæ proponamus, expendendum est pactū Dei initum cum Adamo, & legem ex eo manantem de transfusione iustitiæ originariæ, aut priuationis ipsius in posteros, cōtinere duo. Primò, generationem ex semine Adami. Secundò,

dò pactum de transfusione iustitiæ, aut priuationis ipsius. Quando illi generationi adiungitur pactum generale sine exceptione, omnes, qui sic nascuntur, proximum debitum ad peccatum originale contrahunt, vt similiter titulum haberent proximum ad iustitiam originalem non peccante Adamo: nam iustitia originalis in statu innocentiæ, vt peccatum originale in natura lapsa inferuntur per consequentiam legitimam. Si Deus postea aliquem exciperet dispensatione, aut priuilegio, illum quidem à peccato originali actuali eximeret, non verò à peccato originali in debito, & reatu. Est igitur peccare in Adam idem, atque posteros accipere transfusam ipsius voluntatem præuaricantē: itaut cum filij concipiendi sint, in labe originaria producantur, nisi eripiantur à Iesu. Atque hoc est debitum contrahendi peccatū, id est ratio ob quam sumus obnoxij lapsui à prima conceptione. Remotum debitum est quodcumque ante hoc proximum consideratur, siue in causis extrinsecis generationis, siue in materia futuri corporis humani. Debitum proximum, & remotum alij aliter explicant; nam proximum dicunt esse subiectiuum, seu personale in primo instanti animationis; vt Ferrara 4. contra gentes cap. 50. Henriquez lib. 3. de confirmatione, & extrema vnctione. Ægidius de præsentatione lib. 2. quæst. 4. art. 5. remotum verò, quod in causis, vel in materia corporis humani ante animationem reperitur; sic variæ sunt acceptiones apud Doctores, nos autem ei, quàm superiùs in alio numero proposuimus, in decursu huius disputationis adhærebimus.

Deinde expendendum est pactum, & legem comprehēdisse omnem generationem humanam, quæ in se miraculosa, vel supernaturalis non esset, siue à solo viro, siue à sola femina extraordinario concursu perageretur. Demus ex abundāti verum esse, quod scripsit Plutarchus 2. Paradox. ex Aristotele, asinam concumbentem cum viro peperisse filiā humanā formosissimā Onoscelim dictam; item quod refert ex 3. Italicarum Agesilai, partu editā filiam eponā nomine ab equa commixta viro, tunc peccatum originale proculdubio fœtui concedendum esset, licet non ex coniunctione viri, & fœminæ nasceretur, sed ex coitu viri cum bestia. Tostatus in 1. Paradox. ait Arnaldum Villanoua collegisse semen humanū in vase præparato cōfortatiuis, & transmutatiuis, & paucis post diebus inuentū fuisse organizatū membris. Henricus Kotamanus

manus refert in Belgio ex viro, & vacca puerum natum, qui baptizatus adoleuit, & fuit pius. Ioannes Saxo, Ioannes Magnus, & eius successor Olaus scribunt Reges Danorum vrsum progenitorē habere, quem aiunt rapta Virgine pulcherrima suscepisse filium elegantē forma; Fuluium stellā ex odio mulierum filiam habuisse ex equa; puerum natum Chramchsjs ex capra, & adolescente referunt quidam. Antoninus Turrecremata scripsit nostris pene temporibus fœminam ad Insulam deportatā ex Simio liberos habuisse nihil ā cæteris pueris discrepantes: Ioannes Barros testatur vigere traditionē in Regno Pegu, quod ea natio á puella naufraga rem habēte cum cane fuerit prognata. Similiter fama est in Hispania familiam Marinorum inter Gallecos è Tritone concumbente cum adolescentula originem duxisse. Demus has omnes narrationes veras, quæ mihi videntur falsæ, nihilominus ij filij sine concursu viri, & fœminæ generati originale peccatum contraxissent; atque idem iudicium erit, si ita facultates, & temperamenta aliquarum mulierū in prima formatione attemperarētur, vt absque miraculo sine concusu virorum fœtus humanos efformarent, quemadmodum accidit quibusdam alijs speciebus, vt apibus, & piscibus nonnullis; tunc filij originali peccato grauarentur. Pactum ergo initum cum Adamo, & lex generalis ex illo dimanans concludit omnes posteros primi parentis, qui sine conceptione miraculosa in se, naturaliter generantur, etiamsi vir sine fœmina, aut fœmina sine viro concipiat. Quoniam verò Isaac, Iacob, Sanson, Samuel, Baptista, & plures alij naturalem habuere conceptionem in se, itaut nihil fuerit miraculosum, nisi ex parte causarum, quæ diuinitus confortatæ sunt, & antiquis impedimentis liberatæ, vt per naturales potentias, & facultates naturalem filiorum generationem elicerent, ideo omnes ij sub peccati originalis pacto, & lege, & sub illius pœnis non aliter, ac cæteri conclusi sunt. At generatio Iesu, quia fuit miraculosa, & supernaturalis in se, ea ratione, qua perfecta est, licet non interuenisset vnio hypostatica ad Verbum omnino excluderetur á peccato originario, & illius lege, & pęnis. Nam commune pactum cum Adamo contractum non inclusit eos, quorū conceptio, aut productio est miraculosa, & supernaturalis in se, qualis nulla fuit præter generationem Christi indubitatè, & præter conceptionem

Mariæ opinatiuè; sed eos solùm, qui absque miraculo generantur siuè ex concursu viri, & fœminæ, siue ex nefando coitu viri, & equæ, vel fœminę, & bruti. Qui ex ijs, quæ parte quarta harum tabularum opinati fuerint Conceptionē Deiparæ, non solùm fuisse miraculosam in parentibus per emendationem sterilitatis, & senectutis, sed etiam miraculosam in se ipsa, facilè Mariam iuxta plures modos arbitrandi à debito proximo, & remoto peccati originalis eximent, remanente solùm debito remotissimo, & secundum qiid, ratione cuius absolutè redempta fuerit à peccato originali.

Superest nunc, vt varios arbitrandi ductus, & modos proponamus, ex quibus Maria ab originario debito liberatur, cum quibus componatur, fuisse à Christo redemptam. Primò audent nonnulli dicere Mariam redemptam esse sicut Adamum, & Euam cum hac differentia, quod vterque à peccatis actualibus commissis liberati sunt, Maria autē ab omni veniali, aut mortali delicto præseruata. Conueniunt autem, quia nemo ex tribus redemptionem, aut præseruationem habuerit ab originario peccato, nec eo infici potuerit proximè, aut remotè. De Adamo, & Eua certa res est. De Maria ita opinantur, vel quia nullatenus in lege, & pacto vniuersali comprehensa, vel quia ante præuisum peccatum fuerit prædefinita, vel ex solis Christi meritis, quoad substantiam producta; vel quia ordo signorum ita fuit distributus, vt nec mediatè, nec immediatè potuerit esse debitrix, aut rea originalis peccati. Consequenter docent Mariam solùm naturalem existentiam habuisse ab Adamo; non verò moralem vllum influxum. Neque verò sufficere, aiunt, generari ab Adamo Virginem, si in lege absoluta, vel conditionata non est conclusa, vel si independenter à meritis Christi fuit exclusa à lege peccati. Possunt huic modo suffragari nonnulla. Primò, quia ex decreto Concilij Tridentini clausulæ vniuersales scripturarum de peccato originali, non comprehendunt Mariam, & alioquin ad redemptionem absolutā sufficit præseruatio à peccatis actualibus. Deinde, quia licet vniuersaliter dicat Paulus ad Rom. 3. omnes peccauerūt, & ad Rom. 5. per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, excipitur Eua ab hoc originali peccato. Tertiò, quia gratia ab Adamo deriuanda valdè exigua erat comparatione Marię,

&

& potuit per cognitionem scientiæ mediæ subrogari Christus pro capite Virginis loco Adami, ita ut carentia transgressionis ex Christi meritis non fuerit, nec exceptio legis ex Christi meritis & gratia. Tandé, quia esse sub solo Christo, vt prædefinito ante præuisionem peccati maius beneficiú est, quã esse sub Adamo. Basilius Pontius Legionensis 1. part. variarum relect 1. dicit probabile Mariam exceptam à lege intuitu Christi, vt causę finalis, & vnumquemque posse philosophari, vt de prima gratia Adami in quæstione, vtrum ex Christi meritis ab originali fuerit redempta. Hanc opinionem referimus, non probamus, donec expresè ab Ecclesia permittatur; licet enim nulla sit illius impugnatio, cui nõ posit Scholasticè responderi; siuè dicatur Mariam non futuram durante innocentiæ statu, siue doceatur non habuisse pro capite Adamum; nihilominus, quia omnes Theologi, aut expresè affirmant, aut saltem supponunt Deiparam ex Christi meritis ab originaria culpa redemptam, non audemus hunc sensum approbare: nõ támen subscribimus Cordubæ censenti hanc opinionem esse hæreticam, vel Caietano dicenti non esse tutam, vel Suario tom. 2. in 3. part. disp. 3. sect. 2. Vazquez 3. part. disp. 115. cap. vltimo. Valétiæ tom. 2. disp. 6. quæst. 11. punct. 2. & tom. 4. disp. 2. quæst. 1. par. 2. Bellarmin. tom. 3. lib. 4. de amissione gratiæ cap. 16. Móceo disp. 7. par. 4. cap. 3. dicentibus esse temerariam; sed submittimus nostrum iudicium Ecclesiæ. Hi Doctores suam censuram inferunt negantibus Deiparæ omne debitum remotum etiam secundum quid; non verò ijs, qui aliquale debitum ipsi concesserint, in quo fortasis sensu exponent alij D. Thomã 12, q. 81. art. 3. dicentem certum esse secundum fidé Catholicam Mariam habuisse debitum peccati.

Secundus modus est iuxta opinionem asserentium B. Virginem fuisse exclusam ex meritis Christi à debito contrahendi peccatum originale, quia exclusa fuerit à lege, & pacto: signa in hac thesi absque testimonio, vel auctoritate quilibet pro libito componit in quæstione de facto pendente à libera voluntate Dei, vt existimat ad maiorem gloriam Virginis pertinere; sic ex Dei beneficentia, & Mariæ dignitate venantur coniecturas, & argumenta. Hic modus sic disponit seriem signorum. Vidit primò Deus scientia simplicis intellgentiæ excellentiam Christi Redemptoris. Vidit

se-

secundò scientia conditionata, si Adamus crearetur in talibus circumstantijs, & in ipsius voluntatem transferret ipse Deus voluntates filiorum, licet vnum, aut alterum exciperet ab Adami voluntate, & inito cum eo pacto, omnes posteros eo peccante originaliter peccaturos, & vbi primam existentiam habuissent, maculam propriam contracturos, præter vnum, aut alterum, quem excepisset, si maximè miraculosam vellet formationem ipsius, vt in secunda positione declaratum est. Vidit tertiò Dominus eos posteros Adami, quorum voluntas non foret alligata eiusdem Adami voluntati, vel quorum sanctitas pendens non foret ab Adami libertate propter miraculosam formationem in se, nec in illo peccaturos, nec propria originali macula inficiendos. Vidit quartò ex prædictis cognitionibus in sua esse potestate prædestinare Christum Redemptorem, & illius meritis excipere aliquem ab eo debito, & proximè decreta est prædestinatio Christi Redemptoris. Quintò ex meritis Christi in spe decreuit Mariam Virginem in Matrem, & quia materna dignitas exigebat, vt summa puritate niteret, & illius sanctitas ex contingentia libertatis Adami, non esset obnoxia iacturæ, ideo quando pactum initum fuit cum primo parente ex vi illius cognitionis, qua noscebat Deus, si Maria ab eodem pacto eriperetur, vel in illud non includeretur propter miraculosam formationem, aut aliam causam, illam non grauandam originario delicto. Quoniam verò Christus iam decretus plura obsequia, & magnam gratiarum actionem, & maximam tormentorum perpessionem exhibere debebat, allectus Deus spe huius pretij, nō inclusit Mariam in pactū, sed illi gratiam ineffabilem independentem ab Adamo donare decreuit, & ipsam miraculosa productione formare, quę à pacto illā excluderet. Hæc omnia sic mente, & voluntate diuina componi potuere, & executioni mandari: in qua serie merita Christi Deiparā à debito peccati originalis excluderent, nec locum haberent incommoda, vel absurda, quæ contra primum modum nonnulli excogitarunt.

Tertius modus est, vt quanquam Christus fuerit præfinitus post Adami peccatum, Maria potuerit accipere gratiā ab Adamo, quin esset acceptura peccatum, nam potuit Deus cum Adamo sic pacisci. Dabo Mariæ gratiam, si tu non amiseris posteris; at si amiseris mittam filium meum, si ipse obtu-

obtulerit sua merita pro iustitia originali Mariæ, ego faciã, vt impediatur peccatum (quod ex se poterat contrahere) eã miraculosè producendo. Si Christus noluerit petere eam iustitiam, Maria nascetur obnoxia peccato, & naturali Conceptione generabitur. Lex igitur, seu pactum absoluta fuere de transfundenda in Virginem iustitia originali independẽter à Christo; de transfusione peccati sub conditione actum est, quia ad illud contrahendum non sufficiebat Adami peccatum, sed exigebatur naturalis formatio, & carentia petitionis Christi. Qui tamen, quia voluit eam immunem à peccato, hanc immunitatem, & miraculosam formationem precibus impetrauit.

Quartus modus est iuxta opinionem eorum, qui docẽt Christum prædefinitum fuisse post præuisionem peccati, in quo hæc signorum series concipitur. Primò cognouit Deus si iniero pactum cum Adamo pro posteris, & ab eo Mariam excepero, quia illam miraculosè formare volo, peccabit Adam, & reliqui erunt sub debito peccati. Secundò mittam Christum in remedium peccati, & sufficientissime persoluet pro liberatione Mariæ à debito originariæ culpæ, & pro formatione ipsius miraculosa, ne sub peccato concludatur. Tertiò ex desiderio inefficaci tam ingentis pretij Deus formauit illam miraculosè, & exemit Deiparam. Hoc desiderium ideò inefficax est, quia non determinat Deum ad liberationem prædictam, sed tantum mouet, ex quo distinguitur intentio efficax ab inefficaci; sub hoc signo non potuit esse efficax intentio, non enim merita Christi erant decreta, cum necdum consideraretur perpetratum peccatum: nec obstat, quod ex ea intentione habendi meritum Christi tamquam pretium Deus faciat omnia requisita ad prædictum meritũ habendum, ac proinde ponendum peccatum; non enim tenetur Deus illud amare, sed solum permittere, cum media permissione, absque amore sufficienter sit in rerum natura peccatum primi parentis.

Quintus modus est iuxta opinionem eorum, qui electiones materiales non admittunt, quibus medium vtile amatur, at non vt vtile. Vidit Deus primò, si iniero tale pactum cum Adamo, de iustitia, aut priuatione illius in posteros traesfũdenda, siue aliquem excipiam propter miraculosam formationem in se, quæ non inclusa fuit in pacto, siue non excipiã,

quia naturaliter illum volo producere, permittã illius peccatum, vt meus Filius veniat in remedium. Secundò, si excepero ab ea lege Mariam ex affectu inefficaci, vt sit eius Mater, atque adeò illam miraculosè produxero, ipse & gratiarum actione, & morte soluet abundantissimè. Tertiò ex amore inefficaci huius pretij Deiparam à debito Deus eripit, illam miraculosè formando. In hoc ductu opinionis non tenetur Dominus permittere peccatum ex hoc fine, cum iã supponatur permittendum ex eo, quod sit pactum independenter ab eo, quod ab ipso pacto, aut lege is, vel ille excipiatur. Quotiescumque autem iam medium supponitur futurum ex aliqua intentione, etiamsi sit alia intentio, quæ eo indiget medio, non tenetur ad amorem illius medij, sed ad vsum illius; sic accidit, quando pharmacum ante ægritudinem factũ est casu, vel alio ex fine; si vrgeat subito morbus, non obligat ad illius compositionem, sed ad vsum dumtaxat. Cùm verò ex sola conditione pacti independenter ab exceptione alicuius supponatur determinandam esse voluntatem Dei ad permissionem peccati ex alijs finibus, profecto desiderium pretij exsoluendi à Christo non determinabit, aut mouebit ad permissionem peccati, sed solum ad præstandum, quod necessarium est ad actionem gratiarum Christi, & liberationem à debito originariæ culpæ pro Maria.

Sextus modus est, quem probat Salazar, tomo de Conceptione cap. 24. qui locum habere potest etiam in opinione considerante Christum pendentẽ à preuisione absoluta peccati; nam tunc probabile est Mariam exceptam proximè à lege communi tam absoluta, quam conditionata independẽter à meritis Christi: quod infertur ex opinione de aduentu Saluatoris dependenter à peccato, & ex alia de substantia Mariæ impetrata meritis Christi, cuius formatio propterea est miraculosè peracta, iuxta quæ Deipara excepta est à lege, atque adeò redempta ab originali peccato intuitu Christi, vt causæ finalis, non verò meritoriæ. Quoniam verò substantia Mariæ carens peccato producta fuit miraculosè ex meritis Christi, dici potuit redempta, itavt si post legẽ peccati, vt lata est, nasceretur per merita Christi, & non nasceretur sancta, adhuc esset immunis ab originali. Dices non sufficit creari hominem ex meritis Christi, vt propterea redẽptus dicatur; nã si ob prædicta merita aliquis à solo Deo formare-

maretur,& sanctificaretur,licet à Christo haberet esse subiectum carens originali culpa, & præditum sanctitate, non esset redemptus,verbi gratia,si Adamus productus esset, & redemptus ex meritis Iesu, non tamen idcirco ab originali redimeretur. Quoniã ad redemptionem exigitur præter sanctitatem originalem,periculum carendi illa,& actus, quo à periculo liberetur,sed in casu præmisso independenter à meritis Christi sanctitas est collata,& periculum exclusum; ergo in illo nõ fuit redempta Maria,nec ab originali peccato, nec à periculo proximo labendi in illud, sed tantũ remoto. Verùm,vt hic sextus modus expeditius eliciat assensum,statuendum est pactum potuisse esse conditionatũ in parte;exẽpli gratia, si Deus subijcere voluisset primi parentis voluntati omnes posteros in transfusione iustitiæ,aut priuationis ipsius sine vlla exceptione absolutè,& de Maria nihil decreuisset absolutè,sed tantùm sub conditione,nempè eam subijciendam prædictæ legi,aut pacto,nisi Christus offerre vellet merita sua,vt miraculosè,& supernaturaliter produceretur in se, & sic peccato originali non subijceretur; & quia Christus voluit suam Matrẽ,ea lege non contineri, Deus hac voluntate Christi prænisa,voluit sub eo pacto Mariam includi,nec naturaliter generari in se; illa igitur considerata in primo signo decreti conditionati,priùs ratione,quàm merita Christi considerentur,indifferens est,vt excludatur,vel cõtineatur pacto,& lege inita,aut ineunda cum Adamo;& quia non potest liberari,nisi per merita Christi,ideò est in debito remoto ad peccandum;licèt enim absolutè non cõsideretur, vt inclusa lege peccati,at consideratur includenda, nisi eripiatur à filio;est igitur in periculo,quod proprijs viribus vitare nequeat; Iesus eo præuiso periculo obtulit merita, vt Mater miraculosè produceretur,& per Christum existentiã haberet,vt sic existeret ab ea lege immunis; eo tamen ordine,vt priùs considerentur merita pro existentia,& posteriùs considerentur merita,ne teneatur ea lege. Sic benè intelligitur Mariam redemptam ab originali peccato,& Christum mortuum,ne illa laberetur in peccatum, quod irreparabiliter contraheret,Christo pro ipsa non moriente, atque ideo cum in periculo captiuitatis fuerit propter legem conditionatam,& ab ea non nisi per Christum eripi potuerit, dicendum est verè fuisse redemptam.

Sep-

Septimus modus ait Mariam absolutè non peccasse in Adam, nec contraxisse debitum, nec propriè in Adã mortuã esse, sed peccasse secundum quid, & contraxisse debitũ secundum quid, haberet enim illud sub conditione, si nõ redimeretur à filio, & si non miraculosè in se produceretur. Probatur prima pars luculenter, pluribusque argumẽtis à Salazar tomo de Conceptione, quod debitum, & mors in Adam Mariæ decenter non aptentur. Secunda pars suadetur, quia debitũ, mors, & peccatum conditionatè sumpta, non dicuntur absolutè debitum, mors, & peccatum in Adam; & quæ conditionatè sunt, absolutè non sunt, sicut nec peccatum sub conditione. Quoniam verò lex cõditionalis Mariam exposuit periculo labendi in peccatum, & pactum absolutum, si naturaliter in se conciperetur, ideo mortua est secundum quid, & peccauit in Adam secundũ quid. Absolutè autem nõ fuit Adam caput Deiparæ, nec ipsa morale illius membrũ. Valẽtia licet tom. 4. disp. 2. q. 1 punct. 2. existimet probabilius Mariam à lege, & pacto non exceptã: dicit tamẽ tom. 2. disput. 6. q. 11. punct. 2. piè credi posse exceptam à lege Adæ impositã, vt valuit fali parenti generis humani; eandem probabilitatem admittit Salas tom. 2. in 12. tract. 13. disp. 2. sect. 5. & si oppositæ opinioni subscribat. Basilius Legionensis 1. p. variarum relect. 1. reprehendens censores oppositos dicit liberum cuique esse de exceptione Mariæ à lege, & reatu peccati in vtrãque partẽ philosophari, vt de prima gratia Adami, an scilicet fuerit ex meritis Christi, quamquã tã exceptio Mariæ ab originario debito, quã prima gratia Adami intuitu Christi, vt finis, fuerint collata. Succurrunt similia testimonia Doctorum huius temporis; imò & priorum sæculorum, in quibus festum Conceptionis, non de secunda Cõceptione, idest prima animatione Deiparæ celebrabatur; sed de prima Conceptione ex cõmixtione seminis Ioachimi, & sanguinis Annæ, vt patet ex Bonauent. in 3. dist. 3. 1. part. art. 1. quæst. 1. Maiore ibidem quæst. 1. & alijs. Erat igitur olim cõmunis opinio Mariam in prima Conceptione ante animationem exceptã à lege. Vazquez 3. par. disp 115. nu. 28. docere videtur, si Maria ob Christi merita à lege exciperetur, tunc verè, & propriè à Christo redemptam. Granados libro de Conceptione disp. 3. cap. 22. sect. 2. Puente lib. 7. in Cant. exhortat. 20. §. 3. negantes debitum proximum originarij

pec-

peccati Mariæ, per remotum in hoc septimo modo expressum abundè crederent satisfieri Scripturis, & Doctoribus. Et certè cùm suprema Inquisitio Hispana decreuerit nullā deberi censuram doctrinę statuenti Mariam non contraxisse debitum; sub propositione vniuersali negatiua tam proximum, quàm remotum debitum absolutè negare licebit, admisso solùm debito secundùm quid, ex lege illa cōditionata. Succurrunt; Complutenses Doctores in sua censura dicētes, Mariam lapsuram in originale, nisi exciperetur à lege; at non expresè afferunt, exceptionem fuisse ex meritis Christi, sicut hic septimus modus nominatim exprimit.

Octauus modus est, quem possibilem fatetur S. Thomas in 3. dist. 3. vt Ioachimus, & Anna paulò ante conceptum Virginis non solùm haberent sanctitatem personalem, quæ nunquam post emundationem à peccato originali actu contracto illis defuit, verùm & sanctitatem naturæ per originalem iustitiam, quę ex Dei beneplacito biduo saltem, aut triduo ante conceptionem Virginis ipsis tribueretur. Quod si ita fuisset, ex vi formationis miraculosæ in [illegible] parentibus in tali statu peractæ, non potuit Maria habere debitum proximum, vel remotum peccati originalis in suo corpore, nec in materia illius, neque in commixtione parentum, sed solùm remotissimum in causis, quæ ex meritis Christi mundatæ sunt, & sanctitate naturæ donatæ, vt purissima esset non solùm conceptio secunda Virginis cum animatione coniuncta, sed etiam prima, quæ animationem eandem tempore præcessit. Succurrit sanctus Damascenus in orat. de Natiuitate Virginis, appellans immaculatum semen Ioachimi; quod non aliter fieri potuit, nisi sanando naturam, eamque originali iustitiâ, aut quasi originali donando paulò ante conceptionem Virginis. Succurrit etiam S. Brigitta, serm. Angelic. c. 1, dicens, ex purissimis, & clarissimis elementis compactum fuisse corpus Deiparæ. Hanc puritatem & claritatem physicam, & moralem per sanitatem, & sanctitatem naturæ à personali sanitate distinctam obtinere potuere ea elementa, seu cōponentia. Hic modus facilè defendetur in quacumque via opinandi, siue Christus ante præuisum peccatum, siue dependenter à peccato fuerit prædefinitus: nam cùm ordo signorum ad libitum disponatur, potest in eis esse signū, in quo ex meritis Christi, præter sanctitatē

perso

personalem, post expulsam originale actuale detur Ioachimo, & Annæ sanctitas, & sanitas naturæ. Sed in hoc modo expendendum est, quòd ex vi illius Deipara conciperetur sine peccato, quasi in puris naturalibus, si non in eo statu Ioachimus, & Anna ponerentur, vt vtriusque generationi alligata esset, ex vi alicuius pacti, aut decreti transfusio gratiæ habitualis: aliud enim esset, eorum sanari naturam, ita vt Maria non incurreret peccatum; aliud deriuare gratiam in ipsam. Potuit vtrumque à Deo disponi, vel vt auferretur contractio peccati sine gratia sanctificante, vel vt conferretur gratia sanctificans.

Vltimus modus opinandi ad liberandam Mariam à debito originario, fundatur in secunda suppositione, quæ statuit, pactum initum cum Adamo solùm comprehendisse naturales generationes humanas; non verò eas, quæ in se ipsis miraculosæ essent, qualis fuit sola conceptio Christi indubitatè, & sola conceptio Mariæ opinatiuè, vt ibidem expositum est. Quæ autem quarta parte harum tabularum dictæ sunt, vrgenter persuadent conceptionem Mariæ non solùm fuisse miraculosam in parentibus, vt accidit Isaac, Iacob, Samsoni, filio Sunamitidis, Samueli, & Baptistæ, antequam conciperentur, sed etiam fuisse miraculosam in se, quod nulli alij puræ creaturæ in prima generatione contigit. Ex ijs suppositionibus fluit discursus: nam omnes Doctores, qui hoc debitum Mariæ denegant, dicunt non fuisse absolutè comprehensam in pacto inito cum Adamo, & ideô vnusquisque format illud pactum vel hoc, vel illo modo ad libitum, vt non comprehendat Virginem. Potuit ergo pactum etiam fieri, ita vt includerentur in ipso illi soli posteri Adæ, quorum corpora naturaliter formanda essent; Deus enim volens solius Virginis formationem miraculosam esse in se, potuit pactum prædicto modo peragere, vt eo non includeretur beata Virgo, ex meritis Christi miraculoso ordine producta. Et quidem semel concesso pacto sub hac dispositione, non potuit contrahere Virgo debitum proximum, vel remotum, etiam de potentia absoluta, sed solùm remotissimum, & secundùm quid, vt superiùs explicatum est, quia implicaret contradictionem, illam, cuius corpus esset formatum miraculosè in se, contrahere debitum illud, quod ab eis dumtaxat contrahi deberet, quorum corpora formarentur sine mi-

raculo

raculo attingente ipsam substantiam fœtus in se. Quoniam verò hæc miraculosa formatio ex meritis Christi perfecta est eo fine, vt Maria eximeretur â proximo, & remoto debito peccati, ideò absolutè redempta est ab originali culpa.

12. *Supplementum eorum, quæ desunt sextæ parti.*

Non fuit propositum nostrum in hac sexta parte aliter quàm scholasticè, & per vniuersalia capita de præseruatione Deiparæ à culpa originali actuali, & de exemptione à peccato originali in iure, debito, aut potentia proxima disquirere. Fuere hoc sæculo eruditissimi viri, Quiriños Salazar, Ægidius à Præsentatione, Franciscus Viuarius, Ioannes Serrano, & plures alij, qui præseruationem dictam à labe actuali originis persuaderent ex Scripturis, in sensu literali, & mystico, ex authoritate Ecclesiæ, & Conciliorum, ex testimonijs Pontificum, ex festo Conceptionis, ex traditionibus, ex communi Catholicorum plausu, ex sacris reuelationibus, ex miraculis in honorem huius mysterij, ex clausulis innumeris sanctorum Patrum per quindecim secula digestis, & ex rationibus. Nihil ferè vnquam, aut vsquam dictum, scriptumve est, quod non prædicti Authores attulerint, expenderint, & ad fidelissimam trutinam examinauerint. Singula argumenta, & testimonia probabilissimè docent, sensum de immaculata Conceptione vocem fuisse omnium seculorum. Ea omnia laudo, & probo, nec tamen illa percurrere debeo, quòd luculentissimè à magnis Doctoribus huius ætatis fuerint examinata, & plurima ex illis longiores poscant tractationes. Thesis hæc diligentissima huius seculi discussione, & magno ingeniorum, & studiorum conatu hinc inde agitata est: potest Ecclesia, si velit, controuersiam vltimo definitionis iudicio dirimere in fauorem illius partis, quam Spiritus sanctus dictauerit. Multa ex ijs, quæ nunc ad fidem pertinent, habentur ex sola traditione, quæ aliquando fuit sub quæstionibus Doctorum: accedente nihilominus Ecclesiæ determinatione, & Spiritus sancti afflatu lis est dirempta. Non omnia ad fidem pertinentia in sacro Textu apertè reperiuntur scripta, sed multa implicitè, & sub figuris traduntur, vt egregiè probat Caietanus tomo 2. opusculorum, tract. 1. cap. 1. Ecclesia ex directione, & illustra-

lustratione diuina certissimè interdum colligit, & decretorio iudicio determinat, veluti de fide, quod ex sola plurium Doctorum intelligentia non poterat irrefragabiliter innotescere.

Concludo, obseruans, etiamsi nos ad opposita testimonia respondeamus in superioribus, non vrgere, quod per condescendentiam ad decretum Mauritij, aut obiter, aut inquisitiuè, aut recitatiuè solum fuerint loquuti, non posse adhiberi eandem responsionem pro ijs testimonijs, quæ adducuntur in fauorem opinionis negatiuæ, cùm pleraque assertiuè, & constanter decernant: & licèt nonnulla obiter tractent, & edisserant, verùm vt rem certam supponunt eandem opinionem negatiuam. Nec potest similibus testimonijs adhiberi pro solutione verissima illa doctrina Ioannis Antonij Saura, opusculo de examine doctrinarum, cap. 1. & 2. quòd dicta obiter, aut inquisitiuè, aut recitatiuè, aut per condescendentiam, aut præsumptiuè, aut suspicatiuè, aut coniecturaliter, non sunt alleganda pro testimonijs Doctorum.

(·§·)

PARS